HERMANNI VENEMA
PRAELECTIONES
DE
METHODO PROPHETICA
SEU
DE ARGUMENTO PROPHETIARUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI
AC
UTRIUSQUE PERIODIS
QUIBUS ACCEDUNT
SERMONES ACADEMICI QUATUOR

1. *De Charactere Antichristi.*
2. *De Methodo Quaestionis de Antichristo tractandae, et Periodo Antichristiana.*
3. *De fraudulenta et violenta Religionis tuendae vel propagandae methodo, vero Charactere Satanae.*
4. *De Periculo, Ecclesiis Protestantium a Papismo, sed qua Antichristiano, imminente.*

LEOVARDIÆ,
Apud ABRAHAMUM FERWERDA, Bibliopolam,
MDCCLXXV.



LECTORI BENEVOLO

P. S. D.

H. VENEMA.

TRactatui, quem oculis tuis ſubjicio, et judicio tuo aequo ſubmitto, *Praelectionum* praefixi titulum, cum quod inde originem repetat, in uſum enim ſtudioſae Juventutis, ut aliquam in manibus habeant prophetiarum intelligendarum ac explicandarum methodum, compoſitus fuit, tum quod eum conſpectum et ſcopum ei relinquendum eſſe cenſuerim; ut et Tibi B. L. eum praeſtet uſum; ſal-

tem, qua ratione Prophetias tractare ſoleam, ac exponendas cenſeam, inde conſtet. Unde eſt, quod, brevitati ſtudens, Tuis quoque commodis litans, a fuſiore ſeu Hiſtoriae, ſeu Prophetiarum particularium, deductione abſtinuerim, loca Script. S. citaſſe, paucis exceptis, de quibus mentem paulo productius expoſui, et facta hiſtorica digito monſtraſſe, paſſim contentus. Quod eo magis feci, et facere licuit, quia Cl. Vitringae commentarii ad Jeſ. et Apocal., quos prae reliquis magni facio et ſequi paſſim, nec tamen ubique, ut ex hoc quoque intelliges opusculo, ſoleo, in omnium ſunt manibus; mei quoque vel in publicum prodierunt, uti ad Jeremiam, Danielem et Malachiam, vel, ſive me vivo ſive mortuo, *lucem videbunt*, ſaltem eo parati ſunt, uti ad Ezechielem, et reliquos Prophetas minores, ut adpellantur, omnes. Hiſtoriae vero notitiam in Lectoribus meis ſuppoſui, vel aliunde facile ab iis petendam cenſui. Quem in finem Inſtitutiones meas Hiſtoricas, Eccleſiae V. ac N. T., praelo deſtinatas ſuo tempore, Deo volente, oculis Tuis uſurpare

pare

pare poteris. Id praecipue intendi, et operam dedi, ut fata populi Iſraelitici ordine recenſerem, in vero conſpectu collocarem, et prophetias ad ea pertinentes monſtrarem; periodos vero Eccleſiae Chriſtianae et certius demonſtrarem, et veros earum characteres diſtinguentes ex Hiſtoria primum, dein Prophetiis, in primis Apocalypſi, luci exponerem, ſimul ex harmonia fatorum V. et N. T. illuſtrarem, denique mentem de omnibus divini iſtius libri Apocal., qui vel ſola pietate fervida ac maſcula, quam ubique ſpirat, veritatem revelationis proclamat, partibus Tecum communicarem, et dijudicandam traderem. Subjunxi, ad Periodi Antichriſtianae, quae maximam conſtituit Apocalypſ. partem, ſimul prae reliquis periodis eminet, ſingularemque meretur animadverſionem, certiorem demonſtrationem, ac uberiorem dilucidationem, quatuor meos Sermones Academicos occaſione *Rectoratus* depoſiti habitos, de *character* Antichriſti, *periodo* Antichriſtiana, *methodo Satanica* religionem tuendi ſeu propagandi, denique *periculo* Eccleſiis Proteſtantium,

tium, adhuc ab Antichriſtianismo Papiſtico imminente, et in ejus totalem deſtructionem exituro, ſed hunc ultimum longe ampliorem, quam eum pronunciavi. Verſatus quidem in his omnibus ſum libere et ſincere, ut veri, et verbi Prophetici ſtudioſum decet, attamen prudenter, ut nemini offenſionis anſam praebuerim, quantum novi, ſimul modeſte, nec plus meis cogitatis, quam rationes productae poſtulant, tribuens, mihique non nimium fidens, qui, quam facile in hiſce aberrari poſſit, probe ſciam. Veteres de ſeptem periodis Eccleſiae, antea non ſine fervore utrinque agitatas, quaeſtiones et lites, tantum abeſt ut reſuſcitare in animo fuerit, qui ab omnibus rixis et diſputationibus ſum, ut fui ſemper meque praeſtiti, alienisſimus, ut eas ſi pote ſopitas voluerim, via ſtrata ad partium diſſidentium reconciliationem. Peritorum, ac veri amantium, mea non ſolum trado examini, ſed et illud mihi gratum fore profiteor, in primis circa ea, quae de periculo Proteſtantibus inminente in medium produxi, cum ejus naturae illa ſit materia,


quae

quae haud uno nomine ſeveriorem meretur diſquiſitionem; uti facile ad eam adtendenti patet, paratus rectiora docenti cedere. Deprecor tantum ſiniſtras ſuſpiciones, a me alienisſimas, et violentas oppoſitiones, aut inanes et ſeditioſos clamores; quibus nec veritas nec pietas promovetur, potius laeditur et deſtruitur, nihilque aliud apud me efficietur, quam ut eorum, qui ita inſtituunt, ſortem deplorem, ſimul, ne mea turbetur tranquillitas, per Dei gratiam curem, cauſam Deo commendaſſe contentus, qui etiam ſuo tempore omnia in lucem proferet. Liberum cuique relinquamus ſuper uno eodemque fundamento, quod Chriſtus, Filius Dei, isque crucifixus eſt, aedificare; videat quisque, quid, et quo modo, id faciat: Deus ſuo tempore, dijudicabit, et cuique reddet ſecundum opera ejus. Libertati prophetandi in primis obicem non ponamus, ut tandem verbi Prophetici intellectus fiat et ſolidior et uberior; cujus ingens ad Eccleſiae inſtructionem, ac conſolationem, redundare poteſt fructus. Eſt enim illud, ut 2 Pet. I. habetur, *longe firmisſi-*

missimum, cui recte feceritis, si mentem adplicueritis tanquam lucernae in obscuro loco, donec dies adlucescat &c. Errata exstantiora ad calcem videbis emendata, reliqua Tu facias.

Dabam Franequerae
d. 1 *Jul.* 1775.

PRAE-



PRAELECTIONES
DE
METHODO PROPHETICA
SEU
DE ARGUMENTO PROPHETIARUM V. & N. T. AC UTRIUSQUE PERIODIS.



PARS I.

De Prophetiarum respectu ad OEconomiam V. T.

PROLEGOMENA.

§. I. NOn est propositum nostrum, quicquid ad intellectum Prophetiarum pertinet, proferre: plura requiruntur in Verbi Prophetici interprete, quae aliunde petenda sunt; et quae ad Prophetas, ad Canones prophetiarum interpretandarum, ad studium linguarum, Antiquitatum etc. pertinent. Quare commendo Typ. Doctr. Prophet. Cl. Vitringae, et Gurtleri Syst. Prophet. quibus addi debent Ult. Mos. Cocceji.

Nobis tantum in animo est, *argumentum* totius Verbi prophetici in luce collocare, et ea occasione praecipuas Prophetias, quoad veram hypothesin, exponere: quo facto et bene percepto; Clavis ad totum Verbum Prophet. reserandum erit cuique in manibus; et nil amplius ab ipso requiretur, quam ut peritus sit Linguarum, Historiae et Antiquitatum, et Verbum Propheticum continuo legat, et meditatione sua subigat. Ut autem de argumento Verbi Prophetici rectius constet, quaedam praemittenda de Prophetiarum V. T. vero conspectu et Muneris eorum genuino scopo: unde judicandum est, de argumento Verbi Prophetici, quod Prophetarum conspectui & scopo muneris eorum respondere debet.

§. II. Respicit autem Munus Prophet. primo ad *Veterem*, secundo ad *Novam OEconomiam*. *Primo* directa eorum relatio fuit ad OEconom. V., sub qua vixerunt, conciones ad Populum habuerunt, Mosen exceperunt, et ad Legem ejus populum instruxerunt, ut est Mal. III. Lex quoque et Prophetae ubique jungi solent. Praeterea, Vaticinia eorum non ad sua, sed ad remotissima tempora respicere, nec ad se pertinere, perversum olim fuit Judaeorum praejudicium, ab Ezech. severe reprehensum Cap. XII: 26. Sed OEconomiae V. cui inservierunt illi, cujusque naturae et scopo se accommodarunt, duplex est conspectus, *literalis et spiritualis*, seu *Legalis et Gratiæ*. Prior externas leges atque promissa continebat: Foedus Sinaiticum externum et typicum pro directo scopo habebat separationem Populi Israelis a Gentibus ac Idololatria, et consecrationem Deo vero, ut vera Religio sarta tecta maneret. Sed ultimo ad Messiam respiciebat, ut eum definiret et expingeret cum omnibus Bonis et Legibus N. T. de quo disserui ad Daniel. et in Diss. Sacris. Spiritualis autem hujus OEconomiæ conspectus Gratiam quoque Evangelii, licet parciore mensura et minus pure, dispensabat per anticipationem: Quæ nota sunt ex Theol., et fusius de hoc utroque conspectu egi in Differt. S.

§. III. Hinc nunc Prophet. muneris natura et scopus facile elucescit.

elucescit. *Primo* Conciones eorum eo tendunt, ut ad literalem Legis observantiam populum compellerent: legis praecepta ubique inculcant; transgressoribus mala minantur, sed observatoribus Bona promittunt temporalia; Vitam et Mortem proposuerunt ad exemplum Mosis: Conf. Jes. III: 10, 11. Ezech. XVIII. et ubique. Hinc vera ratio repetenda, quare prophetici Sermones in Bonis et Malis temporalibus versentur toti. Et sane Populi Israel. intererat, harum rerum praedictiones habere in manibus: *1mo*, ut scire possent, Bona et Mala illa sibi a Deo evenire, non casu: et quidem *2do*, respectu observantiae vel transgressionis Legis. vid Amos. III. ubi Propheta id agit et de illo scopo clare testatur. Hinc et populus saepe dicitur inde perspicere posse, Jehovam esse Deum veracem, justum et bonum Deut. XXXII: 39. Et secundum hunc Prophetarum conspectum liber Jonae relatus est inter libros propheticos, prophetarum quoque fuit flagrans studium in Remp. et Ecclesiam, et commiseratio malorum summa: quod recte notavit Chrysost. proem. in Jes. oper. t. VI. Ceterum praedictiones hujus generis vel sunt *conditionatae* vel *absolutae*: sed quae posteriores conditionem praestitam supponunt et comprehendunt. *Prioris* generis exemplum est Ezech. XVIII. et in praedicatione Jonae; Generalis autem illa Regula traditur Jerem. XVIII. sed *posterioris* gen. sunt, quae fata populi repraesentant, quae passim in promissionum et minarum *Legis vicissitudine* sita sunt. Mala, quae annunciant, futura, consistunt in populi afflictionibus, seu a Deo immediate per famem, pestem etc. seu a Gentibus vicinis infligenda, adeoque a Deo per gladium. Sunt autem ea judicia per Gentes inflicta, praecipue Assyr. Babyl. Epiphan. atque Romana; quibusque vicinae gentes opitularentur, ad Judaeos opprimendos. Bona vero opposita facile elucescunt. Sed Mala praedicta pro hypothesi habebant obdurationem populi, qui Prophetarum monita sprevit, quare Prophetae, non obstantibus illis vaticiniis, continuo adhuc perseverarunt in populo admonendo et reprehendendo. Bona vero praedicta resipiscentiam Populi praesupposuerunt, ut Deut. XXX. diserte dicitur, et saepe

 quoque

quoque alibi. Denique hinc ratio elucesſit, quare in fatis vicinorum populorum memorandis Prophetae quoque verſentur: partim ut Judaei veritatem et juſtitiam Dei in illis quoque perſpicerent, Am. I. II. partim ut Bona deſtinata conſequi posſent, quum illae Gentes iis ſe opponere ſolerent; partim ut conſpiceretur, Deum populum ſuum caſtigando non abjicere: id enim in vindicta ab hoſtibus illis ſumta clare in oculos incurrebat. Haec obſervata egregiam lucem infundunt Verbo Prophet. et viam ad verum ejus ſenſum aperiunt.

§. IV. Verum praeter literalem hunc Prophetiae quoque inſerviunt *myſtico* OEcon. V. intellectui, dum ineptitudinem Legis ad Salutem inculcant, et peccatores ad gratiam in Mesſia amplectendam compellunt: ſic Jeſ. I. Mich. VI. Habac. II. Pſ. XL et L et alibi: huc et deſcriptiones Meſſiae ejusque OEconomiae tendebant: denique Pſalmorum plurium hic ſcopus eſt. Porro Prophetae OEconomiam V. referre ſolent ad ultimum ſuum complementum, Meſſiam ſc: ejusque OEconomiam, quod et ex fine OEconomiae V. cujus modo memini, ſponte elucet. Hinc eſt:

1. Quod in Meſſiâ ejusque Regno deſcribendo ſaepe omni occaſione occupati ſunt: ut dicitur 1. Petr. I: 10, 11. Act. X: 43. Sic Lex et Prophetae dicuntur ad Johannem fuiſſe Matth. XI. Conf. quoque Luc. I: 69, 70. XXIV: 25. Act. II: 24. Sic Dan. IX: 24. Ubi hac occaſione notandum, lucem Propheticam hac parte fuiſſe per gradus multiplicatam: generaliſſimum erat primum aenigma ad Meſſiam reſpiciens Gen. III: 15. *de ſemine mulieris* etc. cum *contritione proprii calcanei;* myſticum quoque Lamechi vaticinium de Noacho Gen. V. ſed promiſſum Abrahae factum reſtrinxit Meſſiam ad ſemen illius: ſimul quoque Gentibus ſalutem eſſe dandam declaravit. Sed vaticinium Jacobi Gen. XLIX. revocavit promiſſum de Meſſia ad Judam; et tempus apparitionis ejus notavit, uti conſtat ex vers. 10. Tandem illud promiſſum reſtrictum eſt ad familiam Davidis 2 Sam. VII. et ab hoc tempore Meſſiae notitia facta eſt evidentior per varios Davidis

Pſalmos

Psalmos, et dein Prophetarum Conciones. Ceterum Prophetiae de illo ejusque OEconom. vel sunt *Generales* vel *Speciales:* quarum si quis velit Catalogum, adeat Bocharti Epistol. de Divinit. S. S. ad calcem Geogr. S., Huet *Demonstr. Euangel.* Propos. X., Gurtler. l. c. et praecipue Cl. Vitr. *Typ. Doctr. Proph.* Plurimas Prophetias ex mente Judaeorum ad Messiam pertinentes habet Raimundus in *Pugione Fidei* P. II. C. 9.

§. V. II. Prophetae Messiam ejusque OEconomiam considerant ut fundamentum OEconomiae V. et causam omnium liberationum, quae populo sub illa contigerunt: quae ratio est, quare Jes. Cap. VII. Regi Judae hoc signum dedit, Messiam esse ex virgine nasciturum, ut inde populus intelligeret, fieri non posse, ut deleretur Regnum Judae. Egregius hanc in rem est locus Mich. V: 1, 2. ubi cum nativitas Messiae in Bethlehemo esset praedicta v. 1., sequitur, *propterea dabit eos* &c. vel *iis;* i. e. faciet Deus ut populus maneat, et Bonis (quae ibi sequuntur) gaudeat, scilicet ob Messiam nasciturum. Haec et ratio est, quare mediis subinde promissis temporalibus inseratur promissum de Messia, ut Joel II: 23. Praeterea, quare mox praedictioni de Exilio Babyl. subjungatur, et reliquis fatis laetis post id exilium praemittatur, Mich. IV. 1 seqq.

III. Considerarunt Prophetae OEconomiam N. tanquam antitypum et complementum OEconomiae V. quod et liquet ex N. T. *Finis Legis Christus est Rom. X:* 4. Unde phrasibus, V. Testamento propriis, uti solent ad res N. T. explicandas: imo vero, haec ratio est, quare de V. T. Bonis et praerogativis in populum Israelis conferendis tam magnifice loquantur, ut in externo populo non habuerint implementum. Voluerunt simul Bona N. T. illis comprehendere: unde oritur duplex Verbi Prophetici passim explicandi ratio: *literalis* sc. et *Mystica:* quae passim jungi solent.

§. VI. IV. Postremo tempus Messiae considerant Prophetae ut ultimum OEconomiae V. finem et terminum: ad quod tempus Messiae fata populi Judaici respexerunt tanquam *signa*, quae illud definiverunt, et Populum ad illa tem-

pora praepararunt: Et hinc oritur nova Methodus Prophetica de signis Temporum Matth. XVI. in initio: XXIV: 32. 1 Petr. 1: 10.

Sed haec merentur latius deduci: ut ergo signa dicta Temporum clarius intelligamus, ad sequentia attendi volo.

A. Tempus Messiae esse omnium illustrissimum a *quantitate* et *qualitate* sua definitum, quod OEconomiae Divinae integram adferret mutationem. S. S. appellat χρόνȣς Gal. IV. καίρȣς ἰδίȣς Rom. III. 1 Tim. II. Tit. I. itaque tempora definita et qualitatibus suis opportuna: Quo tempore N. Foedus pactum, novum Coelum et Terra conditum dicitur Jerem. XXXI: 31. Hagg. II. coll. Hebr. XII.

B. Hoc tempus esse ultimum OEconomiae V. adeoque promissorum et prophetiarum complementum et terminum 1 Petr. I. Act. X. Matth. XI. Dan. IX. 2 Cor. I: 20. Ex hoc observato magni momenti sequentia derivo corollaria:

§. VII. א. Populum Judaeum a tempore Messiae, incredulum et obstinatum, non amplius pro Populo Dei, sed hoste Ecclesiae haberi: de quo egi in Not. ad Cant. Mos. in fine; et Comm. ad Mal. in fine.

ב. Tempora Messiae haberi pro ultimis: quemadmodum Tempora Epiphanica ultimis et fini temporum alligantur apud Dan. ut ibi tradidi.

ג. Fata Populi ulterius non solere pertexi apud Prophetas: Vid. Dissert. ult. ad. Vis. Emblem. Dan.

ד. Phrasin in Verbo Prophet. de Templo, Populo Dei, foedere Sinaitico *in secula* et *aeternum* duraturo, ulterius non extendi, quam ad finem OEconomiae V. et Novae initium aut introductionem.

§. VIII. C. Tertium observatum est; AEtates varias, seu Casus illustriores varios, quos Ecclesia V. T. subiret ad tempus Messiae usque, tempus illud ultimum, tanquam *signorum* illius habuisse conspectum ita ut ex illis cognosci potuerit,

tuerit, quam longe aut prope a temporibus Messiae abessent; fere ut Via per lapides aliave signa describitur; uti annus ex 4 tempestatibus constat, quarum alia aliarum sunt signa. Prophetae ergo hic tanquam in specula stantes occurrunt Hab. II. Et haec sunt signa Temporum, quae duplicis sunt generis: *Alia* tempus ultimum jam adesse declarant: *alia* autem, quam longe aut prope ab eo absint. *Posteriora* illa, (de quibus hic agemus,) signa prognostica seu significantia, varii sunt Casus illustres, sibi invicem successuri ad ultimum id tempus usque. Quae Methodus Verbi Prophet. pertractandi valde utilis est: 1*mo*. Eventus eo ordine digesti faciliorem reddunt Prophetiarum intellectum: generales saepe phrases, quae variis casibus aptari possunt, sic restringuntur ad certos casus: e. gr. Deut. XXX. promissum de multiplicatione supra Patres pertinet ad Tempora Epiphanica. 2*do*. Judicium de singulis casibus respectu temporis Messiae, hinc dependet; et quid de AEtatibus seu mutationibus Ecclesiae judicandum sit, hinc perspicitur.

§. IX. Casus vero illustriores, qui Messiae adventum praecesserunt, et a Prophetis cum signis praecedentibus et concomitantibus describuntur, sunt ex nostra hypothesi sequentes:

א. Exilium Assyr. et Babylon. post praecedaneam corruptionem, quod LXX annos duraret.

ב. *Liberatio ab illo exilio et instauratio* Populi, post signa praecedentia: 1*mo*, Conversionis Populi in Exilio. 2*do*. Destructionis Regni Babyl. 3*tio*. Gentium vicinarum depressionis variae per Nebucadnezarem; quod erat signum remotius.

ג. Afflictio Epiphanica post corruptionem gravissimam tanquam signum antecedens, quae in universum XXVI annos duravit.

ד. Libertatis omniumque rerum perfecta instauratio per Maccabaeos, eamque secuta magna felicitas, per Gentium vicinarum subjugationem, multitudinem incolarum et omnium rerum abundantiam et gloriam.

 ה. Subju-

ח. Subjugatio nova per Romanos cum depravatione totali in Vita et Moribus.

§. X. Cl. Coccejus et ejus asseclae paulo aliter hos casus digerunt, et in universum VI. signa temporum tribuunt OEconom. V. sic vocari solita: Benedictionis, Maledictionis, Conversionis in Exilio, Liberationis ex eo, Benedictionis et Multiplicationis supra Patres. Quae omnia hausta sunt ex Deut. XXX: 1---10. et unice eo in loco fundata. Verum haec Methodus se tueri nequit:

א. Usque ad Exilium Babylon. qua ratione Benedictionis nomen omnibus temporibus praecedentibus conveniat, plane non intelligo. Gavisi sunt Judaei illa benedictione sub Davide atque Salomone, non ante nec post, imo quaevis mala saepe experti sunt, excepta plenissima destructione et exilio; gravissime quoque corrupti: Benedictionis et Maledictionis nomina restringi nequeunt ad solum Exilium Babylonicum.

ב. Conversio in Exilio fuit vero suo conspectu liberationis signum antecedens, non novam Periodum constituens. Exilium adhuc fuit et mansit, licetconversio obtineret; unde itaque nova Periodus formari non debet a Liberatione distincta.

ג. Benedictio et Multiplicatio pertinent ad eandem *felicitatis* Periodum; *non* ergo diversas Periodos constituere possunt.

ד. Afflictio Epiphan. hic male omittitur, aeque enim ac Exilium Babyl. hic locum habere debet.

ה. Novae quoque Servitutis et corruptionis sub adventum Christi mentio hic negligi non debebat.

§. XI. Quod vero ad Locum illum Deut. XXX. attinet; licet concederetur, Mosen Fata Ecclesiae V. praecipua ibi recensere usque ad Mesiae adventum, adeoque terminum illum ibi significari per circumcisionem cordis; notandum tamen.

א. Fata altius non repeti, quam ab Exilio Babyl.

Babylon.; nomina Benedictionis et Maledictionis sunt generalia, quae varias ad Exilium Babyl. usque habuerunt vices, ita ut nunc benedicti nunc maledicti fuerint, donec Maledictio summum attigerit gradum per Exilium Babyl. Hinc ergo Moses repetit fata populi, et, quae post ipsi contingerent, exponit.

ב. Conversio in exilio hic diserte memoratur ut conditio tantum praecedanea liberationis; quod nexus orationis clare indicat.

ג. Moses hic non omnia fata recenset, sed tantum quae Bona exspectanda sint a conversione populi: Ergo ad summum tria tantum fata hic memorantur: Liberatio ab exilio, Benedictio ac Multiplicatio sub Maccabaeis, et denique Bonum Euangelicum, si eo pertineat circumcisio cordis.

§. XII. Verum dabo hac occasione accuratiorem conspectum Capp. XXIX et XXX. Deut. quibus Concio habetur super pactione Foederis Moabitici jam facta, ad illud illustrandum et confirmandum, quod descriptum erat Capp. XXVII et XXVIII. Sunt vero concionis, Capp. XXIX et XXX contentae, sequentes Partes:

א. Prima exponit rationes hujus foederis petitas a summis Beneficiis populo concessis, quae sicut fundamentum Foederis continent, ita, irrito effectu, necessitatem novi et severioris modi Foedus Sinait. ineundi imponebant per expressionem *Maledictionum*, Cap. *XXIX: 1---8.* Foedus enim id Moabiticum erat Sinaiticum renovatum, sed per Maledictionum formulam confirmatum.

ב*da* Pars continet Foederis propositionem cum toto populo pangendi, non illius tantum ætatis, sed et sequentium; v. 9---16.

ג*tia* Dehortationem a Foedere rumpendo, et annunciationem Fatorum, 1*mo.* tristiorum; 2*do.* laetorum; quae Populo evenirent, prout primo foedus violaret, et dein se converteret Cap. XXIX: 17. - --- Cap. XXX: 10. Ubi

a. Occurrit Dehortatio a criminibus Foedus rumpentibus, et a principiis profanis ac impiis, quae exsecrationem

tionem Dei conjunctam habent, nec remittuntur a Deo: v. 17, 18. Tum

b. Sequitur Praedictio Fatorum: 1*mo*. tristium v. 19---fin. Cap.; 2*do*. laetorum Cap. XXX: 1---10. Quae omnia impleta sunt in conversione populi in Exilio, et instauratione Civitatis et Ecclesiae post Exilium Babyl. (1) Quod Maledictio ad ea mala pertinet; (2) Quod de conversione ad Foedus Sinait. et Legem ibi agitur; (3) Quod in Canan. reducerentur, et Bonis illius Foederis gauderent; (4) Tristia fata ferirent populos, qui eos oppresserant; (5) Accedit testimonium Nehem. Cap. I. quae verba eo sunt referenda. Tantum notetur, tempus post Exilium Babylon. late sumendum, et ad tempora Maccabaica extendendum esse, quando haec omnia impleta sunt, nec ulterius se porrigunt.

Quod vero ad Circumcisionem Cordis attinet, quae a Cl. Coccejo ad OEcon. N. ejusque Bona refertur, non videtur eo pertinere:

α. Quia circumcisio et conversio Populi eadem erat.


β. Conversio in Exilio simili phrasi proponitur Lev. XXVI: 41.

γ. Circumcisio cordis cum observantia Legis Mosis connectitur: Partic. ergo ו. in verbo *et circumcidet* v. 6. vertitur recte *nam*, *enim*, ut ratio reddatur benedictionis populo reddendae. Est autem non superflua sed emphatica repetitio conversionis populi per hanc phrasin, qua quid plus dicitur, scilicet conversionem fore durabilem, qua in perpetuum renunciarent Idololatriae, Legi affixi: quare additur *cor tuum et seminis tui*.

Ceterum promissum id circumcisionis non est ad singulos extendendum, sed involvit: (1) Studium Legis in populo semper futurum esse, absque ut deficiat, ut antea: (2) Non defore id eximium Legis studium; (3) Non, nisi quo tempore finiretur OEconom. V., populum a Deo denuo totaliter defecturum esse.

§. XIII. Pe-

§. XIII. Periodis ergo nostris, quas Historia nobis clare exhibet, inhaeremus: verum praeter Ecclesiae fata *Signorum* quoque conspectum praeferunt apud Prophetas Mutationes Mundi: quare Regnorum Mundi fata ad Messiam usque hic non sunt omittenda, sed ab illis Ecclesiae probe distinguenda: Ubi observandum, duplici de ratione Orbis Fata descripta esse a Prophetis: *1mo.* Ut, Ecclesiae hostes a Deo esse puniendos, adeoque felicitatis Populi Dei obstacula removenda esse, Ecclesia intelligeret: Quo pertinent Assyriorum, Babyloniorum, Syrorum, Idumaeorum, Moabitarum, aliarumque Gentium vicinarum fata, ipsius quoque Regni Persici, quatenus Montis conspectum praeferebat Zach. IV. quo et Emblema Cornuum spectat. cap. II. *2do.* Ut signa adventus Messiae constarent, quo pertinet *quatuor* Regnorum Succesio Dan. II et VII. Zach. VI et IX. 1---9.



TRACTATIO IPSA

DE PROPHETIIS AD V. T. PERTINENTIBUS.

§. XIV. HAec cum generale constituant prophetiarum argumentum, Prophetiae ad illud sunt in certas Classes digerendae et ordinandae, ut systema aliquod Propheticum certo ordine dispositum quivis in promptu habeat. Dabo hujus Systematis Specimen, quod a quolibet continua Prophetiarum meditatione augeri potest et debet. Praemittendae sunt Prophetiae, quae Fata Ecclesiae continent, et tum subjungendae, quae ad Mundi fata respiciunt.

I. *Prioris* generis Prophetiae iterum ſunt duplicis generis: aliae *Generaliores*, aliae *Specialiores*. *Priores* aut omnia, aut plurima Eccleſiae fata complectuntur. *Poſteriores* in hac illave Periodo deſcribenda verſantur.

A. Meditatio Prophetica incipit a *Generalioribus*, inter quas primum locum damus *Pericopae Deut. XXX. primis verſ. et Cantico Moſis Cap. XXXII.* quae prophetiae ſecum comparandae ſunt. Prior beneficiorum poſt Exil. Babyl. contexit ſeriem, poſterior autem Judiciorum Dei ad peccatorum Populi Iſraelis punitionem.

Ex *prima* diſcimus ſequentia Fata:

1*mo*. Exilium.

2*do*. Populi converſi liberationem.

3*tio*. Perfectam inſtaurationem et felicitatem, quam in Cananaea conſequeretur. Sed

Canticum Moſis 1*mo*. rationes Judicii Dei in Judaeos: 2*do*. ipſum Judicium exponit.

א. Ut ratio Judicii Divini pateſcat;

a. Beneficiorum texitur Catalogus v. 6--14.

b. Peccata populi, quae ea beneficia ſecuta ſunt, recenſentur V: 13---19. Tum

ב. Sequuntur Judicia ipſa hoc ordine:

a. Summus eorum gradus ob oculos ponitur, quo tandem omnia reciderent, et Decretum Dei enarratur v. 20---23. Dein

b. Quo ordine ea Judicia infligerentur;

α. Inciperet Deus cum levioribus malis, et populum mitteret in exilium, ſed non in omnes angulos terrae, v. 24: 27. Dein

β. Cum Populus ſeſe ad ſaniorem mentem ſerio et conſtanter non reciperet, et magis corrumperetur, Deus plenariam ejus deſtructionem tandem exſequeretur ultimo per Romanos: ubi ſupponitur, populum eſſe ex exilio liberandum, et in felicitatem revocandum; ſed cum in peſſimam reciderent corruptionem, totaliter eſſe deſtruendos. Quae ultima

Pericopa

Pericopa omnia Dei judicia continet Judaeis post Exilium inflicta, Epiphanica et Romana, quae in genere ut sibi similia proponuntur.

Has duas ergo Prophetias si inter se comparemus, sequentia hic invenimus fata:

א. Prosper foret et benedictus Populi status usque ad finem Regni Salomonis, ad quod se extendunt Beneficia, non quod interea status saepe non sit immutatus, Deus enim eo tempore populum tentare et purgare voluit Judic. II: 22. III: 3. sed quod beneficia ea tempore Salomonis consecuta sunt complementum et gradum summum.

ב. Sequitur status defectionis a Deo, sed per varias vicissitudines tandem ad summum gradum adducendus tempore Exilii Assyr. et Babyl. Vid. quoque Jerem. II: 32.

ג. Excepit tunc duplex Exilium Assyr. et Babylon. hanc totalem corruptionem.

ד. Secuta est Liberatio Populi, et Reipublicae ac Ecclesiae instauratio.

ה. Judicium in Populum foedifragum per Syro-Macedones, et terrae purgatio ab impiis.

ו. Benedictio et Multiplicatio supra Patres. Sic haberemus VI. Periodos a Mose ad Christum: verum duae primae conspectum Periodorum vix ferre possunt, quod per varias vices tum obtinuerunt Benedictio et Maledictio. Quibus Periodis si addas

ז. Novam subjugationem a Romanis, et corruptionem, quae in totalem destructionem exiret, haberemus VII Periodos: quam Methodum si quis velit, non repugno.

§. XV. Pergamus ad *Jesaiam;* et nonnullis ejus Prophetiis Thesin de generalibus Periodis illustremus:

Cap. *Imo* usque ad v: 24. Hypocrysis Populi et alia ejus crimina tempore ipsius Hiskiae depinguntur: Dein v: 24. Exilium Babylonicum: v. 25. Purgatio Ecclesiae liberatae: v. 26. Instauratio Politiae illius Ecclesiae, maxime sub Maccabaeis, v. 26 in fine et vs. 27. denique Re-

 demtio

demtio ſpiritualis per Mesſiam; et tandem finale Excidium per Romanos; v. 28 ad finem.

Caput V. fere reſpondet per omnia Cantico Moſis: Parabola illa a Vinea deſumta (1) Beneficia, (2) Peccata Populi, (3) Judicia Dei complectitur. Quae duo poſtrema capita, ſcil. Peccata et Judicia, latius mox explicantur: 1*mo*. Crimina populi ad v. 24 usque; 2*do*. Judicia magna tria ſibi ſucceſſura, Babyloniorum v. 24; Syrorum v. 25, Romanorum v. 26 ad finem. Quod ultimum Judicium mox latius cum cauſis ſuis exponitur Cap. VIto.

Capite XXVIII primis 4 verſibus explicatur Exeidium Samariae et Hieroſolymae, ſeu Ephraimitarum et Judaeorum, judicio Dei excoecatorum, et auxilium humanum quaerentium: deinde v. 5 et 6*to* promiſſum Reipublicae in ſtaurandae et defendendae per Maccabaeos: tum a v. 7. ad finem nova corruptio, quae poſt ea tempora Judaeos occuparet, et Judicium per Romanos exſequendum repreſentatur; quare apte immiſcentur Prophetiae de Meſſiae adventu v. 16.

Capp. XXXI---XXXIII continuo repraeſentantur Fata a Clade Ephraimitarum per Salmanaſſarem ad tempus Chriſti uſque (1) Ephraimitarum ab Ægyptiis auxilium petentium deſtructio deſcribitur Cap. XXXI: v. 1 et 4. per Salmanaſſarem: (2) Hieroſolymae liberatio a Senacheribo et illius clades; ſimul felix Reipublicae conditio ſub Hiſkia ut Typus Eccleſiae Chriſtianae, v. 5---Cap. XXXII. 8. (3) Judaeorum in eadem peccata incidentium deſtructio per Babylonios, ſed cum laetiſſima cataſtrophe per Meſſiam, v. 9---20. Quam tamen (4) felicitatem non attingerent Judaei niſi poſt Judicium Epiphanicum, quod toto Capite XXXIII. depingitur.

§. XVI. Pergo ad *Jeremiam*, et quidem ad duo illa ſelectiora Capita XXX et XXXI; ad quorum intellectum in genere obſervandum, hic in unum quaſi volumen compingi varias Revelationes variis temporibus Jeremiae factas, ut liquet ex principio Cap. XXX*mi*. Continentur ergo in iis *Capp*. variae Pericopae, quae vel omnia, vel nonnulla fata Judaeorum comprehendunt

hendunt post Exilium Babylonicum: quarum Pericoparum Character est Formula praemissa: *sic dixit Dominus*, unde semper nova incipit. Propositum non est, omnes illas percurrere, quod in comment: ad Jeremiam feci: sed aliquas tantum ad scopum nostrum seligam.

Capite XXX a v. 18 ad finem, Liberatio Populi ex Exilio Babylonico, ejusque Fata usque ad Destructionem per Romanos ordine repraesentantur.

Capitis XXXI Pericopâ 1*ma* v. 2---6 habemus Reductionem Populi ab Exilio, ejusque instaurationem et felicitatem sub Maccabaeis, terminandam in Nova OEconomia. *Secundae* Pericopae v. 7---14 partes sunt sequentes: (1) Liberatio publice proclamatur, et omnes Gentes ad eam celebrandam provocantur v. 7---11. quia manifestatio Messiae a Populi Liberatione pendebat, et haec Redemtionis spiritualis typus erat, et haec illius complementum. (2) Summa Gentis prosperitas, qua suo frueretur tempore, exhibetur v. 12---14. *Tertia* Pericopa v. 15---22. continet (1) lugentium in Exilio consolationem per Promissum Liberationis v. 15---20. (2) Adhortationem Reliquiarum in Exilio ad Lares patrios repetendos v. 21, 22. ratione quoque ultimo petita a Christi manifestatione in illa Terra. *Quarta* Pericopa v. 23---34. Liberationem ab Exilio, perfectam instaurationem, et Oeconomiae Novae Erectionem et Complementum ordine recenset.

§. XVII. Ex *Ezechiele* unicum proferam exemplum Cap. XXXIV. (1) v. 1---11. Corruptio Populi, et praecipue Rectorum et Regum Judae, tum et dispersio et Posterorum Excidium, adeoque Calamitas in Babylon. Exilio terminata, explicatur. (2) v. 11---15. Reductio in terram, et perfecta instauratio sub Maccabaeis. (3) Benedictio populi illis temporibus v. 14---16. (4) Nova corruptio et secuturum Judicium per Romanos v. 17---21. (5) Denique Liberatio spiritualis per Messiam.

§. XVIII. Reliquis missis, quae directe ad scopum non faciunt, pergo ad *Joëlem*; ut illius Libri generalem dem con-

 spectum.

ſpectum. De horribili Calamitate per Locuſtas in Canaane, et inſigni Benedictione ſecutura, tum temporali, tum ſpirituali per Meſſiam, agitur III. primis Capp. et haec eſt *prior* Concio Prophetica. *Poſterior* tum hoſtium poſt Exilium Babyl. Populum Judaeum affligentium deſtructionem, tum Temporum eorum felicitatem deſcribit cum complemento ſub Meſſia, Capite IV. Propoſitum non eſt, diu hic morari, quod ſcopus non permittit, et in Comment. ad Proph. minores feci. Tantum dicam, per Locuſtas intelligi utroque Capite hoſtes et eorum Expeditiones. Habemus ſecundum hanc Hypotheſin ſequentia Fata ordine ſucceſſura, tribus *primis* cap. (1) Judicium per Aſſyrios, cui tamen Judaei ſunt erepti; quod eſt argumentum Cap. 1mi. (2) Captivitas Babylonica Cap. II: 1---11. (3) Converſio et Liberatio Populi v. 12--14. (4) Calamitas Epiphanica v. 15---17. (5) Liberatio per Maccabaeos v. 18---20. (6) Felicitas Populi ſub Maccabaeis v. 21---27. (7) Novi Teſtamenti introductio, Cap. III: 1, 2. (8) Tandem ultima et finalis OEconomiae Veteris Deſtructio, v. 3 ad finem.

§. XIX. Notabilis hanc in rem quoque eſt ſecunda *Michae* Concio omnia fere Fata Iſraelitarum ordine comprehendens, Capp. III---V. Tres ſunt hujus Libri in totum Conciones Propheticae, quarum *prima* Capp. I et II*do*. cum conteſtatione adverſus peccata populi incipit, et in luculento promiſſo Liberationis et Proſperitatis reſtituendae deſinit. Dein *ſecunda* Concio Cap. III---V has habet partes: (1) Crimina magna Populi, falſorum Prophetarum, et Judicia illis incumbentia depinguntur Cap. III: 1---8. (2) Deſtructio Hieroſolymae per Babylonios v. 9---12. (3) Per parentheſin inſerto luculento promiſſo Meſſiae ejusque Regni ſuo tempore inter Reduces erigendi, ut fundamento et complemento omnium promiſſorum. Cap. IV: 1---8. pergit Propheta in enarrandis Fatis Populi, et Liberationem ejus ac inſtaurationem clare praedicit v. 9, 10. (4) Calamitas Epiphanica v. 11. (5) Illuſtriſſima vindicatio Populi, et vicinorum hoſtium deſtructio per Maccabaeos

baeos v. 12, 13. (6) Nova Subjugatio a Romanis v. 14. (7) Luculentum adventus Messiae promissum Cap. V: 1--3. Quae dein subjunguntur inde a v. 4, pertinent ad Tempora Maccabaica illustranda, de quibus strictim tantum egerat.

§. XX. Pergo ad *Habakukum:* cum Cap. I. et II*do* de Corruptione Populi Judaici, Judicio Divino in illos per Chaldaeos exsequendo, ac Babyloniorum destructione, inserto obiter promisso Messiae, egisset; dein Cap. III*tio* insigni Ode Populi Liberationem a Chaldaeis, Syris et Romanis praenunciat: sunt autem ejus Partes sequentes: (1) Liberatio ab Exilio Babyl. proponitur v. 2*do*. (2) Illustratur ex comparatione cum apparitione Dei in Sinai ejusque consequentibus, v. 3---11. (3) Specialius proponitur respectu hostium debellandorum; et quidem Babyloniorum v. 12, 13. Syrorum v. 14. Romanorum v. 15. quocum conferri meretur Jes. XLIII: 16. (4) Epilogus complexus, a. commotionem; b. Patientiam et Spem; c. Laetitiam postea, v. 16 usque ad finem.

§. XXI. Finem denique huic Tractationi Generali imponat celeberrima illa Ode, quae Doctorum ingenia valde torsit, necdum tamen intellecta, *Psalm. CVII*, ad cujus intellectum observanda: (1) Psalmum in Exilio Babyl. videri conscriptum, ut ex initio, praecipue v. 6*to*, et ex fine Psalmi praecedentis, praecipue v. 47, liquet. (2) Psalmum Fata sequentium temporum conplecti usque ad plenissimam Ecclesiae verae a falsa separationem cum hujus destructione plenaria. Tres Psalmi CV, CVI et CVII omnino secum cohaerent, ab uno Auctore eodem tempore compositi, ut eorum Meditatio unumquemque docebit. Cum autem duobus praecedentibus Beneficia praeterita in Judaeos collata usque ad Exilium Babylonicum essent celebrata, fundamenti loco ea substernuntur, quibus exspectatio futurarum liberationum inniti posset, et spes Ecclesiae fulciri; Hic ergo Psalmus Beneficia Dei in Ecclesiam usque ad plenissimam ejus a Judaeis carnalibus separationem ordine recenset. (1) Liberatio ab Exilio Babyl. et Reductio in Cananaeam, v. 1---9. (2) Vindicatio ab Afflictione Epi-

phanica v. 10---16. (3) Restitutio Ecclesiae corruptae in integrum per Evangelium v. 17---22. (4) Liberatio Ecclesiae ex horribili tempestate, quae Rempublicam Judaicam destruxit, v. 23---32. (5) Diversissima Judaeorum et Christianorum conditio ad finem Psalmi. Vid. Comment. noster.

Praeter hunc Psalmum possem afferre *Ps. LXVIII*; sed cum ejus exegesin in Comment. dederim, eum nunc missum facio.

§. XXII. B. Pergo itaque ad *Tractationem particularem*, *quae* ad singulas V. T. Periodos pertinet. Septem supra recensui Periodos: sed duae primae hic a nobis praetermittuntur, quia Prophetae, qui nobis supersunt, post Periodum I vixerunt maximam partem; II*da*. autem Periodus ubique per omnes Prophetias sparsa est: corrupti enim Populi Israelis et Judae mores ante Exilium Assyr. et Babyl. ab omnibus protracti sunt Prophetis in lucem. Ergo reliquas Periodos V. nunc investigabimus, quantum ad intellectum Verbi Prophetici sufficit.

א. Quod ergo ad *Periodum III* attinet; Prophetias, quae Calamitates Israeli et Judae ab Assyriis et Babyloniis illatas describunt, si quis in ordinem et certas Classes redigere velit, illi duo agenda sunt: (1) ipsa Fata cum causis et circumstantiis *illustranda* sunt e Prophetiis; (2) Fati illius tristis verus conspectus in lucem proferendus est.

a. Quod ad prius: (1) ad ipsam afflictionem pertinent Mala partim divinitus inflicta, ut fames, sterilitas &c. partim ab hominibus, ut Bellum, Vastatio, Urbium desolatio, Hierosolymae et Templi destructio, Populi deportatio in exilium, adeoque totius Regni Excidium. (2) Causae efficientes sunt Assyrii et Babylonii; impellentes autem defectio Judaeorum ab illis, et praecipue eorum hostium ambitio. (3) Circumstantiae sunt Loci, et Temporis, tum initii, tum durationis: Quae omnia a Verbi Prophetici studioso accurate cognosci, et ei in promptu esse debent.

§. XXIII. b. Ad Calamitatis *conspectum* verum pertinet, relatio-

relationem ejus ad Deum et Populum, ipsamque ejus conditionem, et effecta quoque, consideraſſe. Methodus autem a Verbi Prophetici studioso haec non sine fructu observari poterit, ut singulas Prophetias ad hanc Periodum Calamitatis Assyr. et Babyl. pertinentes collectas, accurata subigat meditatione, et quid singulae de ea Periodo habeant, probe adnotet, et hac ratione generalia constituat Capita, ad quae Prophetias ejusdem generis referat. Nos autem hanc Methodum nunc seponemus. Prophetias, quae ad ipsam Calamitatem ejusque caussas et circumstantias pertinent, plurimas collegit Clar. Gulichius Per. IV. Artic. 65. ne alios memorem; quibus plures addi possunt: sed illae cum omnibus sint obviae, nec adeo difficiles, moras hic non traham. Verum, quod ab aliis neglectum, et tamen maximi usus est, versabimur accurate in demonstrando hujus Calamitatis vero *conspectu* secundum Verbum Propheticum. Unde et illa carpetur utilitas, quod instar Characteris sit, ad Prophetias varias, quae de illa agunt, explicandas et dijudicandas. Habent Prophetiae inter alia et hunc insignem usum, quod in verum Fatorum intellectum et conspectum ducere nos soleant.

α. *Primo* Destructionem Regni Israelis et Judae, eamque subsecutum Exilium, declarant Prophetae emanaſſe ex ira et excandescentia Dei; ut Zach. I: 2, 12, 15. Sic et Cap. VIII: 14. saepeque alibi: *Et quidem* ex magna *Dei ira*, Jerem. XXI: 5. XXXII: 37. Thren. V: 22. Quo et pertinet (quod non ita vulgatum est) Phrasis *Summum irae Dei*, quemadmodum verti debet, על אפי 2 Reg. XXIV: 20. Jerem. XXXII: 31. Adhiberi quoque solet Phrasis *Occultationis faciei Dei*, et *discessus Dei a populo*: Prior Jes. LIV: 8. Deut. XXXII: 20. Sic Deus apud Hoseam Cap. IX: 12. dicit: *vae illis, quum ab illis discessero.* Fuit ergo vero conspectu Judicium Dei gravissimum, et ex ejus justitia profectum, quo peccata Populi non amplius ferenda vindicavit, illumque gravissime afflixit ut Judex. Sed

β. Tamen non iram puram, sed longanimitate

temperatam declarant Prophetae produxisse hanc Afflictionem: sic Jes. LIV: 8. Zach. I: 15. Memorant quidem plenissimam iram; sed moderatus est Deus ob promissa Patribus facta; ne ad Nominis Dei contumeliam Gentes id traherent; Deut. XXXII: 27. Ezech. XXXVI: 21, 22. Unde

γ. Sponte colligitur, Judicium id Dei habuisse temperamentum, et consummatam non attulisse ruinam; ut Prophetae quoque praedixerunt, Jerem. IV: 27. V: 10, 18. *XXX*: 11. XLVI: 28. et alibi; Amos IX: 7 *seqq.*

§. XXIV. δ. Judicium itaque illud conspectum castigationis seu correctionis severissimae, et purgationis, refert secundum Prophetias: sic Jerem. *XXX*: 12. XLVI: 28. Ita ut impiorum et impoenitentium interitum, et reliquorum conversionem, et Populi ab Idololatria purgationem, apportaret, quod clare dicitur Jes. I: 24, 25. *hui! consolationem capiam super hostibus meis, et vindicabor ab inimicis: et referam manum meam super te; purgabo ad liquidum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum.* Sic de Impiorum excidio Ezech. XI: 21. XXXVI: 21. Levit. quoque XXVI: 38. Sic destructio Regni Israelis foret perpetua Amos. I: 8. Reliquum autem Populum ab Idololatria ad verum Deum se conversurum esse, multa docent Vaticinia: Moses ejus jam meminit Deut. *XXX*: 2. sic Jes. II: 20. *XXX*: 22. Jerem. *III*: *21---25*. sic cap. XXIV. sub Emblemate duarum corbium, quarum altera bonarum, altera malarum ficuum plena erat, diversa Populi, impoenitentium et poenitentium, in Exilio conditio repraesentatur; et ex Cap. XXIII liquet, tempore Jechoniae abductos Exules fuisse reliquis meliores, in quibus haec vaticinia inplementum haberent. De hac conversione quoque egregie Jerem. XXXI: 9, 18, 19. sic et Cap. L: 4. Ezech. VI: 9. Hos. II: 16. V: 15. XIV: 2. Sed conversionem hanc Psalm. XC quoque luculenter demonstrat: compositus quidem ille, teste inscriptione, est a Mose, circa finem morae XL annorum in deserto, de quo criteria in Psalmo obvia unumquemque facile convincent, attamen ipse ille

Psalmus

Psalmus a Viro pio, qui Psalmos collegit, praecedenti, tanquam ejus Appendix, est subjunctus, et ad extrema Exilii Babylon tempora accommodatus in signum animi poenitentis, quem Populus in Exilio demonstravit. Vid. quoque Ps. CXV et CXXXVII. Sed, quod negligi non debebat, eo quoque retulerim Pericopam Jes. LXIII: 7----fin. Cap. LXIV. illa enim, licet a Cl. Vitringa referatur ad conversionem Judaeorum generalem, ultimis temporibus adhuc exspectandam, ex nostra opinione non eo, sed ad conversionem Judaeorum in Exilio Babyl. pertinet: (1) quia in Beneficiorum Catalogo, quocum incipit haec Pericopa, nulla fit mentio Liberationis ex Exilio Babylon. aut Calamitate Epiphanica, nulla quoque Messiae. (2) Quia Destructio Hierosolymae praecipue urgetur tanquam Ratio, Deum ad liberandum Populum movere apta, quod non convenit in Judaeos tempore praesentis Exilii, sed unice Exilii Babyl. ut Prophetae ubique demonstrant. (3) Quod Populum Dei se adhuc ibi demonstrent Israelitae, et qua tales Deum orent; sed desinunt esse Populum Dei post Destructionem Romanam; de quo pluribus disserui ad Malach. in fine.

§. XXV. ε Pergo ad ultimum, seu quintum, attributum hujus dispersionis Assyriacae et Babylon. quod probe advertendum; scil. *Universalitatem* illius; ita ut in Septentrionem quidem praecipue, sed et in reliquas Coeli plagas, ut Austrum seu Ægyptum, Orientem per Populos vicinos, Moabitas, Arabes &c. et Occidentem, seu Maris insulas, Graeciam, Italiam, Asiam minorem &c. dispersi sint, partim mox, partim progressu temporis, occasionem dante Exilio Assyr. et Babyl. sic Zach. II: 10. *heu! fugite e Terra Septentrionali, dicit Dominus, quoniam in quatuor Coeli Plagas dispersérim vos:* Supple, *et ex reliquis Coeli Plagis fugite.* sic Deut. *XXX:* 3. Jerem. XXXI: 8. XVI: 15. XXIII: 8. Ezech. XVII: 21. *in omnem ventum;* Cap. XXXIV: 4, 6. de Phrasi hic obvia conf. Jerem. XLIII: 5.

§. XXVI. ב. Sequitur *Periodus IV.* quae Populi Liberationem ab Exilio, et Rerum instaurationem, simul Populi instaurati

rati Statum usque ad Tempora Epiphanica, complectitur. Suppono, omnia, quae ad Historiam spectant, esse nota, vel ex institutionibus nostris Historicis. Nostrum hic fuerit, ejus Periodi verum conspectum e Verbo Prophetico illustrasse: hinc enim passim pendet Applicatio vera Prophetiarum ad hanc Periodum.

a. Primo ergo notandum, Liberationem Populi, quae Misericordiae Dei passim tribuitur, opposite ad Exilium, irae speciem praeferens, ut supra demonstravi, repraesentari passim solere phrasibus *Vivificationis* et *Recollectionis*.

α. Appellatur *Vivificatio*; (1) quod ex Destructione, quae instar mortis erat, est in integrum restitutio; (2) quia populus conversus est et nova Vita donatus; (3) quod Deo ejusque Spiritui hic effectus adscribendus est: ut est Zach. IV. *non vi aut robore*, *sed Spiritu meo*; quemadmodum Deus ipse Cyrum dicitur excitasse, Jes. XLIV: 28.

β. Dicitur et *Recollectio*, qua nil est frequentius; sic Deut. *XXX:* 3. Jerem. XXIII: 3. XXIX: 14. Ezech. XI: 17. *XX:* 34. XXVIII: 25. sed id ubique recurrit. Eo autem epitheto venit *triplici* sensu, corporali, spirituali et politico, quod probe notandum ad intellectum Verbi Prophetici, et multas difficultates removendas. (1) *Corporalis* Recollectio foret, quia redierunt in unam terram, quotquot reversi sunt. (2) *Spiritualis* est vel Religiosa, qua ad unum Cultum, unam Religionem redierunt omnes; quam communionem quoque Judaei et Israelitae, qui in terris peregrinis manserant, demonstrare solebant in Festis solemnibus, quo respicitur Zeph. III: 10. sic et Zach. VI. id satis clare significatur. (3) *Politica*, qua in unam Politiam vel societatem civilem, imo in unum quoque nomen *Judaeorum* coalescerent: sic Ezech. XXXVII: 16 *seqq.* Hos. II: 2. Mich II: 12. de quo et suo loco.

§. XXVII. b. Secundum Attributum Liberationis est *Universalitas* hujus Recollectionis: Prophetae ubique de ea loquuntur ut universali; quod probe tenendum, quum passim hic

errarunt,

errarunt, cum inde collegerunt, Prophetias non ad hanc ſpectare Recollectionem. Sed ita ubique; Deut. *XXX*: 3, 4. Jerem. XXIX: 14. XXIII: 3. XXXII: 37. Ezech. XXVIII: 25. XXXVI: 24. Mich. II: 12. IV: 10. et de *decem* tribubus Iſraelis Hoſ. II et III. de quo egi in nota Diſſ. S. de *ultima converſione Judaeorum* edit. nov. ſubjuncta, vid. quoque Loca modo ad primum attributum citata. Sed hae Prophetiae non eo ſenſu intelligendae, ac ſi omnes omnino Exules corporalem illam Recollectionem acciperent et redirent; id enim Historiae non tantum, ſed et Verbo Prophetico contrarium eſt, e. gr. Jerem. III: 14. ſed hoc ſenſu: (1) quod ex omnibus Tribubus aliqui redirent, Jerem. III: 18. L: 4. (2) Quod Politica et Religioſa Recollectio univerſalis foret. (3) Quod mandatum revertendi fuerit univerſale, et omnibus conceſſa poteſtas; unde eſt, quod illi, qui in Exilio manſerunt, reprehendantur a Prophetis; ſic Jeſ. XLVIII: 20. Jerem. *XX*: 8. XXXI: 6, 21, 22. Hoſ. IX: 3, 4. Zach. II: 10.

§. XXVIII. c. Tertium attributum eſt, Liberationis et Recollectionis beneficium a Prophetis conſiderari ſolere ut connexum cum adventu Meſſiae, quem paſſim illi ſubjungere ſolent, Jerem. III: 14---16. XVI: 16, 19. XXIII: 4 *ſeqq.* XXIV: 6, 7. *XXX*: 9. XXXII. XXXIII: 15. L: 20. Ezech. XI: 17 *ſeqq.* XXXVI: 24 *ſeqq.* Hoſ. III: 5. II: 13, 14. ſed haec ubique in Verbo Prophetico occurrunt. Quae vero Rationes hujus rei? quare Meſſiae adventus, qui a Liberatione hac longe diſtabat, cum ea connectitur?

α. Quia Chriſtus ejuſque OEconomia conſideratur in Verbo Prophetico, uti vere erat, Liberationis hujus fundamentum et complementum; imo vero omnium Liberationum, quae Populo Judaico contigerunt: quo conſpectu venit Prophetia de Meſſia ex Virgine naſcituro Jeſ. VII: 14. inſtar ſigni, quod Achazo datur, ad eum convincendum de inutili invaſione Regum Syriae et Iſraelis ad Regnum Judae delendum. Quod ſignum probe eſt ab alio, mox ſequente, diſtinguendum; Duo enim ſigna dantur, unum Meſſiae eo

tendens, ut OEconomiae V. perpetua cum ſede ejus Hieroſolyma duratio ad Meſſiam usque, ejuſque fundamentum, ad firmaretur, alterum Filii ipſius Prophetae, quem ſecum duxit, ut eſt verſ. 3. eo collineans, ut cita Liberatio Hieroſolymae a praeſente infeſtatione hoſtili repraeſentaretur; quo pertinent verſ. 15 et 16. qui jungendi ſunt, et ad illum Jeſaiae filium unice referendi, uti ex verſ. 16 ubi הנער adpellatur, et cap. VIII: 4. patet. Quod clarius conſpicitur, ſi vox הנער ſtatuatur loco mota, comed et poſt יוכל et verſ. 15. ponatur.

β. Quia Meſſias inter Judaeos in ea Terra Cananaea degentes, abſque ut novum Exilium intercederet, appareret: Exilium Babyl. propterea conſideratur ut medium *duorum* annorum, Habak. III. in initio.

γ. Quia Eccleſia Judaica poſt Exilium ſenſim praepararetur ad Meſſiae adventum, ut ab eo tempore omnia fere ſpectare coeperint ad illuſtrem illum adventum, et Populum praeparaverint. (1) Populus per Exilium jam purgatus erat ab omni Idololatria et ad Deum converſus, adeoque maximo hoc Meſſiae Beneficio non indignus. (2) Studium Legis floreret magis. (3) Gratia Sp. ſ. illuſtrior foret; Doctores inſignes Spiritu Dei animati excitarentur. (4) Synagogae erigerentur, in quibus ſpiritualior obtineret Cultus. (5) Regimine Monarchico abolito, Duces ſuccederent, in quibus Dei Regimen, ut olim, clarius eniteret. *Eccleſia itaque poſt Exilium* ita inſtitueretur, ut ad Meſſiae OEconomiam propius accederet: quae et Ratio eſt, ſed probe notanda, quare Phraſibus iisdem de Liberatione Populi et conditione poſt Exilium, utantur Prophetae, quibus OEconomia Nova deſcribitur, quippe quae Phraſes complementum haberent in OEconomia Nova. Conf. Jeſ. IV: 2. XXVIII: 5, 6. XXIV: 23. XXXII: 15, 20. XXXIII: 22. Jerem. XXXVI: 28. Ezech. XXXIV: 11---17. XXXVI: 24---38. XXXVII: 21 *ſeqq.* Mich. II: 13. Amoſ. IX: 6 et alibi.

§. XXIX. a. *Quarto*, ne Prophetias de Statu Reducum magnificas perverſe interpretemur, ac ſi ea conditio mox poſt Exilium

Exilium per illas Prophetias depingeretur, cum partim in Ecclesia Maccabaica, partim Apostolica, complementum ultimum consecutae sint: ne quis hic haereat, observandum, Prophetas eum Statum Reducum tanquam tenuem et minus prosperum depingere; Populum quoque cito in corruptos mores delapsurum esse, praedixisse: unde genuinus Reducum conspectus sub hac Pericopa in luce collocatur. Sic Zach. I: 8. Ecclesia Reducum assimilatur *myrtaeo in profundo:* Cap. IV: 10. *dies parvorum* memorantur; *Tempus angustiae* Dan. *IX:* 25. quo urbs reaedificaretur: Hinc Regnum Persicum venit sub imagine *Montis applanandi* Zach. IV: 7. Et inter *Cornua arietantia* contra Judaeos referendi, tum Babylonii minitantes seque erigentes, tum vicini Populi Regum Persiae Edictis armati, Zach. II. et hinc *equus niger* adjungitur currui Persico a Zacharia viso Cap. VI. et luctus non nisi tempore Maccabaico abstergeretur, Jerem. *XXXI:* 13. Ps. CXXVI: 5, 6. Hos. *XI:* 7. Sed et corrupti Mores, quos hoc tempore induerent, et per quos severissimum Judicium, per Antiochum Epiphanem exsequendum, provocarent, clare satis descripti sunt: E. gr. Zach. V: 1 seqq. Dan. VIII: 23. praedicitur, *Regem facie fortem Surrecturum esse, cum Praevaricatores* &c. i. e. Judaei. Sed status is nusquam plenius quam apud Malachiam depingitur; qua occasione de Hypothesi Libri hujus interpretandi disputandum foret, nisi id jam factum esset in Commentario meo ad illum.

§. XXX. 3. *Periodus Vta* complectitur gravissimam Afflictionem et Persecutionem quoque Religionis causa ab Antiocho Epiphane et Syro-Macedonibus, de qua Prophetae saepe et luculenter vaticinati sunt. Praeter Generales Prophetias supra prolatas huc referendae, et accurata meditatione subigendae sunt sequentes Prophetiae: Jes. XXIV. *XXXIII:* 7 Seqq. LIV: 8. Dan. VIII: 9--14, 17. *XI:* 37 Seqq. Ps. X. XLII. XLIII. et LXXIV. LXXIX. LXXX. Nos pro more quaedam Observata ex Prophetiis proferemus ad verum hujus Periodi conspectum in luce ponendum et Characteres suppeditandos,

tandos, e quibus haec Periodus in Verbo Prophetico dignosci potest. Huc sequentia praecipue ad Verbi Prophetici interpretationem multum faciunt.

a. Afflictionem fore quidem gravissimam, quae Rempublicam et Religionem subverteret, Judaeos partim terra expelleret, partim occideret, partim in cavernas terrae propelleret, omnia longe lateque vastitate et miseriis repleret; attamen quae Hierosolymae et Templi destructionem non afferret, nec et Exilium Populi, in quo haec Afflictio differt a Babylonica et Romana: Conf. Ps. LXXIV et LXXIX, et LXXX. Jes. XXIV. XXXIII. et Dan. VII, VIII. Quo et pertinet, quod Antiochus dicatur *effractor*, Mich. II: 12.

§. XXXI. b. *Secundus* Character est, Calamitatem non diu duraturam: sic Jes. LIV: 8. *pauxillo irae exundantis abscondi faciem meam momento abs te:* Sic antea Cap. XXVI: 20. *latita popule mi! paululum, donec transeat excandescentia.* Et hoc criterium est hujus afflictionis, quo differt a Babylonica et Romana; haec adhuc durat; illa per LXX annos duravit, nec de ea haec phrasis usurpatur, nisi quis Jes. LIV: 7. eo referre velit; quod non necesse. Ceterum Afflictio Epiphanica, si eam late sumas, duravit annos XXIV, ab initio profanati Templi usque ad initium Simonis Ethnarchae. Sed proprie tempus Templi polluti, cum vis Afflictionis praecipue incubuit, tantum III annos et dimidium duravit; quod e Josepho constat et Libr. Maccab.; Anno enim Aerae Seleuc. CXLV incepit, et anno CXLVIII repurgatum est Templum; imo temporis ab Edicto Regis de abneganda Religione, cum proprie institui coepit Persecutio ob Religionem, ad initium vindictae, quam Judas Maccabaeus coepit exsequi, spatium tantum unius anni lapsum est: Edictum enim alligatur anno Seleucid. Ærae CXLV, et initium Judae anno sequenti. Daniel autem bis durationem ejus Afflictionis definivit, Cap. VIII: 14. et XII: 7, et circa finem: sed haec in Diss. et Comment: ad Dan. fusius exposui.

§. XXXII. c. *Tertium* Criterium hujus temporis, quod licet

licet aliis quoque Judiciis Dei adſcribatur, huic tamen in emphaſi vindicatur, eſt, quod Severiſſimae Irae Dei fuerit tempus, quo Deus tum Hypocritas delevit, tum populum ſuum caſtigavit ſeveriſſime: ſic Jeſ. XXVI: 20. et LIV: 8. ut modo habuimus. Sed clarisſime Character hic conſignatus eſt Dan. VIII: 19. ubi Gabriël ad Danielem: *ecce notum tibi facio id quod futurum eſt in extremi temporis ſeveritate; quod finis erit ſtatuto tempore.* Tempus ſeveritatis continet omne tempus, quo Populus ab exteris Principibus afflictus eſt; ſed extremum ejus faceret Calamitas Epiphanica. Sic et Dan. IX: 36. de Antiocho: *et proſpere aget uſque quo conſummata fuerit ſeveritas.* Sic quoque Pſalmi citati id innuunt: et Hiſtoria ipſa id agnoſcit, ut 1 Maccab. *II:* 49. 2 Maccab. VII: 38. Tamen.

d. Hujus ſeveritatis duplex foret conſpectus: alter impiorum deſtructionem, alter piorum caſtigationem continet. Afflictio ſc. illa per graviſſima crimina ſecundum Verbum quoque Propheticum provocaretur, et in capita impiorum praecipue recideret ad eos delendos: ſic Jeſ. *XXIV:* 5. et LVI. LIX. Zach. v: 1. Quod ipſum quoque Deut. *XXXII.* repraeſentatur, ubi Jſrael foedifragus comparatur cum Vite Sodomitica.

§. *XXXIII.* e. *Quinto*, nullus hujus temporis Character magis inſignis eſſet eo, quem Perſecutionis conſpectus exhibet: Judaei enim hoc tempore tentarentur, explorarentur per idololatriae introductionem publicam in terram, et, ſi Patriae Religioni renunciare nollent, graviſſime vexarentur; quod novum erat Afflictionis genus, cujus ad id uſque tempus in orbe non fuerat exemplum: ſic diſerte Pſ. XLIV: 23. *Tui cauſa occidimur, mactamur omni die; et reputamur ut oves mactationi deſtinatae.* Sic et Pſ. LXXIX: 2, 10, 11. XCIV. et alibi.

f. *Sexto*, hoc Tempus, tanquam quo vera Religio atque Populus Dei publicae contumeliae exponeretur, conſideratur in Verbo Prophetico. Velamen quaſi omnibus

tandos, e quibus haec Periodus in Verbo Prophetico dignosci potest. Huc sequentia praecipue ad Verbi Prophetici interpretationem multum faciunt.

a. Afflictionem fore quidem gravissimam, quae Rempublicam et Religionem subverteret, Judaeos partim terra expelleret, partim occideret, partim in cavernas terrae propelleret, omnia longe lateque vastitate et miseriis repleret; attamen quae Hierosolymae et Templi destructionem non afferret, nec et Exilium Populi, in quo haec Afflictio differt a Babylonica et Romana: Conf. Ps. LXXIV et LXXIX, et LXXX. Jes. XXIV. XXXIII. et Dan. VII, VIII. Quo et pertinet, quod Antiochus dicatur *effractor*, Mich. II: 12.

§. XXXI. b. *Secundus* Character est, Calamitatem non diu duraturam: sic Jes. LIV: 8. *pauxillo irae exundantis abscondi faciem meam momento abs te:* Sic antea Cap. XXVI: 20. *latita popule mi! paululum, donec transeat excandescentia.* Et hoc criterium est hujus afflictionis, quo differt a Babylonica et Romana; haec adhuc durat; illa per LXX annos duravit, nec de ea haec phrasis usurpatur, nisi quis Jes. LIV: 7. eo referre velit; quod non necesse. Ceterum Afflictio Epiphanica, si eam late sumas, duravit annos XXIV, ab initio profanati Templi usque ad initium Simonis Ethnarchae. Sed proprie tempus Templi polluti, cum vis Afflictionis praecipue incubuit, tantum III annos et dimidium duravit; quod e Josepho constat et Libr. Maccab.; Anno enim Aerae Seleuc. CXLV incepit, et anno CXLVIII repurgatum est Templum; imo temporis ab Edicto Regis de abneganda Religione, cum proprie institui coepit Persecutio ob Religionem, ad initium vindictae, quam Judas Maccabaeus coepit exsequi, spatium tantum unius anni lapsum est: Edictum enim alligatur anno Seleucid. Ærae CXLV, et initium Judae anno sequenti. Daniel autem bis durationem ejus Afflictionis definivit, Cap. VIII: 14. et XII: 7, et circa finem: sed haec in Diss. et Comment: ad Dan. fusius exposui.

§. XXXII. c. *Tertium* Criterium hujus temporis, quod licet

licet aliis quoque Judiciis Dei adſcribatur, huic tamen in emphaſi vindicatur, eſt, quod Severiſſimae Irae Dei fuerit tempus, quo Deus tum Hypocritas delevit, tum populum ſuum caſtigavit ſeveriſſime: ſic Jeſ. XXVI: 20. et LIV: 8. ut modo habuimus. Sed clarisſime Character hic conſignatus eſt Dan. VIII: 19. ubi Gabriël ad Danielem: *ecce notum tibi facio id quod futurum eſt in extremi temporis ſeveritate; quod finis erit ſtatuto tempore.* Tempus ſeveritatis continet omne tempus, quo Populus ab exteris Principibus afflictus eſt; ſed extremum ejus faceret Calamitas Epiphanica. Sic et Dan. IX: 36. de Antiocho: *et proſpere aget uſque quo conſummata fuerit ſeveritas.* Sic quoque Pſalmi citati id innuunt: et Hiſtoria ipſa id agnoſcit, ut 1 Maccab. *II:* 49. 2 Maccab. VII: 38. Tamen.

d. Hujus ſeveritatis duplex foret conſpectus: alter impiorum deſtructionem, alter piorum caſtigationem continet. Afflictio ſc. illa per graviſſima crimina ſecundum Verbum quoque Propheticum provocaretur, et in capita impiorum praecipue recideret ad eos delendos: ſic Jeſ. *XXIV:* 5. et LVI. LIX. Zach. v: 1. Quod ipſum quoque Deut. *XXXII.* repraeſentatur, ubi Jſrael foedifragus comparatur cum Vite Sodomitica.

§. *XXXIII.* e. *Quinto*, nullus hujus temporis Character magis inſignis eſſet eo, quem Perſecutionis conſpectus exhibet: Judaei enim hoc tempore tentarentur, explorarentur per idololatriae introductionem publicam in terram, et, ſi Patriae Religioni renunciare nollent, graviſſime vexarentur; quod novum erat Afflictionis genus, cujus ad id uſque tempus in orbe non fuerat exemplum: ſic diſerte Pſ. XLIV: 23. *Tui cauſa occidimur, mactamur omni die; et reputamur ut oves mactationi deſtinatae.* Sic et Pſ. LXXIX: 2, 10, 11. XCIV. et alibi.

f. *Sexto*, hoc Tempus, tanquam quo vera Religio atque Populus Dei publicae contumeliae exponeretur, conſideratur in Verbo Prophetico. Velamen quaſi omnibus

Gentibus impositum Religionis Israelitarum respectu, quatenus de ea ex hac Afflictione sinistre judicare deberent, quod velum ablatum dicitur per illustrem Liberationem, Jes. XXV: 7. et v. 8. diserte dicitur: *opprobrium Populi Sublatum esse:* Conf. et Ps. XLIV: 14. LXXIV: 10, 18, 22. LXXIX: 4, 10. Tandem.

g. *Septimo* observandum; hanc ipsam Afflictionem considerari ut ultimam, Scil. usque ad finem OEconomiae Vet. Post non alia foret, donec cessaret illa OEconomia. Vid. Joel II: 19, 27. Amos. *IX:* 15. Jes. LI: 22. Jerem. *XXX:* 8, 11. Joel. IV: 17. Seqq. Mich. IV: 5, 7.

§. XXXIV. ד. Sequitur *Periodus VIta*, quae Populi Judaei, post gravissima certamina, gloriosissimam Liberationem per Maccabaeos Heroas complectitur; ejusque Populi in longe excellentiorem Statum instaurationem repraesentat. Haec Periodus a Judae Maccabaei tempore se extendit ad Hyrcanum et Aristobulum fratres, Alexandri Jannaei filios, quorum lites occasionem dederunt Romanis Judaeam subigendi per Pompejum Magnum; a quo tempore Res Judaeorum coeperunt vergere ad finem. Initium et finis hujus Periodi minus laeta fuerunt: in initio sub Juda et Jonathane continuo cum hostibus certare debuerunt; a Simone autem Libertas, et a Joh. Hyrcano praecipue Prosperitas repetenda est. Sub finem autem Periodi corruptio jam coepit Populum occupare sub Alexandro Jannaeo. Haec Periodus, quae dici solet *Maccabaica*, meretur accuratiorem Tractationem, quam hic praestare possumus. Multae ad eam pertinent Prophetiae et Psalmi, quae vel integram Periodum illustrant, vel aliquam partem; sive vindicationem in libertatem, et hostium Strages per Maccabaeos ob oculos sistant, sive multiplicationem Populi supra Patres, sive prosperitatem Reipublicae et Ecclesiae exhibeant. Dabo aliquem Catalogum Prophetiarum, quae hanc in rem accuratam merentur meditationem: Jes. XXV. XXVI. *XXX:* 19.---finem. *XXXIII.* XLI: 8---14. XLIII: 2. XLV: 14. LI: 17---23. Jerem. *III:*

III: 16. *XII*: 16, 17. XXX. *XXXI*. Hos. *II*: a v. 17. XI: a v. 8. XIV: 5---fin. Mich. *II*: 12, 13. IV: 11---v. 4--- apud Zach. ubique; Psalmi X, LIII. LXVIII: 22-----fin. LXXXV. LXXXVII. Sensu secundario, LXXXIX. XCI---- XCIII. XCVIII. XCIX. CVII: 10---16. CXI---CXIII. CXV. CXVIII. CXXI. CXXIII. CXXV. CXLVI--CL. Alia Loca in ipsa Tractatione occurrent, vel attento Lectori sponte in mentem venient. Nos pro more praecipuos hujus Periodi Characteres e Verbo Prophetico protrahemus in lucem, ut verum ejus conspectum pandamus.

§. XXXV. a. Sicut Liberatio ex Exilio Babyl., ita et haec Populi vindicatio dicitur *Recollectio* Mich. II: 12. sed in specie *Vivificationis* et *Resuscitationis* sub imagine occurrit: sic Jes. XXVI: 19. *vivent mortui tui*, (tui scil. causa occisi,) *vivent*, (sc. in Populo restituto,) *resurgent; expergiscimini et cantate habitatores pulveris; quia ros olerum ros tuus, et terra mortuos suos edet.* Ubi vid. Cl. Vitringa. Hos. VI: 1, 2. ubi *primus dies* est, ad Exilium Babylon. *secundus*, ad Afflictionem Epiphanicam, *tertius*, ad Messiam. Sic Ps. LXXXV: 7. Et clarissime Dan. XII: 2. Conf. quoque Esr. IX: 8. Ratio ejus phraseos e dictis ad Period. Vtam et Historia Maccabaica clare elucet. Vid. quae dixi ad Dan. l. c.

b. Liberatio contingeret per vindictam ab hostibus sumendam ab Heroibus Spiritu Dei actis, cum claris auxilii Divini signis, adeoque gloriosissime, licet non sine lucta: sic Jes. XXV: 4, 5. XXVI: 1, 12. et ubique id opus Deo tribuitur; Cap. XXVIII: 6. *Jehova* dicitur *futurus in fortitudinem retundentibus bellum versus portam*; scil. hostium. Grassarentur illi Heroës ad Damascum vel Antiochiam usque, Syros in ipsa illorum Terra invasuri: Cap. *XXXIII*: 10, 11. XLI: 8----13. Clare Mich. II: 13. IV: 13. V: 4 *seqq.* Sic Zach. *IX*: 13. *X*: 5. Vid. et Cap. *XII*. et ubique in Zach. Sunt etiam illi e Fabrorum numero, qui cornua hostium retunderent, Zach. II. Ex Psalmis praecipue vid. CXVIII. et CXLIX. Huc et pertinet Lapis in *imaginem irruens*, *Dan. II.* et Judicii Di-

 vini

vini descriptio Cap. VII. Vid. Diss. nostrae ad visa Dan. Vid. et Cap. XI et XII. de quibus egi ad Danielem.

§. XXXVI. Certamine hoc cum Persecutoribus Syris gloriose ad finem perducto per Maccabaeos

c. Respublica et Ecclesia in gloriosissimo et felicissimo collocaretur Statu, qui nunc ex Verbo Prophetico in lucem proferendus:

α. Huc pertinet, quod Populus in immensum excresceret numerum, et supra ipsos Patres multiplicaretur, secundum praedictionem Mosis Deut. *XXX*. ita ut extra fines Cananaeae longe lateque proserperet, et se in quasvis terras disseminaret: vid. Jeremiae III: 16. XXIII: 3. *XXX*: 19. Ezech. XXXVI: 10 *seqq*. Hos. I: 10. Mich. II: 12. quo et tendit Visum Zachariae Cap. II. de mensuranda Hierosolyma. Vid. quoque Ps. LXXXVII: 5. CXXVIII. de multiplicatione prolis: CXLVII: 13. De implemento consul. Gurtlerus Cap. *XX*. et hist. nostra Eccles. V. T.

β. Regnum Populi Israelis ac dominium se longius extenderet, quam unquam fecerat: Populos vicinos sibi subjiceret, Philisthaeos, Phoenices, Moabitas, Ammonitas, Idumaeos &c. Sic Jes. XXVI: 15. *addidisti huic Genti &c.* Vid. et Obadj. v. 18 *seqq*. Mich. IV: 13. V: 7, 8. Zach. IX: 1 *seqq*. in specie de Idumaeis Numer. XXIV: 18. Obadj. v. 21. Ezech. XXV: 14. XXXV. et Malach. I: 4. De Ammonitis Jerem. XLIX: 2. De Moabitis et Ammonitis Zeph. II: 8, 9. Sed de Moabitis, cum quibus hoc tempore confusi Ammonitae, qui communi Arabum nomine veniebant, clarum Vaticinium extat Jes. XXV: 10, 11. ubi vid. Cl. Vitringa, de Tyriis, Sydoniis et Palaestinis Joel IV: 4 *seqq*. et Zach. IX. ut et Zeph. *II:* 7. Et de generali implemento ad hosce Populos pertinente egregius extat Josephi locus Antiquitat. L. XIII: Cap. 23.

§. XXXVII. γ. Multitudo Proselytorum, qui Religionem Judaicam susciperent, tum valde insignis foret; estque id luculentum Temporis Maccabaici criterium apud Prophetas: Vid.

Vid. Jerem. XII: 16, 17. de AEgyptiis, Cuſchaeis, Zabaeis Jeſ. XLV: 14. in ſpecie de AEgyptiis Jeſ. XVIII: 7. XIX: 18 *ſeqq.* ubi vid. Cl. Vitr. de implemento: de Idumaeis Obadj. v. 21. De Phoeniciorum et Tyriorum converſione Jeſ. XXIII: 18. et Zach. IX. Quae omnes Prophetiae ſummum quidem complementum ſub Euangelio conſecutae, ſed anticipatam habuerunt in Eccleſia Maccabaica.

δ. Alii Populi, qui Religionem Judaicam quidem non profiterentur, revereri tamen eam inciperent, et Gloria Dei iis innoteſceret, ita ut Dominum Deum Iſraelis inciperent colere, et Populum Dei honorarent. Opprobrium enim per Afflictionem Epiphanicam inflictum auferretur, et nomen Dei innoteſceret Gentibus; de quo egregius locus eſt Jeſ. *XXX:* 3. *propterea te honorabit Populus validus, Civitas Gentium violentarum reverebitur te:* Quod de Romanis, Syris aliisque verum eſſe deprehenſum, probavit Cl. Vitringa. Ceterum de Templo et Religione Judaica a Romanis, in ſpecie Auguſto, honoratis, videatur *Philonis Legatio.* Plura produxit Walaeus ad Joh. XII: 20. Seldenus de Jure N. et G. L. III. C. 4. Pfannerus Theol. Gentil. Cap. XXII.

§. XXXVIII. ε. Omne genus Bonis corporalibus, quae Benedictionis nomine veniunt ſub Vet. OEconomia, adfluerent, et ea ratione ſupra Patres opibus, gloria, et omnium copia abundarent, *ſicut promiſſum Moſis habet Deut. XXX.* quod Prophetae ſaepe promiſerunt diſerte, ut Jerem. XXXI. per totum fere Caput; Mich. V: 6. Amoſ. IX: 13. Joel *III:* 18. Vide quoque Jeſ. *XXX:* 23 *ſeqq.* Ezech. XXXVI: 28 *ſeqq.* Hoſ. II: 22. Zeph. *III.* et huc pertinent quinque ultimi Pſalmi inde a CXLVIto.

ζ. Inter ea Bona in ſpecie memoratur longaevitas et ſecuritas, ſeu longa et firma Pax; Vid. Jeſ. XXVI: 1, 12. XXXIII: 9, 11. Jer. XXXI: 13. XXXII: 37. Zeph. *III:* 14. Joël IV: 17. Zach. *II:* 9. VIII: 4. De implemento 1 Maccab. XIV: 6.

η. Huc et pertinet, Judaeorum et Ephraimitarum

tarum distinctione et aemulatione sublata, unum Populum fore, et omnes in unam Societatem Politicam et Religiosam coalituros esse: Vid. Ezech. XXXVII 15 *seqq.* Mich. II: 12. et egregie Zeph. III: 10, 11. loco notabili, paucis illustrando. Verba ita habent: *tunc enim vertam ad populos labium purum, quo omnes invocent nomen Jehovae, ipsique serviant humero uno: e trans fluvios Cuschitidis supplices mei, filja dispersorum meorum adferent munus meum.* Quae hac paraphrasi illustrare liceat. Dixi, vos, o pii de populo meo! exspectaturos esse donec dies generalis judicii mei adluxerit; nec frustra id dixi; nam post illud judicium laetiora vobis adfulgebunt tempora, quibus cultus meus in toto populo primum instaurabitur, faciam enim, ut populi nunc divisi, et impuris labiis praediti, *labium* consequantur *unum* et *purum*, quo nomen meum unitis animis et vocibus sunt invocaturi, mihique uno humero servituri. Etsi enim dissitis in locis multi sint mansuri, illi nihilominus unionem sunt demonstraturi animorum. Qui enim trans fluvios Cuschi sunt versaturi in AEgypto, et Assyria seu Transeuphratensibus regionibus (de his enim cogitare etiam licet, phrasi permittente, cum, quod Euphrates Arabiam, seu Cusch, terminet, tum, ubi se in sinum Persicum exonerat, *alveus* dicitur, qui adluit terram Cusch Gen. II.) munera deferent Hierosolymam, meque colent. Cohaeret Pericopa cum initio vers. *9ni*, ubi dixerat Deus *exspectate* me: quod beneficium a Deo praestandum involvebat; cujus hic rationem reddit et bonorum illorum catalogum texit. Interpretes de Gentium conversione sub Euangelio interpretari solent, sed obstat 1. quod עמים hic adpellentur, et vers. 9. גוים indicio alios hic intelligi, ac vers. 9. 2. Populi absolute vocentur sine ullo addito epitheto, secus ac vers. 20. ubi *populi terrae* memorantur. 3. Populi sint, qui antea Deum verum quidem invocaverant, sed *labio inpuro* et animis divisis; qui illud in posterum unitius et purius facerent: quod in Gentes non quadrat. 4. Cum in seq. de Judaeorum instauratione agatur, quae post exilium inciperet Babylonicum, ut ex cunctis istius pericopae parti-

partibus patet, minus apte utique eam inchoaret prophetia de conversione Gentium, non nisi post omnia illa beneficia locum habitura. Denique 5. quod rem conficit, qui hic populi adpellantur mox vers. 9. *filiae dispersorum* epitheto insigniuntur, qui, e *trans fluvios Cuschitidis munus ad* Jehovam deferrent; dispersi itaque Judaei et Israelitae, seu eorum posteri: ut seq. etiam docent.

Ex mea itaque opinione de Judaeis et Israelitis agitur, qui populi adpellantur, quia hoc tempore erant divisi et regno, et animis et religione, de quibus hic dicitur, eos in unam societatem esse reduniendos, et *politicam* et *Ecclesiasticam*, ita ut post exilium Babyl. *unus* fierent populus, et unius ejusdemque religionis cultores. Ne autem huic unioni multorum dispersionem quis putaret obstare, addit Prophetia, ipsos quoque illos dispersos Jehovam esse veneraturos, suamque communionem per dona et munera, Hierosolymam mittenda vel deferenda, esse demonstraturos, uti exemplum est Zach. VI: 9. quod et ab aliis fuit praedictum Prophetis, uti praeter loca hic citata Hos. II: 2. Jes. XI: 12, 13. Jer. L: 4, 5. ubi vid. Comm. noster. Reliqua, ad totam Pericopam explicandam pertinentia, peti possunt ex Comm. nostro ad Proph. min. cum in publicum fuerit missus.

§. XXXIX. 9. Populus hoc tempore immediate magis a Deo penderet, quam antea: Regnum Dei hoc tempore magis conspicuum foret in medio populi; ut est Obadj. V. ultimo. Jes. XXXIII: 22. XXIV: 23. XXVIII: 5. Ezech. XXXIV: 11 *seqq.* Mich. II: 13. IV: 8. Forma Regiminis, quae tunc obtinuit, sic fuit instituta, ut Dei Regimen praecipue enituerit: per Duces non tantum, sed et Sacerdotes regebatur Populus, Personas Deo Sacras; ut est Zach. III: 7. Accessit, illos passim fuisse a Spiritu Dei animatos; adeo ut nonnulli quoque Spiritu Prophetico gavisi sint; quod de Johanne Hyrcano dicitur. Deus quoque se variis suae potentiae Speciminibus et Benedictionibus demonstravit Populo praesentem. Sed qua ratione haec Forma brevi obscurata sit, non tam per

Monarchicum Regimen, quam corruptionem Populi, et novam subjugationem, mox videbimus.

§. XL. d. Tandem ad Prophetiarum, quae de Periodo Maccabaica agunt, meliorem intellectum observandum, illa Tempora imaginem praeferre duorum Temporum OEconomiae Novae, Apostolicorum scilicet, et Ecclesiae ultimi temporis, quae post similem luctam gloriosissime florebit. Hinc est, quod Prophetiae, de Maccabaicis Temporibus magnifice loquentes, summum implementum partim in Ecclesia Apostolica consecutae sint, partim in ea ultimi temporis consequentur. Quo pertinet, Ecclesiam Maccabaicam considerari ut Primitias Ecclesiae Christianae; ut Dan. II: ubi Lapis crescere dicitur in Montem: et Messiae adventus quoque saepe cum Ecclesia Maccabaica connecti solet; ut Hos. II: 3, 11 in fine, Obadj. v. 21. Eo et pertinet, quod Regnum Dei in Ecclesia Maccabaica aeternum appelletur, Mich. IV: 7. Zeph. III: 17. Interpres igitur hunc conspectum Ecclesiae Maccabaicae semper in oculis habere debet. Si quis velit Exempla Prophetiarum de Ecclesia Maccabaica cum Apostolica connexa, legat Jes. XXX: inde a v. 19. &c. coll. Zach. X: 1 *seqq.* Quod ad posteriorem conspectum, vid. Jes. LIX: 15. LXIII: 1. *seqq.* conf. Jes. XXV, XXVI, XXVII.

§. XLI. ח. Sequitur *Periodus VII.* quae ab *altera* parte novam et summam Populi corruptionem ac novam subjugationem a Romanis complectitur; ab *altera* credentium in Messiam manifestatum liberationem ac felicitatem, et incredulorum et totius Populi plenarium excidium per Romanos, et repudiationem a Deo, una cum OEconomiae Veteris fine. Vero ergo suo conspectu haec Periodus est *Praeparatio* tum ad Populi rejectionem ac destructionem, et OEconomiae Vet. abolitionem; tum ad Ecclesiae Christi erectionem. Ad priorem conspectum pertinet Defectio totalis Populi a Deo et vera Religione, et subjectio Romanis.

a. De nova Subjugatione luculentum extat Vaticinium Mich. IV: 14. quod fieri coepit tempore Pompeji;

ut

ut in Hiſtoria traditur. Vid. Comment. noſter ad Gen. XLIX: 10. Quartum beneficium capite IVto Michae memoratum eſt Meſſiae tanquam veri Domini ac Regis populi ortus, una cum ſigno temporis, ſeu poſteaquam populus a turma latronum fuiſſet invaſus et arcta incluſus cuſtodia, Rectores quoque et Judices ignominioſe fuiſſent tractati: verſ. 14. et V: 1. Status adflictus, qui praemittitur, ſicut et ſuperiora beneficia poſt mala antecedentia eſſe repraeſentanda, praedixerat Propheta, et cum עתה *nunc* inceperat; ſitus eſt in nova ſervitute, in quam inciderent Judaei paulo ante adventum Meſſiae c. v. 1. deſcriptum, his verbis expreſſa verſ. 14. *Nunc turmatim invades*, vel *invadet mihi* (י enim in התגדדי cum emphaſi, ut modo in החרמתי et alibi, ſicut Lat. *mihi* abundat.) *filia turmae* (h. e. globus aliquis quaſi latronum globatim invadet: quae eſt radicis גדד ſignificatio) *munitionem poſuit contra nos*, (Hieroſolymam obſidendo et praeſidium militare in arce ejus ponendo; ut Romani ſub Pompejo fecerunt, et cum Judaea in formam provinciae Romanae eſt redacta) *virga percutient maxillam judicum Iſraelis*, vel Judicis Iſraelis (Judices et Rectores Judaeorum ignominioſe erunt tractandi, quippe omni autoritate et gloria privati et Romanorum virgis ſubjecti, ac in ſervitutem, populo Judaeo adeo ignominioſam, peregrinorum redacti.) Plura non addo, in Comm. noſtro ad Proph. min. obvia, maxime cum in hanc meam mentem locum docte jam illuſtraverit Cl. meus Nepos J. H. Verſchuir in peculiari Diſſ., quae proſtat.

b. Acceſſit Subjugationi dura ſervitus, qua Procerum Judaeorum libidini inſervire debuerunt, et a profanis Principibus duriter tractati ſunt, et in Traditionum moleſtarum carcerem conjecti; quo pertinet Jeſ. LII: 3---5. et *fovea ſine aqua* Zach. IX: 11. De quo in Comm. ad Zach. fuſius egi.

§. XLII. c. Conditio ergo Paſtorum, Principum et Sacerdotum foret corruptiſſima; partim quod, Clavi cognitionis ablata, ineptis rebus Populum detinerent, et variis quaeſtioni-

 bus

bus agitarent, ac Traditionibus onerarent; *partim* quod hypocryſi inflati animam Religionis corrumperent, quae Phariſaeorum eſt deſcriptio: *partim* quod, ſpe melioris Vitae abnegata, ſeſe carni ſecure traderent, qui Sadducaeorum eſt conſpectus: *partim* denique, quod curam Populi negligerent. Prophetiae hanc Paſtorum corruptionem deſcribentes ſunt praecipuae, Jeſ. XXVIII: 7, 14, 15. XXIX: 10, 15. Ezech. XXXIV: 18---22. Zach. XI: 1, 2. Mal. III.

d. In Specie de Principibus obſervandum, illos, Ducum dignitate non contentos, revocaſſe Majeſtatem Regiam, et ita Regiminis Dei ſpeciem obſcuraſſe; Vid. Ezech. XXI: 26, 27. *Sic dixit Dominus* Jehova: removebo *faſciam auferam coronam* (ſacerdotalem ſimul regiam, tunc unam eandem) *haec non haec eſt* (corona memorata *haec* non eſt *haec*, ſeu non vera Davidica, qualis eſſe debebat, nec firma et perennis.) *humilem exaltabo*, *altam humiliabo* (ita ſoleo, ita faciam: regnum Judae, ſacerdotale regium, quoque excelſum et faſtoſum, ad nihilum redigam, et regnum humiliatum ſeu Davidicum, obſcuratum nunc et depreſſum, in ſublime feram, ſcilicet in Meſſia) *Contorſionem*, *contorſionem*, *contorſionem ponam ipſam* (notam ei infamiae inurendo, vel et in eam irruendo: quae utraque poteſtas radici שׂוּם et שׂים ineſt, *cauſam* everſionis exhibet vox עוה proprie *diſtorſio*, uſu vero *iniquitas*, quae eſt aequi ac juſti diſtorſio, *cui* mox opponitur jus et judicium in eo, cui corona erat danda; *Trina* coronae corruptio et everſio, ſicut emphaſin auget, gravitatem ac certitudinem denotans, ita ſe transferri patitur ad Tſedekiam Ariſtobulum, primum ex Maccabaeis regem et Pontificem, ac Herodem M.) *etiam haec non erit*, *donec venerit*, *cujus eſt judicium*, *et dederim illi* (ipſa illa corona humilis exaltanda non habebit locum, niſi cum *juſtus* ille advenerit, cui jus in eam eſt, cuique eam dabo.) Pericopa haec itaque externi regni Davidici, tanquam faſtoſi et corrupti, deſtructionem, nunc in Tſedecia, poſtea in aliis regibus denuo exortis, faciendam, et ſpiritualis regni in Meſſia, genuino Davidis filio, regni vero veritatis

et

et justitiae erectionem, vivis depingit coloribus: uti in Comm. ad Ezech. exposui, et meis sub auspiciis olim fuse et egregie exsecutus quoque est discipulus meus egregius *Radbodus*, nimis cito e vivis abreptus, in Diss. Academ. cujus honoris causa mentionem facio.

e. Populi universi corruptissimus foret Status; absque quo tamen Semen sanctum deficeret, sed quod omni vigore careret, et animum despondens prope a morte abesset: Sic Ecclesia illa afflicta erigitur consolatione, Jes. XL: 27. XLIII: 22. LII: 1, 5.


Hujus Periodi exitus foret duplex, alter *laetus*, respectu credentium; alter *tristis* relate ad Populum incredulum, qui totalem destructionem Reipublicae secum traheret. Sed haec pertinent ad Fata OEconomicae Novae.

§. XLIII. *II. Verbo adhuc* monendum restat de Prophetiis, quae agunt de Fatis Populorum vicinorum: Sunt illae partim *Generales*; partim *Speciales*.

A. Prioris generis non sunt adeo multae: praecipuae Dan. II et VII, quae secum comparandae sunt: Cum autem Comm. noster ad Dan. in omnium manibus sit, non opus est, in tanta rerum copia hic morari, sed ad Dissertationes illas ad Dan. ablegari debent, qui accuratius instrui volunt.

B. *Posterioris generis Prophetiae* sunt variae; de Philisthaeis, Idumaeis, Moabitis, Arabibus, Tyriis, Sidoniis, Assyriis, Babyloniis, Ægyptiis et Syro-Macedonibus; quorum tum Judicia, tum Conversiones ubique praedictae sunt: de quibus leg. Cl. Vitringa ad Jes. et commentar. noster ad Jer. et minores Prophetas, adeoque nec hic morabimur.

FINIS PARTIS PRIMAE.



PARS POSTERIOR.

De Prophetiarum respectu ad OEconomiam Testamenti Novi.

PROLEGOMENA.

§. 1. Pergo ad Prophetiarum respectum ad OEconom. N. quae Tractatio nos diutius detinebit. Prophetiae, quae ad OEcon. N. pertinent, partim sub V. partim N. T. editae sunt.

I. Posteriores partim *Parabolis*, partim Christi Vaticinio Matth. XXIV, praecipue vero Apocalypsi comprehensae sunt: licet hic illic in Epistolis Apostolicis nonnulla quoque extent, ut 2 *Thess. II.* Sunt quidem, qui Parabolis non alium ac Moralem tribuunt sensum, nullum Propheticum, saltem qui Fata N. T. contineat. Sed licet Parabolae plures Veritatem tantum Euangelicam illustrarint; illae tamen, quae Singulares Casus et Fata nonnulla complectuntur, necesse est sint Propheticae, nisi quis Christum multa sine certo sensu protulisse velit, quod Sapientiae ejus detraheret; Et Casus nonnulli sibi ordine succedentes aliquando in illis enarrantur, ut in Parabola de Zizaniis, aliisque: Accedit, Christum Regni Coelorum conditionem variam illustrasse per illas; et hinc earum Cognitionem dici complecti thesaurum Veterum et Novorum, Matth. XIII. Et si Fata Ecclesiae cum Parabolis aliquibus comparentur, convenientia nimis clara deprehenditur, quam ut Dominum

Dominum illa in oculis habuisse, negari possit. Sed haec latius non exequar: extat enim Comment. Cl. Vitringae ad Parabolas, cui tamen per omnia non adsentior.

§. II. II. Quod ad Prophetias V. T. illae duplicis sunt generis; *aliae* directe et sensu primo; *aliae* indirecte et sensecundo Res N. T. explicant.

A. Posterioris generis Prophetiae primo sensu pertinent ad OEconom. Vet. et Ecclesiae Judaicae Fata describunt: sed dein ad Ecclesiam Christianam duplici conspectu se transferri patiuntur; *vel* in genere ad Ecclesiam Christianam tanquam Vet. OEconomiae complementum; *vel* in specie ad diversa Ecclesiae N. T. tempora et Fata, quae Veteris Ecclesiae respondent. Fata utriusque Ecclesiae sibi respondentia *vel* generaliora et absoluta, *vel* ordini Temporum adstricta sunt: E. gr. Tempora Maccabaica Ecclesiae Apostolicae in genere, sed et Ecclesiae ad complementem suum sub finem temporum propius accedentis, figuram gesserunt. Sic quoque Liberatio ex Babele tum in genere Ecclesiae Liberationem e Servitute Peccati, tum in specie ex Antichristianismo repraesentat. Qui ergo in Verbi Prophetici intellectum vult penetrare, is hanc Fatorum utriusque Ecclesiae Harmoniam perspectam habere debet. Qua de re pluribus egi in Praefat. ad Comment. Cl. Vitr. de Miraculis, et specimen dedit ipse in Comm. ad Zach. in Proleg. Quare et hic nihil dicam: maxime, quum postea ad Singulas Periodos illam Harmoniam sim traditurus. Ceterum de sensu Prophetiarum, et *litterali* et *mystico* non male in genere disseruit Lanfantius in Epist. quae exstat in *histor. crit. reip. litter.* tom. VI. cujus autor et ipse in praecedentibus explicationem litteralem Psalmorum, exemplis Buceri, Pellicani, Musculi et Calvini justificavit. Conferri etiam meretur *Cl. Ernesti narratio critica* de Interpret. Prophetiarum Messiae in Ecclesia Christiana, Opusc. Theolog. p. 493.

§. III. B. Prophetiae autem V. T. quae ad Res N. T. directe respiciunt, maximam partem *generaliores* sunt, quaeque N. T. initium et finem magis repraesentant, quam Fata in-

termedia: ita ut ex illis ordo Fatorum, aut Periodorum Characteres frustra peterentur; qua de re paulo distinctius agendum: Quaeritur sc. quo usque se extendant Praedictiones V. T.? sunt qui ad Johannis et Christi tempora usque, ex Matth. XI: 13., sunt qui ad omnia Ecclesiae N. T. fata porrigunt, et Periodorum definitiones ex iis quoque repetunt. Quod ad nos:

א. *Priorem* opinionem vix dignam puto refutatione, quum nihil certius sit, quam Christi Personam, Fata, Regnum Christi ejusque propagationem, Prophetas luculenter descripsisse. Dictum autem Christi l. c. tantum abest, ut obstaret, ut contra clare confirmet nostram Sententiam: *Prophetiae* enim, qua tales, eo dicto extenduntur ad Johannem usque; ergo ante id tempus implementum non sunt consecutae, sed ab eo demum: cessarunt enim esse Vaticinia, cum impleta sunt: impleri ergo coeperunt ipso tempore Johannis.

§. IV. ב. An ergo in hodiernorum interpretum, maxime Cocceji, magni et eruditi viri, ac adseclarum, castra eundum erit, et Vaticinia V. T. dicendum, Fata N. T. ordine recensere? Nec id ob varias rationes statuere licet:

a. Prophetiae ad ipsum Populum Judaicum primam habuerunt et praecipuam relationem, ac OEconomiae Vet. inservierunt: Novam tantum tanquam in typo expingit OEconomia Vetus; sed ipsa per se subsistit; quare Vaticinia sensu secundo ad OEconom. N. recte referuntur, non passim primo.

b. Prophetae Fatorum Catalogum passim pertexere solent ad Christi tempus usque, quod tamquam complementum considerant; ut vidimus supra.

c. Prophetiae de OEconomia Christi passim generalius loquuntur; ut de illius Propagatione, Hostibus, Restitutione felici.

d. Ultimum Mundi tempus passim connectunt cum Christi tempore, de Fatis intermediis minus solliciti. Regnum Christi in summo splendore describere solent, uti

uti exiſteret ſub finem temporum. Vid. Jeſ. II. XI. XXV. XXX. XXXV. LIV. LX &c. Quod ipſum anſam praebuit opinandi, finem inſtare Mundi, cum Chriſtus adveniret. Adventum autem Meſſiae primum et ſecundum ſecum a Prophetis connecti, docent multa; de quo egi, ubi hanc Hypotheſin probavi, ad Dan., ubi de Regno quinto dixi. Nec repugnat, felicia illa tempora mox non adluxiſſe, ſed poſt longam demum fatorum ſeriem futura eſſe: (1) quod illud inobedientiae Populi tribuendum eſt, ut liquet ex Act. III: 19 *ſeqq.* et Rom. XI. quemadmodum et Judicia aliquando per Poenitentiam differuntur, ut in Ninevitis: ſic et Jerem. XXVI. Mich. III: 12. (2) Quia Judaei Populi fata intermedia nulla forent inter duplicem illum adventum Chriſti, ſed perſeverarent in eodem ſtatu; Prophetae autem V. T. agunt de Fatis Eccleſiae, quae reſpiciunt ad Judaicam. Fata Eccleſiae Chriſti, qua talis, tunc non fuerunt revelata; quare Prophetae de Fatis Eccleſiae Chriſti ſilent, Judaeorum deſtructionem totalem deſcripſiſſe contenti. (3) Quod Prophetae tempora Meſſiae in genere depingunt; abſque quo dicant, quo praeciſe tempore illa repraeſentarentur.

e. Prophetae maxime verſantur in initio et fine OEconomiae Novae depingendo: quod ex argumento Prophetiarum non tantum, ſed et ex diſertis N. T. locis liquet, 1 Petr. *I: 12. Act. III: 18. Apoc. X: 7.* Quare converſio Judaeorum generalis fuit myſterium, Rom. XI. ut et Revelatio Antichriſti, 2 Theſſ. II.

f. Idem facile colligitur e Scopo Apocalypſeos, quae data eſt, ut hunc defectum Prophetiarum V. T. ſuppleret: cum enim Deus nihil facturus ſit ſecundum Amoſ. III: 7. niſi antea voluntatem revelaverit Prophetis, Apocalypſis data eſt, ut Eccleſiae N. T. conſtaret de ſuis fatis; ſicuti Prophetae V. T. de Fatis Eccleſiae Judaicae egerunt: ſi autem Fata illa N. T. jam antea eſſent a Prophetis deſcripta, non tam nova foret Revelatio Johanni facta. Novi quidem, VII *Periodos* N. T. hic illic ordine digeſtas reperiri ab

interpretibus in V. T., imo in multis Prophetiis V. T. Sed mihi nondum licuit tam esse perspicaci, ut eas detegere potuerim; id contra vidi, multa miserrime huc detorqueri, et pro interpretum lubitu exponi.


§. V. Interea 1. Non nego, quin affirmo,

a. Prophetias, sensu *indirecto*, multa N. T. Fata ob oculos ponere, etiam ex mente Spiritus S., quippe translatum illum sensum aeque ac primum intendentis; quod idem quoque e multis locis Apocal. colligi potest, in quibus respicitur ad Prophetias V. T.


b. Prophetias V. T. hos illosve casus N. T. directe quoque et primo sensu praedixisse; sed in genere tantum, ut de Vocatione Gentium, Reipublicae Judaicae destructione, hostibus Ecclesiae, et Persecutione eorum: Sed

c. Prophetiae V. T. passim haerent in generalibus: nusquam VII Periodi N. T. definiuntur; nusquam Periodorum proprii Characteres signantur: una Apocalypsis eos exhibet.

Finis Prolegomenorum.



TRACTATIO GENERALIS.

§. VI. T jam ad argumentum illarum Prophetiarum pergam, ad examen revocanda est Hypothesis de VII Periodis N. T. Quae quaestio cum Theologos, praecipue Seculi superioris, et interpretes valde diviserit, et magnis motibus agitata sit, nec hodie cesset, licet modera-

moderatius agitetur, et magnum habeat in Verbi Prophetici interpretationem influxum, illa cum aliqua accuratione hic ventilanda est; et inquirendum in fundamenta hujus Hypotheseos, ut pateat, quid certi et incerti habeat.

§. VII. Observo itaque, argumenta, quae a numero septenario in S. S. usitato petuntur, validam non habere demonstrationem, unam si excipias Apocalypsin: Rationes sunt:

I. Numeri septenarii promiscuus est in V. T. usus, sine ullo hujus mysterii respectu; sive rei perfectionem tantum denotet, sive numerum incertum. *Septenarius* numerus in Script. V. est, ἀδιορίςυ πλήθυς σημαντῖκος *indefinitae multitudinis significatio*, inquit Chrysostom. or. VIII. contra Judaeos oper. t. V. ed. novae. Vid. et Cassiodor. Liber. litt. in praefatione. Loca hanc in rem sunt clara: Gen. IV: *Cain septupliciter vindicabitur:* Levitic. XXVII: *Deus septupliciter puniet populum:* Job. II: 13. Vid. quoque Ps. XII: 7. LXXIX: 12. Jes. IV: 1. XV: 9. XXX: 26. Prov. VI: 31. XXVI: 16. XXIV. 17. Eccl. XI: 2. Quibus, et Similibus ex locis, ni fallor, clarum est, Numerum septenarium vulgaris fuisse et promiscui usus apud Veteres: unde colligo, hujus Numeri usum per se nos ad tale mysterium non ducere; sed alias debere accedere rationes, quae illum numerum ad Fata N. T. restringant. Si enim perfectionis, vel generalis et indefiniti Numeri tantum sit indicium in locis multis, quare non in aliis quoque? Si solus ergo Numerus septenarius alicubi occurrat, nihil eum restringat, mysterium non evincit.

§. VIII. II. Mystici hujus Numeri intellectus, qui N. T. Fata repraesentat, duplex tantum dari potest ratio: *vel* quod frequentis ejus usus alia non sit origo, vel esse possit; *vel* quod Res ipsae, quibus hic Numerus applicatur, hoc mysterium requirant. Dicamus de utraque hac ratione, et videamus, quid ponderis insit.

A. Prior Ratio si vera foret, demonstraret quidem, hoc Numero illud Mysterium comprehendi, sed quibus in locis, nondum determinaret: usus enim, licet origo ejus

forte mystica sit, factus vulgatus solet carere mysterio: accedit, saepe promiscue usurpari sine mysterio: Tantum ergo haec Ratio demonstraret, VII dari Periodos, sed nil in specie definiret: nec, hoc Mysterium in S. S. per illum Numerum indicari, affirmaret. At num haec Numeri septenarii origo mystica certis nixa sit fundamentis, dubito valde; nam

א. Nusquam occurrit in S. S.

ב. Numeri in vulgus currentis aliae possunt esse rationes: e. gr. Numerus duodenarius, ob Jacobi Sobolem, est in S. S. decantatus, ut demonstrat Grotius ad Apocal. VII. Numeri quoque denarii frequens est apud Judaeos usus, ut videri potest in *Pirke Avoth.* Sic quod Jes. IV. dicitur *VII*, Zach. VIII. dicitur *X.*

ג. Septenarii Numeri origo quoque aliunde peti potest; Scil. a Creatione VII dierum: unde primum usus hebdomadarum, et ad alias quoque res facilis factus transitus. Quae origo et inde firmatur: (1) Quod Sabbathum Septimo die recurrens fuit Creationis monumentum; unde, Septenarii numeri usus non potuit non esse frequentissimus; (2) Numerus Septenarius in computo temporum jam usitatus fuit aetate Patriarcharum, Gen. VIII: 10, 12. XXIX: 18, 27. imo Numerus Septenarius Orientalibus et Ægyptiis, aliisque, quoque sanctus fuit et singulari in honore, origine ducta a VII Planetis: de quo vid. Cl. Jablonski Panth. Ægypt. Prolegom. p. 52.

§. IX. Sed ad ipsius Creationis VII. diebus absolutae mysterium nos revocant Docti, et inde Numeri Septenarii mysterium repetendum esse opinantur: Verum

a. Si mysticus Creationis intellectus obtineat, unde liquet Numerum Septenarium ex mystico illius sensu, et non literali, fuisse dérivatum; Numerus Septenarius ex Creatione venire potuit in usum frequentem, absque ut Mysterii Creationis habeatur ratio. Sit ergo VII dierum in Creatione mystica ratio, indene Septenarii Numeri, in aliis casibus usurpati, mysterium solide colligi potest?

b. Dubium

b. Dubium est, num septem dies Creationis in mystico Creationis intellectu pertineant ad totidem Ecclesiae Fata? num mysterium aliquod aliud habeant praeter perfectionis argumentum? Si regeras, quare ergo sex dies creationi insumti, et Deus septimo die quievit? Quid si me ignorare responderem? Sed de Creationis mysterio mox.

§. X. B. Solidior autem foret Ratio quae ab ipsis Rebus, quibus numerus ille applicatur, derivat ejus mysterium, si Res ipsae ad Fata Ecclesiae diversa, sibi succedentia, pertineant, sic Numerus septenarius VII Fata luculenter demonstraret. Inquirendum itaque, num tales res, quae numerum septenarium ita definiunt, alicubi exstent?

Hic primum sibi jure vindicat locum Creatio VI diebus absoluta, ut Septimus sit Sabbathum, cui institutionem et consummationem Novae OEconomiae respondere statuitur secundum allegoricam Creationis contemplationem. Cum autem Sex dierum distincta sint opera, totidem quoque Fata necesse est locum habeant in Ecclesia N. T. Hic ergo aliquid habere videmur, quod Numerum Septenarium ad VII Fata restringit. Recepta est haec Hypothesis, quae a Doctissimis Viris in omni luce collocata est; quaeque et nobis antea placuit; sed in qua accuratior meditatio insuperabiles reperit difficultates. Intellectum Creationis mysticum, tum generalem, qui opus *Gratiae in singulis hominibus comprehendit*, tum specialem, qui ad Ecclesiam in specie N. T. respicit, non negaverim, cum illum ex Stylo S. S. et accurata convenientia Docti clare demonstrarint. Verum num VII Dierum opera totidem distinctas Ecclesiae Periodos se mutuo excipientes, seu totidem Fata, quae Periodos constituunt, repraesentent, mihi valde dubium est:

א. Quod Creationis coeli et terrae emblema ad tales res mysticas in S. S. referatur, in quibus distincta illa dierum successio locum non habet. Unde oritur dubium, num in Ecclesiae N. T. constructione ad Creationem relata, id attendi debeat? Regenerationis et Sanctificationis opus per

Creationem expictum in singulis hominibus id sine dubio non admittit; nec ultimum tempus Ecclesiae consummatae, quae sub nomine Creationis Coeli et Terrae venit, Jes. LXVI. 2 Petr. III. complectitur tot sibi succedentia opera et fata: Cum ergo duobus ex Exemplis pateat, Operum et Dierum successionem in typica Creationis significatione in censum non venire, quae Ratio erit, id in typo Ecclesiae N. T. quaerendi? illa ratio non a Creatione ipsa est repetenda, sed aliunde. Accedit, Ecclesiam V. T. quoque Coeli et Terrae nomine insignitam, ad Creationem applicatam, totidem Opera succedentia non demonstrare.

§. XI. ב. Opera singulorum dierum in Creatione longe alium praeferunt conspectum, quam quae in Ecclesia illis respondentia locum habuerunt: unde colligendum, in hoc typo ad illa fata non respici; conspectus enim Rerum typicarum et mysticarum non potest esse diversus et sibi oppositus. Jam operum Creationis duo sunt characteres, *alter*, quod opera Dei sint, adeoque bona; *alter*, quod opera permanentia sint, et quamdiu Coelum et Terra subsistunt, durantia. Sed haec criteria observari nequeunt in sensu allegorico: E. gr. Coeli purgatio die *secundo* solet referri ad Doctrinae salutaris purgationem ab opinionibus Gnosticorum falsis Seculo II et III. Sed puritas illa non duravit. Die quarto creatus est Sol et Luna: Sol solet transferri ad Caesares Franciae, Luna ad Papam: sed Sol occurrit tanquam luci primi diei succedens, eamque complexus: ergo Christi Emblema esse deberet: dein Caesarum et Paparum ortus non est opus Dei. Ergo haec non cohaerent.

§. XII. ג. Opera singulorum dierum ejusmodi Fata repraesentare deberent, quae Periodorum Ecclesiae possent esse Criteria, et quae Ecclesiae faciem eo tempore distinguere poterant, et separatim exhibere. Si enim eo scopo Deus VI dies Creationi impendisset, ut Ecclesiae vicissitudines, quibus ea consummanda erat, expingerentur, talia fata, quae Ecclesiam characterizabant, delineata fuissent: sed opera singulorum

rum dierum talia fata non ſiſtunt, quae Periodos Apocal. diſtinguunt; deberet autem inter has et illa opera conſpicua eſſe convenientia. Nec Hiſtoricis Periodorum Criteriis reſpondent illa opera; E. gr. Purgatio Eccleſiae ab erroribus, ſecundi diei operi reſpondens ſecundum hanc hypotheſin, non conſtituit Characterem. Seculi II et III, ſed potius IV et Vti. Dein Terrae elevatio ſupra aquas et fructificatio licet tempora Conſtantini M. recte ſtatuatur deſignare, Characterem tamen illius Periodi non ſiſtit. Sic in reliquis.

ד. Noctes quoque ad Eccleſiae viciſſitudines applicari deberent, quae tamen nullum fatum diſtincte comprehendunt; alias XIV eſſent Periodi.

ה. Nuſquam Scriptura V. et N. T. ad Opera ſingulorum dierum, totidem Fata deſignantia, alludit; ſed Solis, Lunae, avium, piſcium etc. Emblemata, ſolet in genere referre ad Res myſticas, non ad hoc vel illud tempus. Nec quoque Apocal. ea Emblemata hac ratione interpretata eſt. Cum ergo in S. S. hujus Hypotheſeos non ſit fundamentum, nemo aegre feret, ſi nos eam ſuo loco relinquamus.

§. XIII. Sed quid habendum de myſtico creationis intellectu?

א. Creatio in genere ob oculos ponit Novae OEconomiae erectionem, in quo praecipua forent *illa opera*, quae in *Creatione phyſica*, *Lux*, *Sol*, *Luna*, *Stella*, *Terra ſupra aquas*, *fructificatio*, *Aves*, *Piſces*, *Homo tandem*: hanc Eccleſiam eſſe a Deo condendam et conſummandam, ita ut Deus aliquando ab Operibus Gratiae quieſcat, in genere oſtendit myſtica Creatio, absque ut operum et dierum ſucceſſio in cenſum veniat. Haec mihi certa videntur. Sed

ב. Quod ad Numerum ſeptenarium; *Vel* dicendum eſt, eum tantum pertinere ad Creationem Phyſicam, et a Deo ob ignotas rationes electum eſſe; *Vel* Deum eo numero voluiſſe inſinuare, Eccleſiam per tot Periodos eſſe conſummandam, absque quo ſingulorum dierum opera ſingulas praebeant conſpiciendas; niſi forte, quod illis quoque Periodis

Opera illa ſingulari ratione in Eccleſia exſtarent, absque quo Periodorum Characteres deſignent. Sed illa omnia tantum non habent ſoliditatis, ut in iis tuto acquieſci poſſit, et a poſteriore tantum aliquid probabilitatis acquirunt.

§. XIV. Haec lucem egregiam reliquis Locis, in quibus occurrit Numerus Septenarius, inſpergunt. Cum enim VII dierum Creatio frequentem Numeri Septenarii produxerit uſum, illeque Numerus in ipſa creatione ad totidem Eccleſiae Fata non pertineat, aliis in caſibus eum uſum quoque habere non poterit, niſi pecularis ratio adſit, quae id poſtulat. Quid vero in Feſtis, Sacrificiorum numero, aliiſque Ritibus, ſignificet ille numerus, qua literaliter, qua myſtice, non adeo obſcurum eſt. *Literaliter* veri Dei, Creatoris Coeli et Terrae, argumentum eſt: Numerus enim Septenarius in memoriam Creationis introductus, ut liquet e die Sabbathi, alium, ac quem dixi, finem habere non potuit. Ad *myſticum* intellectum quod attinet, duo Significavit, Veteris OEconomiae conſummationem, et Novae abſolutam perfectionem: eſt enim Numerus Septenarius partim Operis abſoluti, partim perfectionis indicium, quod opus, ad finem adductum, perfectum eſt. *Prior* Significatus elucet e myſtico Sabbathi intellectu; cum enim dies Sabbathi ſit Novae OEconomiae imago, Hebr. IV. illeque ſit quietis et abſolutionis operis iſtius Septimanae dies, utique Novam OEconomiam eſſe Veteris conſummationem, indicat. Quod idem myſterium in reliquis feſtis ſimilibus quaerendum eſt. Sed quod ad *alterum*; cum Feſta nonnulla duraverunt per VII dies, eaque ad N. T. quoque pertineant, quid eo in caſu tum denotavit Numerus Septenarius? An VII Eccleſiae Fata? Ejus rei nullum eſt argumentum: nec enim Numerus ipſe, nec res, cui additus eſt, eo nos ducit. Numeri Septenarii uſus promiſcuus eſt, ut vidimus, ex quo per ſe nihil colligitur. Res autem ipſa eſt unius ſeriei, unius feſti per tot dies continuatio; quae ergo diverſa Eccleſiae fata expingere non poteſt. Praeterea Eccleſia V. T. numerum illum admittit ſine myſterio in illis caſibus, in quibus Sabbathum eſt Novae OEco-

nom.

nom. Typus: num ergo in Nova OEconomia numerus ille respiciat ad Fata, ad quae in V. T. non pertinet, quisque videt, maximopere esse dubium. Sed quid tum mysterii hoc numero in talibus comprehensum? Videtur mihi unice perfectionis Ecclesiae N. T. esse indicium; cujus has habeo rationes:

א. Quod Lux VII dierum tribuitur OEconomiae Novae Jes. XXX: 26. quo nihil aliud indicatur, quam Lucem illam fore perfectam.

ב. Numerus Septenarius in Sacrificiis manifeste adhibetur ad perfectionem Sacrificii notandam, ut clare liquet ex ultimo die Festi Tabernaculorum, quo die, cum numerus sacrificiorum diebus reliquis esset instabilis, VII juvencae erant offerendae. Vid. et Ezech. XLV: 23. Job. XLII: 8. ad quem locum ipse Coccejus: *jubentur VII juvencos et VII arietes pro se offerre; quo docemur, non remitti peccata sine perfecto Sacrificio.* Sic Virgil. Æneid. L. VI.

Nunc grege de intacto Septem mactare Juvencos
Praestiterit, totidem lectos de more bidentes.

ג. Aliis quoque in Ritibus Numerus Septenarius argumentum est perfectionis; ut in consecratione Sacerdotum, septem dies durante, Levit. VIII. adspersione Sanguinis, ib. Cap. IV. Sic Ps. XII. *purgatum Septies.* E quibus colligimus, Numerum Septenarium in Festis, mystico intellectu, proponere perfectum N. T. Statum.

ד. Quod e Festo Tabernaculorum, ultimae Periodi Ecclesiae N. T. Symbolo, (Zach. XIV.) ulterius confirmatur; cum enim in ultima Periodo VII utique fata non sint futura, alio pertinere nequit ille Numerus, quam ad perfectionem Ecclesiae ejus Periodi expingendam.

§. XV. Sed alia adhuc Loca examinanda sunt, in quibus Numerus Septenarius ad haec Fata referri solet: ubi nobis occurrit locus in celebri Hannae Cantico 1 Sam. II: 5. ubi *Sterilis* dicitur *Septem paritura*, i. e. dicunt, Ecclesia per VII Periodos procreatura liberos. Sed ille Commentarius e

Textu erui non poteſt, nec innititur fundamento: contra, certum eſt, Septem hic in genere ſumi pro multitudine: ipſe Coccejus *Septem, i. e. multos, dicit:* quod ſequentes rationes probant:

א. Quod dicitur, *et abundans liberis* &c. ubi Septem et multi ſibi reſpondent.

ב. Solennis fuit uſus formula apud Judaeos, quae exprimit multitudinem; ut egregie liquet ex Jerem. XV: 9. *langueſcet quae pariebat Septenos* &c. Sic et Jeſ. IV: 1. *mulieres Septem.*

ג. Redditur quoque illa Phraſis ſenſu myſtico per multos Jeſ. LIV: 1.

ד. Totum id Canticum male refertur ad N. T. quod ut clarum fiat, obiter conſpectum ejus dabo. Ad id intelligendum maxime obſervandus eſt conſpectus et Hannae et Samuelis, tamquam Prophetae et Judicis futuri, qui formam Regiminis mutaret, et Davidem ungeret Regem. Hic conſpectus maxime adtendendus eſt, ne quis cum Chaldaeo et Coccejo extra oleas vagetur, et cum illo ad diverſa Iſraelis fata, cum hoc, ad Chriſtianae Eccleſiae Fata ſucceſſiva uſque ad finem Mundi, Canticum referat. Hanna ſcil., ſuo et filii Statu ad animum revocato, excitata eſt ad hoc Canticum componendum, adeoque eo praecipue reſpexerit, neceſſe eſt. Hanna conſideranda hic eſt, tanquam quae natura Sterilis, et propterea a Peninna ejus ſocia eluſa et exacerbata, precibus et voto, quo filium Deo conſecravit, hunc impetravit a Deo; Samuel vero, tanquam qui ſingulari Dei cura ex Sterili matre natus, in ſummam dignitatem Muneris Prophetici et Judicis evectus, ruinam domui Eli denunciaret, populum liberaret, Davidem poſt Saulum ungeret, qui Populum collocaret in ſumma proſperitate, et Pater Meſſiae foret. Haec ſimul Clavem exhibent Cantici explicandi. Dividit id ſe in tres Partes.

a. *Prima* teſtificationem continet laetitiae exuberantis Hannae, v. 1.

b. *Secunda* ſingulares vias Providentiae Dei,

quas

quas tenere solet, recenset v. 2---8. in qua Parte, praemissa descriptione Dei, et admonitione ad impios et elatos, v. 2 et 3. depingit eleganti Oratione singulares Providentiae Dei Regulas in vicissitudinibus hominum conspicuas, v. 4---8. ubi *primo* occurrit Rerum humanarum vicissitudo, v. 4, 5. *Secundo* refertur ad Deum, ut Supremum Autorem, v. 6---8.

§. XVI. c. Tertia Pars continet Regularum Providentiae Dei applicationem ad Subjecta, v. 9, 10. ubi.

α. In genere Pii, et Deo consecrati, ac Impii, occurrunt, v. 9. quorum illos Deus conservat, hos, quam firmissime quoque stantes, praecipitat. Impii hic non tantum in genere ut tales considerantur, sed et, ut opibus et gloria excellentes, firmo, ut putabant, stantes talo; quod ex ultimo membro liquet, *quia vir non valet robore;* quae ratio ut intelligatur, Oratio praecedens sic supplenda: *Impii in tenebris conticescent*, [*licet vel firmissime stent*,] *quia* etc. Verba, quae generalem Regulam Providentiae Dei continent, primum implementum consecuta sunt in Samuele et filiis Eli, Saulo et Davide.

β. Adduntur *Litigatores cum Deo prosternendi*, *cum Deus fines terrae judicabit*, *et uncto Regi suo robur dabit*, *ejusque cornu elevabit*, v. 10. Sensus esse videtur; Jehovam hostes suos, et Populi, qui de divinitate summa Jehovae litem movebant, et, illius non habita ratione, populum ejus cum Religione exstinctum volebant, contriturum esse cum clarissima Majestatis suae demonstratione; et hoc facto, Terram plene vindicaturum et recturum esse per Regem, cui robur datur, et cujus cornu elevatur. Quae omnia in tempora Davidis et Salomonis quadrant: ita tamen ut simul ad Messiae Regnum antitypicum ejus respiciant; utique se eo referri patiantur.

§. XVII. Ad Numerum Periodorum septenarium firmandum produci quoque solent VII Columnae Domus a Sapientia conditae, Prov. IX: 1. quod quis merito miretur: nam Columnae sunt ejusdem generis res, quae diversas Eccle-

ſiae mutationes apte expingere nequeunt. Praeterea ſunt domus firmamenta, quibus innititur; quod quo ſenſu Periodis applicari poſſit, non video: ſunt enim varia Fata accidentalia Eccleſiae, nòn ejus ſuſtentacula; ſunt Eccleſiae variationes et viciſſitudines, Eccleſia ipſa, longe alio fundamento ſuperſtructa, durante. Phraſis ergo *vel* perfectae firmitatis ſignum eſt, ut ſeptem Columnae ſint firmiſſimae; *vel* in genere eſt indicium multitudinis; *vel* tot Virtutes ſignificantur, quibus Eccleſia innititur, quaequé a Sapientia praecipue profluunt; quae alibi ſeptem Dona Sp. S. Jeſ. XI: 1. memorata, ſeptem oculi agni, in Apocal., ſeptem *Lapides*, Zach. III: 9. quippe quae dona Chriſtus communicet cum ſuis.

An ergo VII oculi in lapide Zach. l. c. non notabunt Eccleſiae, in VII Periodos diſtinctae, oculos? equidem non putaverim: nam ſeptem oculi diverſas Eccleſiae Periodos, variaſque ejus viciſſitudines expingere nequeunt: nec ſunt oculi Eccleſiae, ſed ipſius Lapidis, ſeu lapidi inſculpti, iidem ac ſeptem oculi Domini Zach. IV. qui cum VII lampadibus comparantur; quique VII oculi agni dicti in Apocal., VII Spiritus Dei Jeſ. XI.

Reliqua levioris momenti pro VII Periodis allata praetereo, cum ex dictis facile explicantur.

§. XVIII. Pergo ergo ad Apocalypſin, ut Numeri Septenarii in ea frequenter adhibiti myſterium pandam. Qui attente divinum hunc Librum, talem enim eſſe adſumo, licetque poſt tot Doctorum demonſtrationes, pervolverit, is 1*mo* numerum Septenarium ad diverſa et ſucceſſiva Fata applicari; 2*do* ea fata ab initio Apocalypſeos ad finem Mundi extendi, deprehendet facile. E quibus duabus hypotheſibus Numeri Septenarii uſus hiſtoricus in Apocal. elucet; adeoque VII Eccleſiae N. T. viciſſitudines futuras eſſe, evincitur. Quae nunc verbo demonſtranda ſunt:

I*ma* Hypotheſis eſt; Numerum Septenarium ad Succeſſivas Eccleſiae viciſſitudines applicari: quae e Libro VII Sigillorum, VII Tubiciniis, et totidem Phiolis, ſponte ſua

ſe

ſe produnt: novae quippe res identidem apparent, nova Fata, diverſi Caſus, nec ſimultanei, ſed ſucceſſivi: *primo* quod VII Sigilla ſucceſſive aperta ſunt, ergo tot eventuum ſucceſſiones comprehendunt. Sic et Angeli tubicines alii prodierunt poſt alios. Phiolae aliae poſt alias effuſae ſunt. *Secundo*, Caſus itidem complectuntur diverſos, eidem tempori non convenientes; modo Perſecutiones, modo Judicia Dei, modo laeta, modo triſtia praedicunt; quae ex ipſis Emblematibus ab unoquoque facile derivantur.

§. XIX. II*da* Hypotheſis eſt; Fatorum initium ſumi ab edita Apocal. uſque ad ultimum et glorioſum Eccleſiae Statum.

A. De initio Sigillorum dubium eſſe non poteſt ex Cap. I: 19. et IV: 1., de Tubiciniis controverſum: de Phiolis exploratum, initium ſumendum eſſe ab ortu Beſtiae; ergo ex his non argumentandum. Sufficit de Sigillis rem eſſe indubiam, cum Eccleſiae Fata proprie in illis explicentur: Phiolae partem tantum eorum attingunt, et annexae ſunt Regno Beſtiae. Tubiciniorum initium ab eodem tempore, ac Sigilla incipimus; et calculum addimus demonſtrationi Cl. Vitringae, qui ea Sigillis non eſſe ſubordinanda, ſed eandem fatorum ſeriem pertexere, evicit ad Cap. VI: 1, 2.

B. De Fine Sigillorum et Tubiciniorum res videtur certa. *Sunt quidem, qui Sigilla temporibus* Conſtantini M. ſtatuunt terminari, et tum incipere VII Tubicinia uſque ad finem Mundi. Quo admiſſo, VII Periodi demonſtrari non poſſent ex Apocal. Sed eam Hypotheſin rejicimus. Vid. Cl. Vitringa l. c.

§. XX. Ex his nunc duabus Hypotheſibus quae fluant Conſectaria, ſupereſt explicemus. VII illa Fata, quae ab initio Apocal. ad finem Mundi ſibi ordine ſuccederent, duplicis poſſunt eſſe generis; *vel* tranſitorii et ſingulares Caſus eſſe; *vel* continui aut permanentes, qui Eccleſiae faciem definiunt, et illius ſunt Characteres. *Prius* ſi obtineat, VII Periodi inde non noſcentur; ſed peculiares tantum erunt Caſus tranſitorii;

qui faciem Ecclesiae non definiunt, nec se presse excipiunt, sed tantum pro brevi tempore eam faciem vel deturpant vel glorificant: saepe et magnum inter eos casus potest esse intervallum. Sed *posterius* si obtineat, tum ordine sibi succedentes *Periodos* nobis exhibebunt, quarum Characteres distinguentes per illa Fata explicantur. Quod discrimen hic probe observandum: in una enim eademque Periodo multi concurrere possunt Casus singulares, absque ut illi Ecclesiae conditionem ob oculos ponant, eamque a reliquis omnibus temporibus distinguant: E. gr. Sec. IVto varii acciderunt Casus; Paganismus subjectus est, Imperatores Christiani facti, ortus est Monachatus, Splendor externus Ecclesiam occupavit, Haereses ortae, Ariana grassata est et Vandalica Persecutio, Barbari Christianos graviter afflixerunt &c. Hi sunt varii Casus ejus seculi, sed Periodum non constituunt, i. e. Ecclesiae faciem non characterizant. Character enim Periodi (quod probe observandum) tale quid sit oportet, quod per totum id tempus, vel longe maximam partem, dominatur, et quod nullo alio tempore tam fuit conspicuum in Ecclesia, ex quo ergo de Ecclesiae facie ejus temporis judicium ferendum est, quod in oculos maxime incurrit, et signum temporis constituere potest. Talis Character Ecclesiae seculi IV et V. fuit in Litibus et dissensionibus ac vexationibus mutuis, ob opiniones de Religione: de quo postea plura.

§. XXI. Cum ergo duplicis generis Fata sint, quaeritur, qualia in Apocalypsi praedicantur?

A. Posterioris generis Fata Periodorum Characteristica per Librum Sigillorum praenunciari, omnino puto:

א. Quod Numeri Septenarii alias nulla foret ratio, cum multi alii Casus in Ecclesia fuerint, quare quaeso tantum septem electi sunt? id non nisi ex Hypothesi nostra explicari poterit, quod tot sint Casus characteristici et dominantes.

ב. Casus sibi succedunt; quod casibus transitoriis non convenit; Septem enim tales Casus censeri nequeunt implere posse totum tempus N. T.

ג. Ca-

ג. Casus saepe iidem recurrunt, et aliis quoque temporibus exstiterunt; e. gr. Persecutio ob Religionem, Propagatio Euangelii. Ergo Characteres Periodorum sint necesse est, quippe qui, licet Casus repetantur, tamen non redeunt; iidem quidem Casus repetuntur, non vero Casus characteristici. Quod non observatum maximam peperit objectionem contra Doctrinam hanc. Sed idem casus alio tempore Character Ecclesiae esse potest, alio non, cum scil. alius est Character dominans.

ד. Scopus Apocalypseos est Ecclesiae Fata illustriora depingere, quorum cognitio maximam praestaret Ecclesiae utilitatem: sed huic scopo longe convenientius est, Characteristica Tempora et Fata explicare, quam ut quicunque alii Casus semper recurrentes repraesententur.

ה. Ipsorum Emblematum contemplatio, et cum Historia comparatio, hanc Hypothesin confirmat: quod postea per partes identidem probabimus.

§. XXII. B. Sed cum Tubicinia mixti generis Fata videantur complecti, i. e. singularia Dei Judicia, quae in Ecclesia et Mundo maxime forent conspicua, quaeque temporis illius Characteres constituerent, ac novum Periodorum cursum ostenderent; ita ut sicut Ecclesiae VII forent Periodi, sic et Judiciorum Dei, quibus Civitas illa, in qua est Ecclesia, vel cujus partem facit, aut ad quam pertinet, et arctam habet relationem, affligeretur: patet, Tubicinia ea non nisi Judicia complecti: cum autem septem sint Tubicinia, e Numero septenario, tot fore Judicia, colligendum, quae sibi succederent; ut Casus quidem sint transitorii, sed durationis majoris, simul tempora characterizantes: ita ut sicut VII sunt Ecclesiae Periodi, ita quoque VII illustrium Dei Judiciorum Periodi, ad quae aliqua est Ecclesiae relatio. Quae omnia ex Tractatione ipsa fient clariora.

§. XXIII. C. Superest de VII Epistolis dicamus, quarum sensus Emblematicus investigandus: easdem quidem ac Sigilla Periodos describunt, sed interioris conditionis Ecclesiae respectu, cum Sigilla ad externum ejus statum pertineant. Quae Hypo-

 thesis

thesis est Clar. Vitringae, certis rationibus innixa; quae inde sunt repetendae.

§. XXIV. Habemus ergo solidum in Apocal. fundamentum, cui Doctrina de VII Periodis Ecclesiae innititur; principium quoque et fontem, e quo eruendae sunt Periodi: Epistolae scil. et Sigilla eas definiunt; Historia autem eas exhibet. Quae comparatio rite instituta hanc Hypothesin illustrabit et demonstrabit; de quo videbimus mox in seqq. in Tractatione speciali. Ceterum in Periodis illis constituendis non ad quoscunque Casus et Fata adtendendum est, sed ad Casus exstantiores et illustriores, qui characterem temporis continent; hoc enim solum est Periodi alicujus indicium. Quae Observatio nos a magna difficultate liberat, qua hoc Systema premi solet: eadem enim saepe Fata per omnia Ecclesiae tempora recurrunt: E. gr. Propagatio Evangelii, Persecutio, Haereses et Schismata, Superstitio et Corruptio; qua ergo ratione dicemus, Periodos per illa Fata distingui? Resp. ab hoc vel illo Charactere dominante: licet enim idem Fatum alio quoque tempore locum tenuerit in Ecclesia, primarium tamen locum semel tantum obtinuit in sua Periodo, alio tempore secundarium in Periodo aliena, quippe quae illustriorem habebat Notam: E. gr. Propagatio Euangelii, quae Notam constituit Periodi I. obtinuit etiam Seculo IV, VIII, IX et X. sed alius erat illis temporibus Character Ecclesiae distinguens, vel Schismata, vel Corruptio, quum I*ma* Periodo Euangelium pure sit propagatum, et cum puritate Ecclesiae conjuncta fuerit. Sic egregiam praestat haec Hypothesis utilitatem, tum in conditione Ecclesiae dijudicanda, tum in Verbo Prophetico explicando, quod solet res in vero suo conspectu proponere, et veras earum imagines pingere: modo caveamus a perversa illorum Methodo, qui has Periodos ordine suo ubique inveniunt; ac si Prophetae V. T. hoc Periodorum Systema aeque clare ac illi N. T. intellexissent: a qua opinione longe absum.

§. XXV. Characteres jam illi dominantes secundum nostram hypothesin in clariore luce collocandi sunt, qui Perio-

dos

dos constituunt. Vel respiciunt ad Ecclesiae Partes *essentiales*, vel *accidentales*. *Essentiales* sitae sunt in Confessione Fidei, Cultu externo, Regimine et Disciplina, Vita ac Moribus. *Accidentales* sunt, quae vel Ecclesiae statum sui ipsius respectu, vel Mundi, comprehendunt: *Sui* ipsius respectu continent Gloriam et Pacem Ecclesiae, vel Obscuritatem ac Schismata et Haereses. Sed *Mundi* respectu consistunt in Propagatione Evangelii, et Pace aut afflictionibus. Ab his omnibus Notae Periodorum Characteristicae desumi possunt, prout hoc vel illud in Ecclesia maxime conspicuum fuit et eminens. Essentialia Ecclesiae usque ad Sec. XII. notabilem mutationem non subierunt, ita ut prae aliis casibus in oculos se ingesserint. Sed Accidentalia Characterem absolverunt: ut Propagatio Ecclesiae Periodo I ad Decium usque. Persecutio, usque ad Constantinum M., Lites et Schismata ad Sec. XI. Ab eo autem tempore exterior Ecclesiae facies multum immutata, praecipue respectu Regiminis, quod tum vertit in Tyrannidem: Tyrannis caput erexit inde a Sec. XII. quae se conspiciendam praebuit in piorum vexatione, et Similibus. Haec cum ex Historia nota sint, Periodorum series nunc sponte sua elucescet.

§. XXVI. I*ma* Periodus est Ecclesiae alas per Orbem quaquaversum expandentis, usque ad medium Sec. III. seu Decium Imperat. ut *Sigillum* primum quoque ob oculos ponit.

II*da* est *Ecclesiae gravissimis vexationibus*, a Paganis inflictis, obnoxiae, et per patientiam cum Paganismo luctantis, et denique vincentis: usque ad Constantinum M. quo *Sigillum* Secundum tendit.

III*tia* est Ecclesiae in sua propria viscera per Lites et Schismata saevientis, formulas fidei cudentis, aliisque praescribentis per continuas Synodos, salva tamen Doctrina fundamentali; a tempore Constantini M. ad Sec. XI. qui est conspectus *Sigilli III.*

IV*ta* est Ecclesiae sub Tyrannide Papali gementis, a Sec. XII usque ad Reformationem, quae est hypothesis *Sigilli* IVti.

V*ta* eſt Reformationis in Papatu, ſecundum Sigillum V.

VI*ta* eſt Eccleſiae Papalis deſtructio et perfectio Reformationis, ejuſque Propagatio per totum Orbem: *Sigillo* Sexto.

VII*ma* eſt Glorioſus Eccleſiae Status, quo perfecta gaudebit Pace ad Judicium ultimum uſque per *Silentium* Semihorae in Coelo ſignificatum *Sigillo* Septimo.

§. XXVII. Hactenus omnia limpido fluxerunt: verum ad Epiſtolarum Apocal. intellectum perveniendi via videtur difficilior; quod Epiſtola VII*ma* Eccleſiam in minus laudabili conditione repraeſentat: et alia quoque habent Epiſtolae, quae eoſdem Periodorum Characteres deſignare non videntur. Novi quidem, quid Docti ad primam difficultatem reſpondeant, Spiritum ſcil. S. aliquando antecedentia cum conſequentibus, et vice verſa, connectere. Hinc Judicia divina in Hoſtes ad VII*mam* Periodum referunt, ut in Tubicinio VII.; et glorioſum Eccleſiae ſtatum ad VI Periodum, ut in Sigillo VI.; ita quoque in Epiſtola VII*ma* Eccleſiam depingi, qualis foret ante felicia illa tempora ultima. Verum licet glorioſus Eccleſiae ſtatus per anticipationem poſſit enarrari ſub Sigillo VI, quippe quando inciperet, tamen ſtatus Eccleſiae Periodi VI vix ſine inſigni confuſione depingi poterit in VII Periodo Eccleſiae deſcribenda: hoc enim ſi admittas, Periodorum diſtinctio manibus elabatur et pereat, neceſſe eſt; et glorioſae conditionis Eccleſiae mentio praetermitti omnino non poſſet, ſi Epiſtola VII ad eam pertineat. Accedit, Epiſtolas interiorem Eccleſiae conditionem depingere, non aliquos Caſus; quare confundi non debent Periodi Epiſtolarum et Sigillorum; Epiſtola ad glorioſam Eccleſiam directa, ejuſque Statum deſcriptura, cujus nulla facta mentio, in ſuperiorem Periodum Eccleſiae tota rejiceretur ſecundum hanc Hypotheſin, quod ab omni vero abhorret. Quid ergo? ſuo loco relinquamus Hypotheſin de VII Periodis Sigillorum, quarum ultimus eſt glorioſus Eccleſiae Status, et Statuamus, Epiſtolarum diverſum eſſe ſcopum, adeoque VII Ec-

clesiae Periodos aliter contexi in Epistolis, ac in Sigillis; quod Epistolae ad *interiorem* Ecclesiae conditionem praecipue respiciant, Sigilla ad *exteriorem*. Exterior conditio characteristica eodem in statu continuare potest, dum interior aliquam subit mutationem: unde patet, Periodos Sigillorum et Epistolarum prudenter secum esse comparandas, ne et rei ipsi et Historiae vis inferatur: VII Periodi inventae sunt ob res, quia illae ad Septenarium numerum referri possunt: non autem res ob Numerum septenarium: Ergo Res ipsae definire debent VII Periodos. Proferamus itaque aliam hypothesin.

§. XXVIII. א. Tenendum, Epistolas ad interiorem Ecclesiae conditionem, vel potius statum Moralem, ad verae Ecclesiae diversas Conditiones internas, praecipue respicere: Quam hypothesin Cl. Vitringa jecit et probavit. Materia Epistolarum id clarissime evincit. Ipsa quoque rei natura id confirmat, cum alias in tota Apocal. status Ecclesiae Moralis vix ulla exstaret mentio.

ב. Interiorem Ecclesiae statum, quem Vitia definiunt et Virtutes, respectu *exterioris* conditionis Ecclesiae describi: quae ratio est, quare illarum mutationum exterioris conditionis Ecclesiae hic illic mentio fiat in Epistolis; ut Afflictionum, Corruptionis, Haeresium &c.

ג. Epistolas hac parte comparari posse cum Sigillis; sed absque ut Periodi omnes sibi accurate annectantur, cum Res ipsae eas definire debeant.

ד. Scopus Epistolarum est, partim ejus Periodi, ad quam Epistola aliqua pertinet, delineare statum Ecclesiae interiorem; partim etiam, salutaria dare monita et consilia in futurum; sive ut muniantur contra afflictiones, sive ad Resipiscentiam compellantur.

ה. Ex quo colligitur, non quicquid in Epistolis occurrit, ad ejus in specie Periodi Ecclesiam pertinere; sed et quaedam continere posse, quae pertinent ad Periodum sequentem. Cum enim Ecclesia Catholica sit una, et diversae sint ejus Periodi, certe unius Periodi Ecclesia recte de

futurae Periodi eventu admoneri, et contra eum muniri poteſt. Quod obſervatum eſt magni momenti: e. gr. Epiſtola ſecunda ad Smyrnenſes memorat Perſecutionem X annorum, ſed futuram, quae ad illius Periodi Eccleſiam non pertinet, ſed ſequentis: Unde ergo male paſſim colligitur, Eccleſiam Smyrnenſem figuraſſe Eccleſiam poſt medium Seculi III. quod tum afflictiones maxime ingruerunt. Simile quid in aliis Epiſtolis obſervandum.

§. XXIX. Periodi Eccleſiae itaque in Epiſtolis ex ſequentibus ſunt eruendae criteriis. *Primum* Criterium ex Judicio Domini de Statu Eccleſiae lato, quo vel vituperat, vel laudat Eccleſiam, derivandum eſt. *Secundum* e caſibus connexis externis, ad quos illa vitia vel virtutes pertinent. *Tertium* e temporis praeſentis, praeteriti et futuri mutatione; cum Dominus utatur vel Praeſ. vel Praeter. vel Fut. temporis verbis. Illuſtrabo haec exemplo: Sumam Eccleſiam Thyatyrae Cap. II: 18., laudatur illa a charitate, fide, miniſterio et tolerantia: Sed culpatur, quod Doctrinae, quae ad Superſtitionem et Concupiſcentiam tendit, ſe non opponat. Caſus autem, quorum hic mentio eſt, ſunt, illius doctrinae, cui ſe non opponebant, Progreſſus, et Judicia Dei in primarios ejus autores effundenda. Dein ad Reſipiſcentiam ab ea Eccleſia praeſtitam promittitur dominium in Gentes. Haec Criteria definiunt conditionem Eccleſiae a Sec. IV ad VIII*vum*. In Doctrinae Euangelicae explicatione et definitione valde laboratum Seculo IV et V in initio. Sed Superſtitio et Corruptio, per Papas praecipue, propagari coepit: nec tamen tam aperte, ut ab omnibus detegi potuerit, v. 14. Barbari dein Romam et Romanos afflixerunt, v. 22, 23. Eccleſiae aliqua Reformatio fuit ſub Carolo M., cum reliquae Gentes ſub jugum miſſae ſunt.

§. XXX. Secundum has hypotheſes nunc eruemus Periodos Sequentes ex VII Epiſtolis:

Ima eſt Eccleſiae, quae initio valde laboraverat, ſuamque puritatem in lucta cum falſis Apoſtolis demonſtraverat, prolapſae in languorem, et charitatis remiſſionem,

Cap.

Cap. II: 1---7. Criterium ergo Periodi est Charitatis remissio: quae in iis laudantur, ad Praeteritum Statum praecipue pertinent. Unde liquet, Ecclesiam hic depingi post Neronem usque ad Trajanum. Et haec est *prima* Periodus Ecclesiae internae.

II*da* Ecclesia laudatur a zelo resumto, et a puritate ac fide, quam in lucta cum falsis Christianis comprobaverat: Et munitur illa contra afflictionem decem dierum. Casus itaque praesens erat multitudo eorum, qui se Christianos dicebant, sed vere Synagoga Satanae erant. Casus futurus erat Afflictio X dierum. Ergo Ecclesia hic intelligenda, quae, pristino zelo resumto, se publice separavit a Gnosticis, et quae praecessit publicas Persecutiones: hae vero incepere cum Decio, in medio Sec. III. et cessarunt in ea Deocletiani. Ergo Periodus hic describitur a Trajano ad Decium; quae per Ecclesiam Smyrnensem figurata est. Cap. II: 8---11.

III*tia* Ecclesia unice laudatur a constantia in Persecutione, et culpatur, quod carnali doctrinae se non fortiter opponeret. Casus praesens est Persecutio, seu Thronus Satanae: Ergo Ecclesia hic depingitur a Decio ad Constantinum M., quo tempore Satanas omnes intendit vires ad Christianismum delendum, quare thronum Satanas erexisse censetur in medio Christianismo: sed vicerunt eum constantia sua: interea ad corruptionem et superstitionem via e longinquo strata est; et carnali doctrinae minus restiterunt; ut apparuit Seculo IV, quo omnis Superstitionis jacta sunt fundamenta.

IV*ta* Ecclesiae Periodus depicta est per Epistolam ad Ecclesiam Thyatyrae; de qua jam modo dixi.

V*ta* est Sardensis, cujus facies externa vitam praeferebat, sed vere mortua erat, et tota corrupta; ita tamen, ut vera Ecclesia nondum desideraretur, piis adhuc in ea latitantibus: quae est conditio Ecclesiae a Carolo M. ad Sec. XII. Reformatio a Carolo instituta praeferebat vitam restitutam: zelum quoque demonstrabant in propagatione Euangelii: Cultu vero externo speciem ostendebant Pietatis; intus autem omnia jam erant corrupta.

VI*ta* Periodus est Ecclesiae purae, se separare incipientis a corrupta, cui quoque promittitur plenissima ejus Ecclesiae Subjugatio: sed quae non sine gravi lucta efficeretur. Illa incepit cum Reformatione publica. Ergo Ecclesia hic depingitur a Sec. XII. ad Subjugationem Ecclesiae Romanae: quae est Ecclesia Philadelphena: Cap. III: 7 *seqq.*

VII*ma* Periodus est Ecclesiae Reformatae languidae ac tepidae; quae ratio fuit, quare corruptae Ecclesiae subjugatio totalis sit retardata; quae tamen promittitur ad Zelum resumtum. Haec est Periodus ejus, in qua nunc adhuc versamur, Ecclesiae.

§. XXXI. Hae sunt Periodi Ecclesiae secundum internum illius statum, ex Epistolis Apocalypt. derivatae: Comparemus nunc Sigillorum et Epistolarum Periodos inter se.

I*ma* Periodus Ecclesiae respectu faciei externae est *Propagatio* ejus per Orbem usque ad med. Sec. III. cum inceperunt Persecutiones publicae. Sub hac autem Periodo interna facies Ecclesiae aliquam subiit mutationem, in *studio Charitatis*, remisso usque ad Trajanum, et resumpto ad Decium. Unde *duae* Periodi nascuntur respectu interni Status. Ceterum Ecclesia Zelum non tantum Religionis propagandae, sed et Haereticos detegendi, mox recepit. Casus ergo exterior, qui in hanc Periodum generalem incidit, est multitudo falsorum Apostolorum: qui tamen casus Characterem Periodi absolvere non potest, tum quod Ecclesia puritatem suam tuita sit, nec multum ab Haeresibus illis passa, et ad Ecclesiam proprie non pertinuerunt: tum quod Ecclesiae Propagatio magis fuit conspicua, et Ecclesiae faciem conspiciendam praebuit. Quare Character Ecclesiae respectu Status externi quaerendus est in illa Propagatione.

II*da* Periodus externa consistit in publicis afflictionibus a Decio usque ad Constantinum M. Huic respondet Periodus III interna, quae Ecclesiam exhibet in loco, ubi *Thronus Satanae;* et laudat ob constantiam, sed taxat remissionem Disciplinae.

III*tia*

III*tia* Periodus est Litium, Schismatum et Haeresium, salva tamen fundamentali Veritate usque ad Sec. XII, quacum comparanda est Periodus IV et V interna, ita tamen, ut pars Vtae quoque incidat in Periodum sequentem. IVta Periodus interna ab altera parte repraesentat Ecclesiae laborem in Veritatibus confirmandis mediis illis in litibus; sed ab altera indicatur, viam esse stratam ad Corruptionem et Superstitionem, Ecclesia connivente, et profunda Satanae nondum cognoscente, sicut in Litibus Ecclesiasticis passim contingere solet, Deo interim Judiciis suis eos persequente et ad Resipiscentiam revocante per Barbaros. Praeter Casum ergo Periodi characteristicum, duo alii in illam incidunt, alter Superstitionis et corruptionis progressus, absque ut profunda illa Satanae in oculos incurrerent; alter est Judicium Divinum in Romanos. Sed Periodus Vta interna, quae partim quoque in hanc Periodum externam incidit, Ecclesiam exhibet sub externa vitae specie mortuam, piis autem nondum ab ea Separatis, sed latentibus, nondum esse Ecclesia vera desinit.

IV*ta* Periodus externa est Dominii Bestiae fideles vexantis: in quam incidit pars ultima Periodi V internae, et pars prima Periodi VItae. VIta enim Periodus interna *primo* Ecclesiam veriorem repraesentat separatam a depravata, quam adpellat Synagogam Satanae: *Secundo* Ecclesiae verae operam in reformanda Ecclesia recenset: Unde *tertio* lucta Ecclesiae verae cum corrupta, et afflictiones, sponte sua colliguntur. Quae Characterem Ecclesiae absolvunt internae ad Reformationem jam stabilitam.

V*ta* est Ecclesiae ab Antichristo se magis separantis, cum illius dominii, non sine gravi lucta, destructione. In illam convenit pars ultima Periodi VI internae, et Periodus VII interna: haec Ecclesiae conditionem internam, quae in illam externam incidit, complectitur, ejusque a zelo remissionem ob oculos ponit: quae causa erat retardatae subjugationis Ecclesiae Antichristianae. Ubi notandum, sicut Propagationem Euangelii in initio Christianismi intercepit

Charitatis remiſſio; ſic et purgata Euangelii Propagatio per idem vitium impedienda foret. Quod ultima Epiſtola demonſtrat.

§. XXXII. Supereſt de *Tubiciniis* mentem noſtram clarius et diſtinctius exponamus; ut ſic in Periodis ſingulis tractandis ſine interruptione pergere poſſimus. Theſes noſtrae de illis Apocal. VIII. *ſeqq.* ſunt ſequentes:

א. *Tubicinia* expingunt, ſecundum nos, notabiliora quaedam Mala, quae temporis ſui Characterem hac parte conſtituunt, quatenus ea prae reliquis omnibus Malis eminent, et illius temporis propria ſunt, ut nulla alia eo modo exſiſtant; Mala porro, quae de Juſtitia Dei teſtantur. Verbo haec demonſtremus: Mala intelligi, ipſa Emblemata docent: Singularia et characteriſtica notari, ex eo liquet, quod ex tot aliis Malis, quae homines affligunt, haec ſelecta ſint, ordine quoque ſucceſſivo; cujus alia reddi nequit ratio aptior, quam quod illa Mala characterizaverunt tempus: quod e Tubiciniorum emblemate et comparatione cum Sigillis confirmatur. Docent Tubae, ea Mala maximum editura ſtrepitum ac rumorem: et ſicut per Sigilla Caſus Eccleſiae characteriſticos, ſic ejus generis Mala per Tubos ſignificata eſſe, non obſcure elucet. Mala quoque ſunt, quae Juſtitiae Dei ſingularia ſunt effecta; cujus indicium quoque in eo eſt, quod orta ſint ex *igni* de Altari ſumto, et in terram emiſſo.

ב. Mala expinguntur, quae ad Eccleſiam quidem aliquam habent relationem, ſed eam, qua talem, directe non feriunt, ſed Societatem Politicam et Civilem. Sunt Sigilla a Tubiciniis diſtinguenda. Sicut Sigilla characteriſticos Eccleſiae caſus, ita Tubicinia ejusdem generis Caſus, qui Civitatem concernunt, ponunt ob oculos: id quod ipſa Emblemata confirmant. Nec tamen ad Civitates, quae nullum ad Eccleſiam reſpectum habent, pertinent; ſed ad eos, quae Eccleſiam comprehendunt, ita ut aliqua quoque horum Malorum relatio ſit ad Eccleſiam: hoc enim niſi ſtatuatur, nimium a ſcopo et argumento Libri Apocal. diſcederetur. Nolim ergo

reſtringi

restringi Tubicinia ad Imperium Romanum, sive Paganum, sive Antichristianum, tanquam Ecclesiae hostem: ejus opinionis solida non est Ratio: quae enim a mystico Ægypti et Hierichuntis conspectu petitur, nimis levis est ad hanc Hypothesin fulciendam. Mala sunt, Civitatibus insligenda, quarum certa est ad Ecclesiam relatio. Mala intelliguntur, quae tempus suum definiunt. Accedit, illa in imperio Romano, qua adversario Christi et Ecclesiae, demonstrari non posse: Imperium Paganum cessavit post Constantinum M., nec incepit Antichristianum nisi Sec. XII. Ratio etiam dari nequit, quare reliqua Regna Orientis et Occidentis, seu Pagana, seu Muhammedana, excluderentur.


3. Tubicinia et Sigilla una serie decurrunt, sibique hac parte aliquo modo respondent, ita ut easdem definiant Periodos: sive, Tubicinia comprehendunt Judicia, quae in Periodos Sigillorum incidunt, easque hac parte characterizant; licet fieri possit, ut vel citius inceperint, vel diutius durent, aut citius finiantur: quemadmodum Epistolae et Sigilla secum coördinantur. Eo nos ducit Numerus septenarius, si, quod a Cl. Vitringa evictum est, Tubicinia una cum Sigillis decurrant.

§. XXXIII. Epistolae ergo, Sigilla, et Tubicinia, VII Periodos Ecclesiae definiunt: sed Epistolae respectu *interni*, Sigilla *externi* status Ecclesiae, Tubicinia respectu *Civitatis* ac Societatis Civilis. Triplicem hunc conspectum refert Ecclesia. Tubicinia ergo characteristica Dei Judicia in Societates repraesentant, quae in illas Ecclesiae Periodos incidunt, totidemque faciunt Malorum characteristicorum Periodos. Quae Hypothesis viam monstrat ad Tubiciniorum intellectum definiendum.

Sic stravi viam ad Specialem Tractationem, quam nunc aggredior.



TRACTATIO SPECIALIS.

§. XXXIV. Ractatio Specialis in ipsis Periodis singulatim illustrandis historice et prophetice versatur; quae eo etiam multum conducet, ut Systema hoc certioribus fundamentis superstruatur, adeoque mereatur calculum. Ut vero ordinis observandi conspectum dem, *primo* Tractatio nostra erit Historica, *secundo* Prophetica. Historia recte percepta, facilior est Prophetiae explicatio et applicatio. *Historica* Tractatio *primo* respicit ad cujusque Periodi statum externum, *secundo* ad internum. In utraque parte *primum* in lucem proferam Characteres dominantes; *dein* Casus illustriores addam, subjuncta demonstratione, eorum Casuum *nullum* posse constituere Characterem Periodi. In *Prophetica* Tractatione *primum* locum dabo Apocalypsi: *dein* addam alias, si dentur, Prophetias: denique sequetur comparatio Fatorum OEconomiae V. et N. secundum varias illas Periodos. Sic, ni fallor, plenum tandem evadet Systema Propheticum.



PERIODUS PRIMA,

Quae, si late sumatur, se ab Exaltatione Christi porrigit ad med. Sec. III. seu Decium: sed, si relate ad Apocal. intelligitur, incipit a tempore Domitiani, seu circa finem Sec. I.

§. XXXV. Eriodi Tractatio erit (1) Historica; (2) Prophetica.

I. In Historica Tractatione (1) considerabimus externum Ecclesiae Statum; (2) internum. Ad *externum* si attendamus, ejusque Partes

Partes essentiales et accidentales attente perlustremus, Characteristicum Casum nullo negotio deprehendemus in mirabili Ecclesiae per Orbem Propagatione. Si praeterea alios Casus notabiles investigemus, in *essentialibus* Partibus nihil singulare detegere poterimus, cum omnia fuerint sana et pura; si rem in genere spectemus. Sed in *accidentalibus* Partibus aliqui se offerunt Casus notabiles; Gloria scil. Ecclesiae et Splendor, tum in Donis extraordinariis, tum illustrium Doctorum copia: dein Haereses et Schismata, et Persecutiones; tandem Reipublicae Judaicae excidium, et Ecclesiae publica a Judaeis separatio. Sed casuum horum nullus Periodum distinguere, ejusque Criterium absolvere potest. Est Propagatio Ecclesiae longe illustrior, ut mox patebit. Ad *internam* Ecclesiae conditionem attendentes, duplicem vel triplicem hic observamus Periodum: *prima* est laetissima, *secunda* tristior, *tertia* iterum laeta. Prima est, quae temporibus Apostolicis fuit conspicua. Secunda inde usque ad Sec. II. quo in statu Ecclesia erat, cum Johannes accepit Apocalypsin. Caeterum Zelus Religionis et Puritas Ecclesiam characterizant, quod ad interiorem statum, licet plurimae aliae Virtutes locum habuerint, illae tamen Zeli et Puritatis praecipue fuerunt conspicuae. Verum haec specialius sunt consideranda.

§. XXXVI. A. Incipio ergo a Charactere Periodi *dominante* in Ecclesiae Propagatione per Orbem. Propagationis Euangelii Historiam hic praesuppono notam: certe accuratum ejus dedimus intellectum in Instit. Histor. Eccl.; brevi ergo conspectu hic contentus ero, per certa intervalla pergens.

I*mum* est Ecclesiae fundatae Hierosolymae a Festo Pentecostes X diebus post Christi adscensionem, seu a. Æ. V. 33. Tiberii 20. usque ad Persecutionem Stephanicam, quod est IV annorum intervallum: Stephani enim mors incidit in a. Æ. V. 37. Caji 1. De Propagatione Euangelii hoc intervallo vid. Act. II: 41, 47. IV: 4, 14. V: 26.

II*dum* Intervallum est Ecclesiae dispersae per Palaestinam, et varias Regiones Syriae ac Arabiae; a conver-

ſione Pauli usque ad ſecundum iter illius Hieroſolymitanum cum Pecuniis collectis; ad a. Æ. V. 43. Claudii 3*tium*, quod eſt annorum VI. De Propagatione Euangelii vid. Act. VIII: 1, 5 *ſeqq.* 40. IX: 31 *ſeqq.* XI: 19, 20, 25. XII: 24.

IIItium eſt Eccleſiae per Aſiam, praecipue Minorem, diſperſae, quod VII vel VIII annorum eſt, uſque ad Concilium Hieroſolymitanum, ſeu ann. Claudii 10 aut. 11. Æ. V. 50 vel 51. De Propagatione Act. XII: 24. XIII: 1---12, 43, 48, 49. XIV: 1, 6 *ſeqq.* 21---XVI: 1, 2.

IV*tum* Intervallum eſt uſque ad prima Pauli vincula, ſeu ann. Neronis 4. Æ. V. 58. eſtque annorum VI vel VII. Complectitur Propagationem tum per reliquas Aſiae Min. partes, tum per Graeciam &c. Paulus enim ad Illyricum uſque videtur hoc perveniſſe intervallo. Vid. Rom. XV: 19.

V*tum* eſt inde ad Trajanum, quando minus fuit Eccleſiae incrementum, ſi ad praecedentia attendatur tempora et ſequentia. Tamen ſtatuendum non eſt, nullum fuiſſe: de quo leg. Plinii teſtimonium Epiſtol. L. X. ep. 97. quae ſcripta eſt in Aſia ao. CIII. ubi Johannes et alii Viri tum adhuc fuerunt.

VI*tum* Intervallum eſt ad Decium ſeu medium Sec. III. quo ſtupenda fuit Eccleſiae et Evangelii Propagatio; ut in Inſtit. Hiſtor. certiſſimis teſtimoniis demonſtrare ſolemus. Paucis itaque hic ero contentus, notabilibus nimirum Lactantii verbis, et Veterum de Eccleſiis per orbem ſparſis, ac immenſa Chriſtianorum multitudine. Lactantii verba de Trajani et ſeq. temporibus usque ad Decium ita habent de Mort. Perſec. cap. 3. *ſecutis temporibus, quibus multi ac boni Principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum inpetus paſſa* (Eccleſia) *manus ſuas in Orientem Occidentemque porrexit, ut jam nullus eſſet terrarum angulus tam remotus*, quo *non religio Dei penetraſſet; nulla denique natio, tam feris moribus vivens, ut non ſuſcepto Dei cultu*

ad

ad justitiae opera nitesceret. Concinit Eusebii H. E. l. IV. c. 2, 7. qui stupendum etiam, quem Ecclesia fecit, progressum a Trajani temporibus repetit. De ingenti Christianorum numero, per orbem Romanum, scriptores hujus Periodi testantur uno ore omnes. Citabo tantum praecipua loca huc pertinentia: Justin. Mart. in inscriptione *apologiae* vulgo II*dae* &c. ibid. p. 62. dialog. cum Tryphone Judaeo p. 345. Irenaei adv. Haeres. l. I. c. 10. Tertull. adversus Judaeos c. 8., ad Nationes l. I. c. 1. ad Scapulam c. 2. ubi Christiani, *pars pene major civitatis cujusque*, dicuntur, vid. et ibid. c. 5. Et de Anima c. 49. ubi dicit, *nulla jam gens Dei extranea est, in omnem terram, et in terminos orbis Evangelio coruscante.* Origen. contra Celsum l. I. p. 21, 68. III. p. 117. Hom. IV. in Ezech. oper. t. III. p. 370. Minut. Felix in Octavio p. 312. Euseb. de Commodi temporibus Hist. Eccles. l. V. c. 21.

§. XXXVII. In hac jam Ecclesiae Propagatione Characterem Periodi constituo: 1*mo* quod sit non tantum illustris Casus et Singularis, sed valde conspicuus, qui in omnium incurrit oculos: 2*do* Casus durans et continuus per totam Periodum porrectus; licet eodem gradu semper non exstiterit, nunquam tamen defecit hac Periodo: 3*tio* Casus est dominans, super alios eminens, quo nullus alius fuit excellentior et magis conspicuus, ut mox liquebit. Haec vero demonstrant Characterem Periodi; adeoque tuto collocatur Character hujus Periodi in hoc Casu.

§ XXXVIII. Addamus nunc alios praestantiores hujus Periodi, ut eo magis elucescat, Propagationem esse Casum Characteristicum, et simul demonstremus, quinam casus respexerunt ad interiorem Ecclesiae statum. Alii Casus hujus Periodi referendi sunt vel ad *Essentiales* Ecclesiae Partes, vel *Accidentales*.

א. Essentiales quaerendi sunt in Confessione Fidei, Cultu, et Regimine. Sed hac parte nihil peculiare se nobis offert: etsi Ecclesia post Sec. I. in nonnullis Capitibus Doctrinae alias foverit opiniones ac nunc, minoris tamen mo-

menti ſunt. Sana fuit confeſſio in Capitalibus Dogmatibus, ut de Trinitate, ſi unum vel alterum Doctorem excipias; de Satiſfactione et Gratia, ſtatu Animarum poſt hanc vitam; de Sacramentis paulo aliter; ſed quae adhuc tanti non fuerunt, licet progreſſu temporis magis noxia produxerint effecta. In Cultu Eccleſia, ſi nonnullos Ritus exceperis, conſervavit ſimplicitatem et puritatem: conſiſtebat in Oratione ad Deum et de Deo, et Sacramentorum exercitio; quibus acceſſerunt Jejunia, Stationes, et Commemorationes Martyrum anniverſariae. Inter conſuetudines erat ſignatio Crucis, ſed ſine ſuperſtitione; ut et Reliquiarum honoratio. Regimen quidem Epiſcopale obtinuit, ſed ſine dominio aut autoritate ſuperemimente. Quae omnia in Inſtitutionibus noſtris Hiſt. Eccleſ. fuſius deducta ſunt.

§. XXXIX. ב. Quod ad Partes Accidentales; huc refero *ſplendorem* et *Pacem Eccleſiae* ab altera parte; et *Pacem politicam aut Perſecutiones* ab altera. Ad *Gloriam Eccleſiae*, *tum* Dona extraordinaria Sp. S., *tum* illuſtres Viri pertinent: Doctores et Scriptores poſt Apoſtolos et Viros Apoſtolicos, Clementem, Polycarpum &c. fuerunt a Sec. II Ignatius, Melito Sardenſis, Quadratus, Papias, Juſtinus Martyr, Athenagoras, Hegeſippus, Tatianus, Hippolytus, Tertullianus, Origenes, Clemens Alexandrinus, Irenaeus et alii, de quibus agimus in Hiſt. Eccl. Tamen in hoc ſplendore Character Periodi non eſt collocandus: 1*mo* quod in initio Periodi praecipue hic caſus eminuerit; imo inprimis antequam Periodi fluere coeperunt; nam Periodi pracipue incipiunt poſt tempora Apoſtolica. 2*do* Quod Caſus hic non fuit univerſalis; ſed paucis tantum conceſſa illa dona: nec adeo multi fuerunt Viri illuſtres, ut totius Eccleſiae Periodum conſtituant. 3*tio* Character ſingularis non fuit; nam alio tempore donis et viris illuſtribus quoque fulſit Eccleſia. 4*to* Caſus hic collatus cum Propagatione minus fuit conſpicuus; ita ut Character dominans manſerit Propagatio.

§. XL. Secundus Caſus accidentalis, cujus hic haberi poteſt

poteſt ratio, quaerendus eſt in *Pace Eccleſiae*, quae referenda eſt ad Haereſes et Schiſmata: ubi (1) Haereſes et Schiſmata innoteſcere debent; (2) tum inquirendum, quid mutationis inde Eccleſiae acciderit.

a. Quod ad *primum;* Haereſes, quae per totam Periodum dominatae ſunt, fuerunt praecipue Gnoſticorum, tum Theoreticorum, tum Practicorum. Quibus acceſſerunt Haereſes de Divinitate Chriſti, et perſonali Trinitatis diſtinctione, ſub finem Periodi. Gnoſtici *Theoretici* fuerunt Sec. I. Simoniani, Menandriani et Cerinthiani. Sec. II. praecipue Valentiniani et Marcionitae. *Practici* Seculo I. Nicolaitae; Sec. II. Carpocratiani. Circa divinitatem Chriſti Theodotiani et Artemonitae: circa Perſonalitatem Trinitatis Noetiani, Praxeani et Sabelliani. Schiſmata autem fuerunt, tum cauſa diëi Paſchatis, tum Montaniſmi Sec. II. de quibus omnibus quoque alibi agimus.

b. Quaeritur jam, quem locum haec teneant in Periodo characterizanda?

α. Schiſmata vix in cenſum veniunt: Caſus illi nec continui fuerunt, nec huic tempori proprii, nec multum detrimenti attulerunt Eccleſiae. Pax Eccleſiae ne quidem per Quaeſtionem Paſchalem turbata eſt: Excommunicationis Papae Victoris nullus fuit effectus. Montaniſmus quoque, licet Schiſma produxerit, inſignes non habuit progreſſus; et circa finem Periodi demum exarſit: ut ſic hujus Periodi Characterem nullo modo conſtituere queat.

§. XLI. β. Quod ad Haereſes:

1. Fuerunt illae hoc tempore maxime conſpicuae, et magnam merentur animadverſionem; tum quod per totam fere duraverint Periodum; tum quod Eccleſia aliquid detrimenti per eas paſſa ſit: quare internae Eccleſiae Character hujus quoque caſus reſpectu definiendus erit, ut patebit mox. Character ille ſitus eſt in ſtudio Veritatis non tantum propagandae, ſed et tuendae et purgandae. Sed licet ſit Caſus prae aliis multis eminens, tamen

2. Externae Ecclesiae faciei Characterem absolvere non potest: 1*mo* quia Casus huic Periodo non est proprius; nam majore gradu Sec. IV et V. fuit conspicuus. 2*do* quod Ecclesia se ab illis separavit; ab illis valde abhorruit. Haereses ergo extra Ecclesiam magis se ostentarunt, adeoque Ecclesiae ipsius characterem commodo constituere nequeunt. 3*tio* nimis absurdae fuerunt, quam ut progressus magnos facere potuissent: abstractae nimis erant speculationes: Doctores Ecclesiae se tanto studio opposuerunt, ut progressus sit brevi sufflaminatus. 4*to* si Casus hic comparetur cum Propagatione Evangelii, hanc esse longe excellentiorem, quae vehementius afficit, nullo negotio perspiciemus. Euangelium quoque longe lateque diffusum: Haereses contra ne quidem hac parte cum Propagatione Euangelii comparandae: hic ergo Casus longe eminuit. Si Haereses plus nocuissent, quam profuit Propagatio, aliud adhuc foret.

§. XLII. Sed difficiliorem inquisitionem praebet tertius Casus singularis accidentalis, situs in *Persecutionibus* Ecclesiae. Secundum vulgatam Sententiam Persecutiones fuerunt tam multae, et atroces, per totum Sec. II. ut in iis Periodi character videatur constituendus. Sed in Instit. Histor. accurate demonstravi, duas tantum obtinuisse Persecutiones publicas, et valde breves, Neronis ac Domitiani Sec. I. Seculo vero II*do* nullas fuisse, nec III*tio* usque ad Decium; nullas publicas universales, tantum particulares, tumultuarias, a plebe commotas, ab Imperatoribus repressas. Demonstravi quoque, in illis Persecutionibus Characterem Ecclesiae constituendum non esse. Pauca tantum inde excerpam, quae vulgatae sententiae de tot publicis persecutionibus nervos incidunt, et characterem periodi in iis poni non posse demonstrant. 1. Ecclesias, a Trajano ad Decium, pace fuisse hac parte gavisas, Veteres clare et diserte testantur. Lactant. mort. Persec. cap. 3. Ecclesiam post Domitianum ad Decium usque *nullos inimicorum impetus* passam esse, ipsis verbis testatur. Tertull. de *corona militis* cap. 1, 2. *mussitant*, inquit, *tam bonam*

et

et longam pacem periclitari. Origen. contra Celſ. l. III. p. 120. *perſecutionis metum* ἤδη χρόνῳ πλείονι *jam longo tempore ceſſaſſe*, adfirmat. alia mitto. 2. Perſecutores nullos memorant Imperatores poſt Domitianum ante Decium ſcriptores antiqui; quin abſolvunt omnes intermedios. *Secutis temporibus*, ſcilicet a Domitiano ad Decium, *quibus multi ac boni principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum inpetus* paſſa eſt Eccleſia, inquit Lactant. l. c. ſic et Tertull. in apolog. c. 5. *Ceterum*, inquit, de *tot exinde* (a Domitiano uſque) *principibus ad hodiernum* (Severum, ſub quo ſcripſit) *divinum humanumque ſapientibus, edite aliquem debellatorem Chriſtianorum*, h. e. publicum perſecutorem. 3 Robur haud leve additur, quod eorum ipſorum Imperatorum, qui inter perſecutores numerantur, *reſcripta* in favorem Chriſtianorum memorantur, ut Trajani apud Plinium, notiſſima illa epiſt. de Chriſtianis, Hadriani apud Euſeb. H. E. IV: 26. et in Chron. Antonini Pii ibid. c. 13, 26. Marci Aurelii ibid. cap. 13. Quod vero ad Maximinum adtinet et Severum, qui perſecutoribus accenſentur; prioris rationem eſſe habendam, negat Sulpit. Severus, poſterior quoque ſi eximatur eorum numero, nullus tota hac periodo demonſtrari poterit: utique Tertullian. haud obſcure ipſum abſolvit in Apolog. c. 5. non tantum, quod, ſolos *inpios*, *injuſtos*, *turpes*, *vanos* Imperatores leges contra Chriſtianos exſequi ſolere, adſerat, qualem non habuit Severum Tertullianus, ſed in primis, quod poſt Domitianum tradat *nullum, divinum humanumque Sapientem* demonſtrari ad *hodiernum* uſque, qui perſecutionem inſtituerit: ubi *Severum* per *hodiernum* intelligit, bonis principibus accenſeri ſolitum, Quid? quod in libro ad *Scapulam* cap. 4. teſtetur, Severum fuiſſe *Chriſtianorum memorem*, eos *defendiſſe*, *et populo furenti in os reſtitiſſe*. Addatur denique, tempore Origenis, quo homilias ſcripſit ad librum *Numer.* Moſis, nullam viguiſe publicam perſecutionem, quae *Martyres* fecit, uti ex Hom. X. oper. t. II. p. 302. ed. nov. patet. 4. Denique *perſecutiones*, quae viguerunt, non *publicae*, publica autori-

 tate

tate munitae, potius edictis contrariae, sed *privatae* fuerunt, tumultuariae, passim a plebe suscitatae, vel praesidibus ei faventibus, nec *universales*, sed particulares his illisve in locis grassatae, quae Christianismo parum nocuerunt, nec durabiles fuerunt; adeo ut, illis non obstantibus, Ecclesiae censeri possint *pace* gavisae; utique in illis *character* dominans Ecclesiae constitui nequeat. Quod ex comparatione cum persecutionibus, quae tempore Decii inceperunt et deinceps continuarunt, clarius et luculentius elucescet: de quo postea. Quod si singulas persecutiones, quae hac periodo obtinuisse statuuntur, perlustrare, et ad examen revocare, nunc liceret; dictis clarius adhuc lumen infundi et robur addi posset. Sed illud feci in Institution. Hist. Eccles. quae consulendae sunt.

§. XLIII. Restat, ut Singularem casum, qui directe ad Judaeos, indirecte ad Ecclesiam pertinet, memorem; gravissimum scil. Judicium in Judaeos per Vespasianum, Titum, et Adrianum executioni mandatum, quo Hierosolyma destructa est, nova Urbs condita, dicta Ælia; incredibilis Judaeorum multitudo exstincta, et Respublica cum Religione deleta. Quem Casum suppono notum, a nobis etiam in Hist. Eccles. enarratum. Nostrum hic est, verum ejus verbo pandere conspectum, quemque in Periodo nostra locum teneat, exponere. Duplicem praefert faciem, alteram absolutam, alteram relativam. Si per se et *absolute* consideretur, gravissima est Poena Judaeis ob crimina inflicta; ut Judicium Diluvii, destructio Sodomae &c. Sin *relative* ad Ecclesiam spectaveris, utique pertinebit ad Oeconomiae Vet. destructionem, et Novae Propagationem. Vid. Instit. nostrae Hist. Eccles. Unde elucescit, Periodi Characterem, in Propagatione Ecclesiae situm, illustrari per illum casum: quare hujus mentio negligi non debebat.

§. XLIV. B. Pergamus ad *interiorem* Ecclesiae statum, qui dependet a Virtutibus ac Vitiis. Character Ecclesiae hac parte est, ex nostra opinione, Zelus seu fervens Religionis studium, quod partim in Religionis adsiduo exercitio elucet, partim

partim in Euangelio propagando, non obſtantibus Afflictionibus, partim in Religionis puritate conſervanda, et ab omni Superſtitionis, Idololatriae et errorum gravium, mixtura purganda. In hoc ſtudio ardente cum Characterem internae Ecclesiae conſtituo;

א. Virtutes reliquas non excludo, ut Fidei, charitatis, modeſtiae, abnegationis ſui ipſius, ſpiritualitatis, &c. quibus Eccleſia hujus Periodi fulſit: ſine illis enim Zelus Religionis vix conſiſtit; per eas certe ſuſcitatur et ornatur: Sed id tantum contendo, Zelum Religionis maxime fuiſſe conſpicuum in Eccleſia, et primariam fuiſſe Virtutem. Nec etiam

ב. defendo, in omnibus Chriſtianis id ſtudium aeque viguiſſe aut omni tempore, ſed κατὰ τὸ πολὺ, et per maximam Periodi partem: (reſedit hic Zelus tempore intermedio, et iterum circa finem Periodi valde coepit imminui:) Argumenta noſtra ſunt ſequentia;

a. Externus Eccleſiae Character, incredibilis ſcilicet Euangelii Propagatio, fuit hujus Zeli effectus ac ſignum. Sicut ergo Eccleſia externa per illius Propagationem, ſic interna per conſequens diſtinguenda eſt per Studium et Zelum Religionis propagandae: quae duo ſibi reſpondent.

b. Judicium Domini Apoc. II. quo Charitatis defectum in Eccleſia notavit, quae antea viguit, et poſt iterum reſumta eſt, non obſcure indicat, Characterem Eccleſiae internae in eo ſtudio eſſe quaerendum.

c. Hiſtoria id ipſum extra dubium ponit: de quo jam antea egi; quae nunc non repetam.

§. XLV. Caeterum cum tempore intermedio hoc Studium fuerit remiſſius, adeoque interna Eccleſia ſubierit mutationem, duae ejus diſtinguuntur Periodi, quarum *altera* eſt Studii hujus remiſſio, *altera* ejus reſumtio. *Prior* eſt a Nerone ad Trajanum; *poſterior* inde ad Decium; quam diſtinctionem duae primae Epiſtolae Apocal. confirmant et declarant. Hiſtoria autem reddit certiſſimum; ut in Hiſt. Eccl. demonſtravi. Sed dicat quis, ob eam rationem non II, ſed III Periodos Eccleſiae

internae ſtatuendas eſſe; ut prima ſit Eccleſiae fervidae, ſecunda tepidioris, tertia iterum fervidae. Reſpondeo: (1) Tepor intermedius fervoris continuationem tantum intercepit, quippe qui paululum remiſſus erupit mox iterum in flammam, ut primae et tertiae Periodi unus ſit character, adeoque in genere una Periodus, quae Eclipſin paſſa eſt. (2) Periodi poſt Neronem demum coeperunt currere, ſi rem accurate definire velimus: ſunt enim Periodi Eccleſiae jam fundatae et erectae. Periodus Apoſtolica eſt Eccleſiae fundatio, quae duravit ad Neronem, quum praecipui fundatores mortui ſunt; longaevitas Johannis eſt plane extraordinaria. Ergo II tantum ſunt Periodi faciei Eccleſiae interioris.

XLVI. Alia adhuc tollenda difficultas, quam idem Character internae et externae faciei Eccleſiae habet: ſicut enim Zelus propagandi Euangelii internam definit, ita ipſa Propagatio externam: reſidente autem Zelo, Propagatio quoque minor fuit: ſi ergo Zelus remiſſus et reſumtus duas conſtituat Periodos internas, certe Propagatio remiſſa, et vigori reſtituta, duas quoque deberet efficere Periodos externas. Quae difficultas ut tollatur,

a. Obſerv. Studii Religionis et Charitatis remiſſionem tum obtinuiſſe in univerſum, non tantum propagandi Euangelii: ſi Zelus promovendae Eccleſiae tantum reſediſſet, caetera viguiſſet in aliis virtutibus, Periodum diſtinctam vix efficere potuiſſet.

b. Zelo remiſſo, Character quidem Propagationis Euangelii minus conſpicuus fuit, non tamen plane exſtinctus: licet tepidius ſit Studium, Regni tamen Chriſti Propagatio tenere aliquem locum potuit; licet non ea rapiditate et extenſione.

c. Diverſae Periodi exterioris conditionis ſtatui nequeunt; quod alius tum non fuit Character diſtinguens externus. Facies exterior Eccleſiae a Nerone ad Trajanum nihil praetulit ſingulare, quod eam diſtinguere poſſit; interior ergo facies illam verius definit. Exterior praeter interioris Eccleſiae

Cha-

Characterem nihil praetulit peculiare; sed interior tale quid habuit: ergo hujus faciei statuendae Periodi. Character quoque exterioris faciei, Propagatio scil. Ecclesiae, censeri potest continuasse, licet minus fuerit fervens. Ergo quamdiu durat Euangelii Propagatio, et non alius Character est, qui magis in oculos incurrit, tamdiu eadem Periodus censenda est continuare; licet uno tempore ejus Periodi Character magis elucescat, quam alio.

d. Tandem Not. rem ita digerendam esse, ut Ecclesiae fundatio duraverit ad Neronem, unde coepit, vel incipere debuit Propagatio, sed quae per remissum Zelum paululum retardata est: donec, eo resumto, coeperit a tempore Trajani: et ab eo proprie inceperunt currere Periodi exterioris Ecclesiae; quod cum Apocalypsi convenit egregie.

§. XLVII. II. Pergo ad Propheticam tractationem: in qua *primum* locum merito tenet Apocalypsis, cum illa Fatis Ecclesiae N. T. explicandis destinata sit: *deinde* reliquae Prophetiae V. T. comparandae sunt: et *denique* Harmonia Fatorum V. et N. T. subjungenda est.

Apocalypsis Fata Ecclesiae ordine complectitur, tum in Libro VII Sigillorum, tum in Epistolis sensu secundario. *Sigilla* ad exteriorem Ecclesiae faciem, *Epistolae* ad interiorem pertinent. Videamus ergo de *primo* Sigillo, quod Characterem Ecclesiae externae comprehendere debet.

Primum Sigillum 1*mae* Periodi Characterem exhibet, Equitem repraesentans equo albo insidentem, et arcu armatum; cui Corona Victoriae est data, ad declarandum, quod exiit vincens et ut vinceret, Cap. VI: 2. Quae verba, *et ut vinceret*, significant, quod Victoriam ulterius persequeretur, et eam perficeret. Exiit Eques post insignem jam Victoriam; et eam longe excellentiore adhuc victoria cumularet: *exiens vincens, et ut vinceret.* Christus ergo hic occurrit ut qui Ecclesiam jam fundaverat, multosque sibi subjecerat; sed qui de novo se accingebat ad Mundum subjugandum. Alia, quae ad Emblematis intellectum pertinent, ex Cl. Vitringae

 Comment.

Comment. petenda ſunt. Noſtro inſtituto ſufficit, criterium Periodi hinc derivaſſe. Propagationem Euangelii hic depingi, certum eſt: cum autem Chriſtus antea jam operi incubuiſſet, et nunc denuo aggrederetur, ſignificatur, id opus paulo remiſſius eſſe actum, ut novo vigore id ſuſciperet. Quod egregie cum Hiſtoria conjunctum eſt. Primus Chriſti conatus fuit ad Eccleſiam ubique fundandam: poſtea a Nerone ad ſcriptam Apocal. ſtudia fuerunt languidiora: ſed nunc cum fervore id opus reſumeretur, et magno ſucceſſu urgeretur; a quo tempore Periodus Propagationis Euangelii praecipue ſumeret initium. Complectitur ergo Sigillum I Notam characteriſticam Periodi 1*mae*, ejusque adtributum dominans: qui verus eſt Sigillorum ſcopus.

§. XLVIII. Cl. Vitringa, qui Emblema hujus Sigilli in genere praeclare expoſuit, et ad hanc ipſam Periodum applicuit, characterem tamen temporis quaerit in *albedine*, ut Pacis ſigno; hac ratione motus; quod Chriſtus toto Oeconomiae N. tempore Mundum vinceret. Unde colligit, alio Charactere temporis opus fuiſſe, quo illud reſtringatur ad Periodum I. quod ipſum quaerit in Pace ſeu albedine. In hanc ſententiam Vir ſummus delapſus non fuiſſet, ſi illa, quae nos de Periodorum Characteribus dominantibus attulimus, ipſi in mentem veniſſent. Ipſa Propagatio Characterem temporis definit. Chriſtus quidem ſemper vicit; ſed non ita, ut in eo Character dominans ſitus ſit; quod hic tantum ad rem facit. Interpretatio Cl. Vitringae et aliis laborat difficultatibus:

A. Si *Pax*, qua Eccleſia fuit a Perſecutionibus libera, tempus Propagationis Euangelii, quod hic depingitur, definire debeat; Emblema aptius conveniret temporibus, quae Conſtantinum M. exceperunt; Sed et plura talia tempora fuerunt, quibus Eccleſia gaviſa eſt pace, et incrementum fecit. In Pace ergo non poteſt figi Character.

B. Periodus, quae uſque ad Decium fluxit, hunc characterem non admittit. Perſecutiones particulares fuerunt ſatis frequentes: non quidem fuerunt tot et tales, ut temporis

poris criterium definire possint; tamen plures fuerunt Vexationes, quam ut Pax Notam temporis constituere possit. Dici nequit, Ecclesiam tunc pace gavisam esse, nisi restricte ad sequentem Periodum. Nota ergo temporis in Pace collocari nequit.

C. Color albus non recte ad Pacem notandum refertur in hoc Emblemate, quod totum spectat ad Rem Bellicam. Persona in scenam sistitur Militaris, instrumentis militiae instructa, quae se ad Victoriam accingeret: ubi nullus videtur esse Pacis locus. *Albedo* autem ad dignitatem Personae Imperatoris, ad Expeditionis prosperum successum, ad Victoriam, ad Splendorem et gloriam temporis, quo exiret, verius refertur. Quod verbo notasse sufficit. Depingitur ergo Propagatio Ecclesiae cum insigni successu, eaque conjuncta cum prosperitate et gloria Ecclesiae; qui successus nulla re retardabatur, ita ut Afflictiones, quae tunc obtinuerunt, hic in censum non veniant, quippe quae nullae fuerunt publicae, et progressum Euangelii non sufflaminarunt, quin auxerunt magis: Christus inoffenso pede hic depingitur progredi; quod cum opinione de tot Persecutionibus publicis conciliari nequit.

§. XLIX. Pergo ad Epistolas Apocalypt. in quarum Expositione Prophetica vix recte versari potuerunt Interpretes, quod Praeter. Praes. et Fut. tempus in illis non recte distinxerint. Prima Epistola a Cl. Vitringa ad Ecclesiae Periodum I refertur usque ad Decium: Sed Ecclesia in illa laudatur a conditione praeterita, praesens status reprehenditur. Zelus Ecclesiae in Epistola I laudatur in Pseudapostolis detegendis; quod est criterium Ecclesiae Apostolicae usque ad Neronem: conferatur v. 9. atque styli differentia, ubi falsi Doctores dicti *Judaei*, non Apostoli. Denique v. 6. memorantur Nicolaitae; et praesens Ecclesiae status in illa Epistola tantum laudatur a Christo hoc respectu, quod *eorum opera* odio habeat Ecclesia. Quod si idem Ecclesiae status intelligeretur, et praeteriti et presentis distincta non fieret mentio; Dominus illud hic non monuisset, qui v. 2. illam longe fortius laudaverat: Ergo

Epiſtola duplicem ſtatum Eccleſiae primae uſque ad Trajanum, primum et praeteritum laudatiſſimum, praeſentem maxime culpandum exhibet, eo tantum excepto, quod odio habeat opera Nicolaitarum. Virtus autem praecipua, quam Dominus hic reſpectu ſtatus praeteriti celebrat, eſt ardens Eccleſiae ſtudium, id ſcil. a quo nunc defecerat, cum Epiſtola ſcripta eſt; exprimitur nomine *Charitatis*. Illud vero ſtudium ante demonſtraverat Eccleſia, 1*mo* in propagando Euangelio, ſeu labore patientiſſimo, v. 2. 2*do* in Veritatis conſervatione et purgatione, adeoque in *falſis* Apoſtolis detegendis: ib. 3*tio* in quibusvis Malis ob nomen Chriſti perferendis, v. 3. Quae clara eſt deſcriptio Eccleſiae Apoſtolicae ad Neronem uſque: Sed ab hoc ſtudio deſciverant a Nerone ad Trajanum, v. 4, 5. abſterriti Perſecutionibus Neronis ac Domitiani: ita ut de zelo propagandi Euangelii, de ſtudio Martyrii et Haereticorum inquirendorum, multum remiſerint; excepto quod opera Nicolaitarum ſemper odio habuerint, quod Epiſtolis Petri ac Judae videtur acceptum ferendum; ut et nimis improbae eorum hominum Haereſi. Hic eſt verus conſpectus Epiſtolae I*mae*.

§. L. Epiſtola autem II*da* ſecundum nos deſcribit Eccleſiam ex languore illo reſtitutam, nulloque vitio graviori, quod publicam merebatur reprehenſionem, laborantem; adeoque ſtudio Euangelium propagandi, Haereticos exterminandi, et afflictiones perferendi, illuſtrem: cujus conditionis ſequentia in illa Epiſtola reperiuntur criteria:

A. Titulus, quo Chriſtus ſe inſignit, Eccleſiam ex mortuis quaſi reſuſcitatam depingit, adeoque ex collapſo ſtatu reſtitutam. Haec inſtauratio ſolet in S. S. venire nomine *Vivificationis*.

B. Parentheſis illa, qua Chriſtus Eccleſiam appellat *divitem*, quae praeſentem Eccleſiae conditionem directe definit, luculenter docet, Eccleſiam fide et charitate, aliiſque Bonis ſpiritualibus, inter quae praecipuum *Gentium haereditas*, abundaſſe. Hae ſunt Spirituales illae divitiae, quibus Eccleſia tunc abundavit in media paupertate.

C. Cum

C. Cum Chriſtus hac in Epiſtola afflictionem Eccleſiae, et Haereticorum peſſimi generis copiam, memoret; Eccleſiam interea hac parte non reprehendat; certum indicium eſt, Eccleſiam illis in caſibus recte ſe habuiſſe; adeoque in Haereticis detegendis demonſtraſſe ſtudium, in Perſecutionibus ſubeundis ardorem, in Euangelio propagando laborem pietatis: quo et facit, quod in initio dicat: *novi opera tua*, ſcil. et approbo: hanc enim phraſis habet emphaſin, niſi quid addatur, quo reſtringitur. Certum eſt, quod hi characteres rectius Eccleſiae a Trajano ad Decium, quam a Decio ad Conſtantinum M. conveniant.

D. Accedit aliud criterium a Fut. Tempore petitum, quo Perſecutiones publicae denunciantur Eccleſiae in futurum, quae coeperunt a Decio, et ad Conſtantinum M. uſque continuarunt. Unde colligimus, Eccleſiam in hac Epiſtola deſcribi ante Decium. Si Periodus enim a Decio ad Conſtantinum M. hic intelligeretur, Chriſtus de Perſecutionibus publicis, tanquam re praeſenti, locutus fuiſſet. Cl. Vitringa, ſummus hujus Libri interpres, hoc ſentiens, putat, Epiſtolam proprie eſſe datam ad Eccleſiam afflictam, quo erat ſtatu ſub Decio, Gallo et Valeriano, cum Diocletianeam Perſecutionem adhuc exſpectabant, tanquam futuram: verum

א. *Illud ſine ſolido fundamento ſtatuitur*: contra, Epiſtolae pertinent ad Eccleſiam totius Periodi: caeteroquin character temporis redditur incertus.

ב. Deciana Perſecutio initium fecit publicarum Perſecutionum; quae adeo illa phraſi, *habebis Perſecutionem*, &c. quoque comprehenditur.

ג. Deciana Afflictio et ſequentes uſque ad Diocletianum ſub generali illa phraſi afflictionum, in initio Epiſtolae, intelligi nequeunt: tum quod in genere quaecunque Mala complectatur illa notio, et diſtinguatur hic a publica Perſecutione, deſcripta hic ut futura; tum et quod Afflictio, in initio memorata, maxime adferret paupertatem, non tam mortem, licet non deeſſent Martyria plurima, tamen Bonorum ſpoliationes,

et aliae vexationes ſimiles, maxime locum habuerunt ante Decium.

ד. Accedit, Decii temporibus Eccleſiae conditionem non fuiſſe laudabilem, ſed corruptam potius variis vitiis, ut videbimus ſuo loco. Ei ergo tempori reliqui Characteres minus reſpondent. Caeterum quare Afflictio a Decio ad Conſtantinum appelletur Afflictio X dierum, poſtea exponam.

§. LI. Pergo ad *Tubicinia:* ſecundum noſtram hypotheſin ſi explicemus illa, *primum* Tubicinium conveniet in *primam* Eccleſiae Periodum, et tale aliquod judicium exprimet, quod hac parte Periodi Criterium dominans eſt. Cum autem per hanc Periodum Eccleſia conſtituerit partem Civitatis vel Societatis Civilis Imperii Romani, in hac Civitate Malum id quaeramus neceſſe eſt. Tale autem judicium ſingulare, prae reliquis ſonorum, cujus peculiaris fuit ad Eccleſiam relatio, nullum Hiſtoria ſuggerit, quod cum *excidio Reipublicae Judaicae* comparari poteſt. Conſtituebat illa, aeque ac Eccleſia Chriſtiana, partem Imperii Romani; ſed erat praeterea peculiaris Eccleſiae relatio ad Rempublicam Judaicam, unde nata erat, et cujus pars erat originalis. Excidium illius Reipublicae fuit quid notabile, quod ſicut per Orbem, ita per Eccleſiam praecipue, clariſſimum edidit ſonum, qualem nullum aliud Judicium hoc tempore; ut merito cenſeatur characteriſticum hujus Periodi Judicium. In hunc caſum qua ratione Emblema quadret, mox exponam, poſtquam difficultatem e medio ſuſtulerim. In eo ſita eſt, quod hic Caſus Excidii Reipublicae Judaicae ante ſcriptam Apocal. contigerit, Hieroſolyma quippe ſub Veſpaſiano deſtructa eſt; cum Apocal., quae ſub Domitiano demum data eſt, futura repraeſentet. Difficultas ſolutu non facilis foret; ſi Excidium tum fuiſſet abſolutum, non demum hac ipſa Periodo *prima* ſub Hadriano; et quidem poſt varia Bella, tum ſub Trajano per Ægyptum et Libyam, tum ſub Hadriano per Cananaeam, Judaeis infinito numero, praecipue in Bello ultimo in urbe *Bitter*, occiſis, et Terra funditus everſa. Quae, praeter Dion. Caſſium, deſcripſit Euſebius Hiſt. Eccl. L. IV. et

Oroſius

Orosius L. VII. ipsi Judaei in Talmude, et Maimonides; a Cl. Vitr. ad Jes. VI. in Notis citati. Diuturnum fuit et difficillimum bellum, quod omnes testantur. Maimonides dicit: *fuit Calamitas magna, similis vastationi Templi:* Et *perierunt tum Bello, fame ac Peste*, ut Euseb. Et haec fuit altera Vastationis Periodus, quae incepit cum Vespasiano; quare Jes. VI: 13. dicitur, *et iterum erit &c.* Haec altera autem Periodus destructionis Judaeorum, quae perfecit eversionem eorum, cum in Periodum hanc incidat, et post editam Apocal. diu acciderit, recte haberi potest pro casu hujus Periodi. Praeterea cum calamitas Judaeorum hoc demum tempore sit summum gradum assecuta, ejus utique respectu tota Calamitas ab initio usque, seu utraque periodus conjuncta, hic ob oculos ponitur; quod cum Prophetarum more est conjunctum: Vid. Dan. II et VII, ubi Regnum Babylonicum quoque adhuc repraesentatur in serie Regnorum: sic in *1mo* Sigillo Propagatio Euangelii cum praeterita Periodo exhibetur.

§. LII. Videamus jam de ipso Emblemate, num in hunc Casum quadret? Occurrunt in eo *grando* et *ignis*, mixta cum *sanguine* in terram projecta, et tertiam partem arborum, ac omne gramen viride, scil. tertiae partis Terrae, absumentia et vastantia. Quibus Mala gravissima divinitus inflicta, qualia sunt pestis, fames et bella, expingi, satis observatum est ab Interpretibus. Vid. Cl. Vitr. ad h. l. Tertia pars Terrae apte refertur ad terras illas Romani Imperii, in quibus vastati sunt Judaei, per Ægyptum, Libyam et Cananaeam. *Arbores* en *gramen* expingunt, quicquid est excelsum et florens in Gente Judaeorum, quod per haec Mala destructum est sub Vespasiano, Trajano et Hadriano. Omnia Mala hic nunc comprehenduntur, licet prima Periodus jam esset finita; quod hoc tempore sub Periodo Ecclesiae secunda illa Periodus complementum nacta sit. Hoc modo si terribilis hic casus consideretur, dubium non est, quin solus sit, qui tota hac Periodo contigit, in quo omnes Emblematis partes eo gradu fuerunt conspicuae, quique pro characteristico haberi meretur, precipue

respectu Ecclesiae. Nullus quoque Casus majorem edidit famam per orbem, praecipue per Ecclesias Christianas: nec fuit casus transitorius, sed et diu duravit: Effectum quoque habuit continuum et perpetuum. Accedit, Judaeos sub Antonino Pio iterum rebellasse et contusos esse: ut habet Capitolinus in Anton. Pio.

§. LIII. Nunc Prophetiae aliae V. et N. T. sunt inspiciendae, et videndum, quid contineant ad Periodum hanc in specie pertinens. Quem in finem praemitto, Prophetias V. T. quae ad N. T. aut Ecclesiam Christi, seu directe seu indirecte et sensu secundario, pertinent,

A. Beneficia Gratiae, ut Lucis, Libertatis, Gratiae, et Donorum Sp. S. aliorumque Bonorum Gratiae, in genere complectuntur, et describunt; ut e. gr. Ps. LXVIII: 19. Jes. XI: 9. XII: 1, 2. XXXV: 5, 6. XL: 1. XLIV: 1 *seqq.* Jerem. III: 14 *seqq.* XXIII: 4. XXX: 21. XXXI: 32. XXXII: 37. Ezech. XXXVI: 26. Hos. II: 18. XIV: 6 *seqq.* Zach. XII: 10. et quae aliae sunt Similes.

B. Prophetiae V. T. quoque continent specialia Bona et Privilegia in Ecclesiam N. T. conferenda: (1) Gentium confluxum ad eam magna copia, ut Gen. XLIX in Benedictione Judae; Ps. II. XLV: 6. LXXII. Jes. II. IX. XI. XLIX. LIV. Mich. IV. Zach. VIII et IX. Hagg. II. Sic et Judaeorum conversionem Hos. III. in principio Euangelii futuram, sed non nisi ultimo tempore consummandam: coll. Rom. XI. (2) Gloriosam et prosperam Ecclesiae conditionem; Ps. XLV. LXXII. CXXXIII, sensu secundario et penitiore. Jes. XI. XXXV. LIV. Hos. XIV. Zach. XIV sensu secundo. Mal. III: 20. (3) Pacem et tranquillitatem Ecclesiae, Jes. II. XI. Mich. IV. Zach. IX. (4) Hostium subjectionem Ps. II. VIII. CX. Jes. XI. Zach. IV. Sic Prophetiae solent Ecclesiam Christi describere.

C. Addo, Vaticinia illa, licet partem implementi habuerint in Ecclesia nostrae Periodi, praecipue Apostolica, tamen non omni parte, sed majore gradu perfectum implementum

plementum demum consequi sub finem temporum. Prophetae enim V. T., Fata intermedia inter initium et finem Ecclesiae Christi ignorantes, de Ecclesia N. T. loquuntur, prout aliquando exstitura est, ac si mox in initio illa foret illius conditio, quam tamen ex parte tum tantum habuit, suo tempore perfecte habitura. Quam hypothesin demonstravi in ult. Dissert. ad Vis. Emblem. Dan. Hac ratione Prophetiae illae applicandae sunt ad hanc nostram Periodum.

§. LIV. Sed quaeritur, num non sint speciales Prophetiae ad Periodum hanc unice pertinentes? Respondeo, nullas esse, nisi quatenus Ecclesia inter Judaeos vel Gentes versata, in quam haec Bona conferrentur, describatur: quo pertinet, quod Ecclesia depingitur in principiis *parva* et consolatione indiga; ut Jes. XL: 27. XLI: 17. Sed cum in hanc Periodum incidant, tum Persecutiones, tum Haereses, tum imminutum Charitatis studium inter Neronem et Trajanum, quaeritur, num non quid horum sit a Prophetis definite praedictum? Resp. hic illic indirecte quid occurrere de Ecclesia laborante, quae erigitur promissis, ut Jes. IV. XL. XLI et alibi. Sed nil speciale se mihi obtulit, aut de Persecutione Ecclesiae ob Fidem, aut de tristi ejus Statu. Novi, magnum illum Cl. Vitringa Obs. S. L. IV. C. 8. nonnulla Vaticinia e Psalmis et Prophetis ad eum statum applicuisse: Sed, ut puto, cum tanti viri pace, sine solido fundamento. Refert ad tristem hanc Ecclesiae conditionem.

A. Jes. XLIX: 14 *seqq.* Sed in Comment. praecipue applicat ad Ecclesiam tempore Persecutionis Diocletianeae. Sed illa Pericopa pertinet ad Maccabaeos.

B. Mich. VII: 1 *seqq.* Sed sine ratione solida. Cohaeret hoc Cap. cum praecedenti, nec ullum temporum Messiae criterium adest: contra, quae v. 8, 9. habentur, non quadrant in Ecclesiam Christianam hujus Periodi, rectius in Judaicam: dicit Ecclesia, *se cecidisse et iram Dei ferre, et hinc a Gentibus insultari.* Sic quod v. 12 de Judicio Dei in Assyrios &c. habetur, nos ad Ecclesiam Judaicam restringit.

L 3 Pertinet

Pertinet ergo hoc Cap. ad Judaeos paulo ante Exilium Babylonicum: de quo egi in Lectionibus ad Prophetas Minores.

C. Pſ. VII: XII, atque XIV. quibus terribilis Mundi corruptio deſcribitur; Sed Pſ. VII ad tempus Exilii Davidis ſub Saulo; Pſ. XII non niſi ſenſu remotiore ad Judaeos circa tempus Meſſiae pertinet; Pſ. XIV generalis eſt argumenti, quo juſtitia Providentiae vindicatur. De quibus egi in Comm. ad Pſalmos.

§. LV. Supereſt inquiramus (1) in Prophetias, quae aliquid habent de Charactere Periodi I. (2) quae de fato Reipublicae et Eccleſiae Judaicae vaticinatae ſunt.

Plurima ſunt Vaticinia de Vocatione Gentium, notiora, quam ut proferre neceſſe ſit: Singularia ad noſtram Periodum in ſpecie pertinentia exhibebo: ubi primum locum merito habet Pericopa Jeſ. XLI: 17---20. de Eccleſia prima Chriſtiana, quae incepit inprimis a tempore Trajani. Repraeſentatur Eccleſia verſans, in Deſerto arido, et magno aeſtu urente, ita ut aqua deficeret, et aeſtus affligeret. Quae deſcriptio applicari poteſt ad Eccleſiam a Nerone ad Trajanum. Promittit Deus, ſe ſtagna aquarum variis in locis abundanter eſſe aperturum, et quasvis arbores in deſerto producturum: quae clara eſt deſcriptio Emblematica Eccleſiarum variis in locis Imperii Romani ubique condendarum; quae ingentem conſolationem adferrent Chriſtianis, et Zelo ſeu deſiderio Salutis Gentium, quo flagrabat Eccleſia, ſatiſfacerent. Eo et collineat Vaticinium Jeſ. XLII: 10---17. Ubi primo Gentes ubique terrarum excitantur ad Deum laudandum, et ſummum ejus Beneficium in Orbem collatum celebrandum; quo ipſo Gentium converſio indicatur: dein Deus inducitur ut Heros, qui magno cum Zelo, et illuſtribus ſuae potentiae ſignis, credentes e poteſtate Satanae et Mundi liberat, et Euangelium propagat; porro ingente ſuo flatu igneo montes et colles flando vaſtos reddit, quae eſt deſtructio Idololatriae: et Paſtor duceret Populum in viam rectam. Notiſſimus eſt locus Jeſ. LIV. ad haec ipſa tempore pertinens. Alias Prophetias multas de Vocatione Gentium, ut notas, praetereo.

§. LVI.

§. LVI. Pergo itaque ad Singulare Fatum Gentis Judaicae, quo Reſpublica cum tota OEconomia Legali deſtructa eſt. Multae ſunt Prophetiae, quae illud Fatum in lucem protraxerunt. Ex Pentateucho huc pertinet Deut. XXXII: 29 *ſeqq.* ut in Notis probavi ad Cl. Vitr. Comm. ad hoc Canticum. Ex Libris Hiſtoricis 2 Sam. XXIII: 6, 7. ſenſu pleniore et ultimo, ubi inproborum, et domus Davidicae regiae adverſariorum, totalis exſtirpatio, ſub emblemate ſpinarum, quae non *manu* colliguntur, et in ſocietatem admittuntur, ſed violenter et armata manu invaduntur ac eradicantur, et igni abſumendae traduntur, abſque ut creſcere et multiplicari permittantur, depingitur. Verba exhibebo et paucis exponam. *Et*, vel *ſed*, *Belial* (*viri* Belial nullius frugis, inprobi et obſtinati) *ſicut ſpina quaſſata* (incuſſo anathemate ejecta cum publica infamia, Hoſ. IX: 17. quae vis eſt rad. נוד נדד) *quia non manu prehendent* (intractabiles ſunt, nec niſi violenter extrahi poſſunt) *ſed*, *qui tanget illos*, *inplebitur* (manum armatam, et ſpiſſe munitam, habeat, oportet) *ferro & ligno haſtae*, haſta ferro inſtructa, ſeu gladio et haſta, adeoque bene armatus. Vid. quoad phraſin reſpectu ſpinarum Jeſ. VII: 24. et XXVII: 4.) *et igne comburentur* (inſtar ſpinarum evulſarum, pleniſſime exſcindentur, cum maledictionis divinae ſignis, ſubito et cum *ſtridore ſtrepero*) Additur בשבת, quae vox, ſi ex ſeq. verſu non irrepſerit, adeoque hic exulare debeat, mihi videtur commutanda cum בְּבֹשֶׁת in *ariditate ſtrepera* et conſternatione confuſa, quae ſignificatio eſt rad. בוש בשש et יבש Quod combuſtioni ſpinarum recte additur.) Solent quidem haec verba ad hoſtes et perſecutores regni Meſſiae directe applicari, et reſtringi ab interpretibus, ſed ex hypotheſi, totum hoc ultimum Davidis vaticinium ad Meſſiam, ejusque regnum, directe et unice referendum eſſe, quam minus veram et ſubleſtam eſſe cenſeo. Pertinet enim ad Domum Davidis in perpetuum germinaturam, ſecundum Dei promiſſum 2 Sam. VII. ipſi factum, donec Meſſiam produxerit; adeoque primum inplementum in regno Salomonis, et ultimum

in Messiae quaerendum est. Quam hypothesin recte adstruxit totamque pericopam dextre exposuit, meum per omnia secutus ductum, autor Dissertationis ad 2 Sam. XXIII: 1---7. in Bibl. Hag. Cl. Barkey Cl. II. fasc. 3*tio*, quare hic plura non addo, contentus notasse, Davidem 1. fortem domus suae opponere impiorum conditioni, adeoque indicare secum aliter esse agendum, ac cum Saulo aliisque inprobis. 2. hostes violentos et inprobos adversarios domus suae et regni in genere in oculis habere, primum qui sese Salomoni opponerent, dein reliquos omnes, et in specie Judaeos, regni Christi adversarios; in quos hoc judicium in omni emphasi quadrat. Ex Psalmis tutius huc refer Ps. LXIX: 23 *seqq.* XCV. CIX. Ex Jes. plures possunt proferri: Cap. I: 30, 31. III: 6. VI: 11, 12. VIII: 14, 15. XXII: 15 *seqq.* XXVIII: XXIX: 5, 6. XLIX: 4. L: 9, 11. LXV: 13, 14. LXVI: 24. Ex Jerem. insignis Pericopa Cap. XXX: 23, 24. ubi vid. comm. noster. Ex Ezech. Cap. V. sed sensu secundo. Hos. XIII: 15. Joel III: Posteaquam de abundante Spiritus S. donorum, cum omnis generis et aetatis hominibus communicandorum, copia, vaticinatus esset propheta, quae in festo Pentecostis sub initio Oeconomiae N. impleta sunt, ut Act. II. docetur, et ex nexu cum antecedenti, ubi de tempore Maccabaico erat actum, ac consequente, ubi ultimum Reip. Judaicae excidium traditur, ut mox patebit, ulterius demonstratur, in haec verba pergit Deus loqui; *Et dabo portenta in coelo et terra, sanguinem et ignem, et palmas fumi: sol vertetur in tenebras, Luna in sanguinem; antequam veniat dies Jehovae magnus ille et terribilis.* Quibus ultimum Dei Judicium, Judaeis infligendum depingitur una cum signis antecedentibus. Quod judicium, phrasi *diei Jehovae* magni illius et *terribilis* comprehensum, aliud esse nequit, ac quo plenum Judaicae Reip. infligeretur excidium per Romanos, uti ex serie orationis, harmonia verbi prophetici, uti Mal. III: 23. et inplemento, manifestum est. Signa vero *antecedentia* non sunt proprie, sed figurate, secundum stylum propheticum, capienda. *Sanguis* itaque bellum et

caedem,

caedem, *ignis* famem et peſtem, uti Ez. V: 2, 12, 17. et alibi, *palmae fumi* expingunt incendia. *Solis* obſcuratio ad *civilis* regiminis deſtructionem pertinet, cujus ſignum in ſubitanea, et divinitus inflicta, morte Agrippae M. Act. XII. fuit: *Luna*, quae ſacerdotalem exhibet dignitatem, ſpeciminis et ſigni ergo, in naece Annae Pontificis converſa eſt in ſanguinem. Vid. Joſeph. B. J. l. IV. c. 7. Sed quo pertinet verſ. 5*tus*, *et erit*, ut *quicumque invocaverit nomen Jehovae eripiendus ſit. &c.*? Solet ad cives Hieroſolymitanos, ac diſperſos Judaeos, qui a Jehova liberandi ſunt ab hoc terribili judicio, referri; de quo egi in Diſſ. S. lib. III; ſed nunc quidem rectius mihi videtur, *novam* hic incipere prophetiam, quae cap. ſequente IV*to* continuatur; cujus initium eſt a populi reductione ex Babylonico exilio in Cananaeam repetendum, quaeque *ſequenti* pericopae de effuſione Spiritus S. eſt praemittenda. Qua ratione facilior longe eſt verſus iſtius explicatio, collato cap. IV: 16 &c. Indicium quoque novae prophetiae haud obſcure ſeſe offert in והיה *et erit.* quocum verſ. 5. aeque ac verſ. 1*mis* incipit. Ex Micha Cap. III: 12. ubi mons Tſion dicitur *ut ager* arandus, eo pertinet. Quod etſi *primum* inplementum in calamitate Babylonica nactum ſit, ſenſu tamen plenario eſt ad litteram in excidio Romano inpletum. Ex Zachar. Cap. XI. De quo in comment. ad Zachar. pluribus diſſero. Ex Malach. clauſula hujus Libri, ſeu finis Cap. III et IVti. ubi vid. Comm. noſter. Praeterea in N. T. quoque non deſunt ſimiles praedictiones de Judaeorum excidio, et Oeconomiae Legalis fini ac abolitione: praecipua vaticinia repraeſentabo. Huc pertinet Johannis Baptiſtae interminatio, Matth. III: 11, 12. Chriſti praedictio Luc. XXII: 20 *ſeqq.* Matth. XXIII in fine, et XXIV: ſed de quo Cap. mox. Praeterea multae Parabolae; ut de Nuptiis repudiatis ab invitatis Matth. XXII. de Ficu infrugifera, et poſt unius adhuc anni moram exſcindenda, Luc. XIII. de Vinea agricolis elocata Matth. XXI: 33. de Oeconomo injuſto Luc. XVI: 1. Imo huc ſpectant ſenſu ſubliniore, ſi quis eam fovet hypotheſin, aliqua Miracula, ut

ejectionis Nummulariorum &c. ex Templo; Maledictio in Ficum infrugiferam Matth. XXI. Miraculum Porcorum a Daemonibus occupatorum, et in Mare praecipitatorum, ib. c. VIII. Porci figurare possunt Judaeos, quos Daemones e Gentibus ejecti invaserunt, et cum Romanis miscuerunt, ut bello excitati Judaei in hoc mare demersi sint. Certe Judaeos hoc tempore esse a Daemonibus pluribus occupatos, Dominus indicat Matth. XII: 45. ut ibi exposui in serm. Belg.

§. LVII. Superest, sententiam dicam de Matth. XXIV Cap. ad cujus intellectum sequentia sunt observanda:

A. Duo extrema hic sunt vitanda: *alterum* eorum, qui toto hoc Cap. de solo excidio Reipublicae Judaicae agi; *alterum*, qui, Fata Ecclesiae Christianae intermedia post Excidium usque ad gloriosum Ecclesiae statum hic simul pertexi, putant. *Prius* ex eo refutatur, quod et quaesitum Discipulorum ulterius se extendat; et quae v. 29 *seqq.* extant, eo se restringi non patiantur. *Posterius* nulla non tantum nititur ratione; sed et ex v. 29 refutatur, cum ultimus Ecclesiae status ibi cum fine dierum afflictionis connectatur, cujus in toto Cap. mentio fit; adeoque Dominus de luctuosis Ecclesiae Judaicae fatis agit. Vers. quoque 24 de Ecclesia Judaica agit; ut e vers. 28 patet, et ex eo, quod habet de Pseudo Prophetis, quos nemo invenerit inter Christianos.

§. LVIII. B. Veram Hypothesin hujus Cap. explicandi esse puto, Dominum duo intendere; *primo* Excidium illud praedicere cum signis: *secundo* Discipulos admonere, ultimum suum adventum non esse cum illo excidio conjunctum, ne fallantur per Pseudo-Prophetas. Prius est v. 6---22. Posterius v. 23 *seqq.* Quod utrumque unice ad scopum faciebat: quaesitum enim Discipulorum erat de destructione Hierosolymae et de signis adventus Christi: adeoque utrumque erat a Christo agendum; 1*mo* destructionem indicare; 2*do* illam opinionem illis eripere.

C. Ut ergo generalem conspectum hujus Capitis ab oculos ponam;

א. Dominus, *primo*, generali monito de eorum decep-

deceptione, qui Chriſtum adeſſe dicebant, praemiſſo; reſpondet ad primum quaeſitum; ita ut (1) antecedentia excidii Signa v. 6---14. (2) ipſum Excidium exhibeat v. 15---22.

ב. Tum Diſcipulos admonet, ut ſibi ab errore illo caveant, nec decipiantur per illos, qui Servatorem adeſſe volebant: 1. ex eo, quod adventus ſuus non ſit in uno loco; nec ad externam liberationem futurus; ſed ad inſtar fulminis: 2. quod cadaver gentis Judaicae varie ſit diſcerpendum ab aquilis: 3. quod non, niſi poſt finitam omnem afflictionem Judaeorum, Regnum Chriſti erigendum ſit: v. 23--29. Quando

ג. Pergit ad illuſtrem ſuum adventum et Regnum deſcribendum, v. 30 *ſeqq.*

§. LIX. Supereſt nunc, ut *Harmoniam* Fatorum V. et N. T. repraeſentemus, ſive Conſiderationem *Allegorico-Propheticam;* quae collatio a nobis repetitur ab Eccleſia Judaica, vel Iſraelitica, non altius: quod Rerum ſeries ante illud tempus ſibi non conſtat, nec Hiſtoriam earum habemus completam. Fundamenta vero Contemplationis Allegorico-Propheticae ſunt quatuor: (1) Liberationem ex Ægypto expingere vindicationem Eccleſiae e poteſtate peccati, Satanae et inſtrumentorum ejus, per Chriſti Sanguinem recenter fuſum. (2) Ipſam traductionem in Cananaeam repraeſentare haereditatem Terrae et Gentium tempore Conſtantini M., et deinceps. (3) Exitum ex Exilio Babylonico delineare liberationem Eccleſiae ab Antichriſto per Reformationem. (4) Vindicationem Eccleſiae per Maccabaeos expingere praecipue ultimae Eccleſiae liberationem ex graviſſima Perſecutione; cum Regnum Eccleſiae vel Chriſti glorioſius apparebit. Haec Capita a Prophetis conſiderari, et inter ſe conferri, videbimus per partes.

§. LX. *Primum* fundamentum habet; Eccleſiam Judaicam afflictam ex Ægypto manu Dei exerta, et merito ſanguinis agni Paſchalis, ſecundum promiſſa Dei, liberatam, et in Deſertum deductam, repraeſentare ſpiritualem Eccleſiae Liberationem vi Sanguinis Chriſti fuſi, per potentem Dei ma-

num ex poteſtate Satanae, et in hunc Mundum, ut Deſertum, inductam. Quam Hypotheſin probant, utique probabilem faciunt, ſequentia.

A. Apoſtolus 1 Cor. X: 6, 11. aſſerit, quaecunque Iſraelitis acciderunt fuiſſe τύπες, non tantum *exempla;* ſed et in figura ut ſigna expinxiſſe fata Chriſtianorum; quod vox Stylo S. S. indicat; et Apoſt. confirmat, dicens, in Chriſtianos veniſſe *fines ſeculorum;* adeoque eadem ſecula eſſe revolvenda indicat, ſed ſpiritualiter.

B. Prophetiae, inter Iſraelis Liberationem ex Ægypto, ac credentium e Servitute Satanae, convenientiam intercedere, non obſcure ſignificant: cum duo haec Beneficia inter ſe comparent: Sic Jeſ. XI: 11. quod Deus fundaret populum, eum liberaturus et collecturus ex Ægypto, alludi ad Liberationem ex Ægypto, Cl. Vitringa probat. Cum autem ſecunda Vindicatio ſit ſpiritualis ſub N. T., et ea referatur ad Ægyptiacam; probabile eſt, per illam eſſe expictam, et analogiam intercedere inter utramque. Quod et innuit Hoſ. XI: 1. ubi Deus de Iſraele dicit, *filium ex Ægypto vocavi:* quae verba primo ſenſu literaliter intelligenda de Iſraele liberato ex Ægypto referuntur a Matth. Cap. II. ad Chriſti ex Ægypto exitum, duplici, ni fallor, fundamento, *altero*, quod et Iſraelis et Chriſti vocatio ſit fundata in eadem ratione filiationis: Jſrael dicitur *filius primogenitus* Exod. IV: 22, 23. et qua talis a Pharaone dimittendus, *altero*, quod utraque Liberatio, et Iſraelis et Chriſti, eandem rem expinxerit, ſpiritualem ſcil. Liberationem Eccleſiae: quare et iiſdem verbis utraque illa Liberatio comprehenditur. Eleganter quoque id indicatur Hoſ. XII: 9. *ego ſum Deus tuus in terra Ægypti* &c. Eccleſiae N. T. ſtatum ultimo indicat per phraſin *habitare facere in tentoriis:* illa enim Dei Regimen, curam, gubernationem, et immediatam a Deo dependentiam indicat. Cum dicitur, *ut in die conventus*, reſpicitur ad πανηγυρὶν ad montem Sinai; qualem ſcenam renovandam eſſe ſub N. T. indicatur. Alia Loca tantum notabo: Mich. VII: 15. Hagg. II: 5. *ſeqq.* Pſ. CXIV:

CXIV. qui plane eximius eſt: liberationem Iſraelis ex Ægypto comparat cum ſpirituali Liberatione Chriſtianorum, de qua a v. 8. incipit loqui. Vid. et Jeſ. LII in initio: Hoſ. II: 16, 17. Ezech. XX: 34 *ſeqq.*

C. Phraſes, quibus Liberatio Eccleſiae deſcribitur, paſſim deſumtae ſunt a Liberatione ex Ægypto, et ad illam adludunt: ut cum ἀπολύτρωσις vocatur, et quae ſanguine fit, Col. I. 1 Petr. I. Apocal. V. imo 1 Cor. V. dicitur diſerte Paſcha.

D. Illud quoque ex eo colligitur, quod hic illic aliquot Iſraelis fata transferantur ad Eccleſiam N. T. Sic Nubes aſſignatur Novo Teſt. Jeſ. IV: 5. aqua ex Petra Cap. XLI. tranſitus per Mare, Baptiſmus in Nube, aqua ex Petra 1 Cor. X.

§. LXI. Veniamus ad ipſam comparationem: ubi ante omnia obſervandum, nos hic tantum ſectari ſenſum Allegorico-Propheticum, non generalem ſenſum ſpiritualem, et omnibus credentibns convenientem; ſed Allegorico-Propheticum, quo Eccleſia certi temporis repraeſentatur. Dabimus hujus contemplationis non injucundum, ut opinor, aliquod ſpecimen, quantum ad Periodum I pertinet.

A. Regnum Ægypti eſt Tyrannis Satanae et Regnum Peccati in genere: in ſpecie ſtatus Peccatorum ſub Lege, Traditionibus ac duris Legum Exactoribus. Vid. 1 Petr. I. et Gal. IV. Rationes convenientiae ſunt praecipuae: 1*mo* Regnum ignorantiae eſt veri Dei: 2*do* ſtatus duriſſimae ſervitutis, qua ad vilia opera vi adiguntur; cum magna moleſtia et dolore animi in illis actuoſi ſunt ſine ullo aliquo vero fructu proprio. 3*tio* Status Tyrannidis, quo inviti detinentur, et ad lubitum duri Domini tractantur, gemuntque ſub Exactoribus, qui onera gravia imponebant cum imperio. Hi Charactéres ſtatus Iſraelis in Ægypto facile applicantur ad ſtatum Peccati et Servitutis Legum Ritualium, per traditiones inſuper auctae.

B. In hac ſervitutis conditione Iſrael fuit, et

et quidem per annos CXXXIV. tot enim annos vixit Populus in Ægypto poſt Joſephum, quando afflictio incepit: Iſrael hic repraeſentat Judaeos tempore Chriſti ſervos peccati, qui quoque ſub poteſtate Scribarum et Phariſaeorum gemebant, quo Jeſ. LII: 5. reſpicit: unde captivi dicuntur Jeſ. LXI: 1. ne alia proferam. Opera portatu gravia injungebant, ut Jeſ. XXVIII et XXIX deſcribitur, et ubique in N. T. uti Matth. XXIII: 4. In hoc ſtatu, quo Phariſaeiſmus dominatus eſt, Populus fuit per annos CXXXIV: nam a Juda Maccabaeo ad Chriſtum ſunt CXLIII anni. Phariſaeiſmus aliquamdiu poſt natus eſt, vel vim exeruit. Hic ipſe populus autem in Ægypto habebat promiſſum Redemtionis, licet fere ignoraret et negligeret: uti et tempore Chriſti.

C. Huic Populo afflicto inſtans annunciatur redemtio per Moſen et Aaronem, ejuſque veritas ſignis certis demonſtratur. Quod idem accidit tempore Chriſti per Johannem Baptiſtam, Chriſtum et Apoſtolos. Signum et Sigillum, reſpectu Dei, Liberationis erat in nomine *Jehovah* tum revelato: quemadmodum tempus, promiſſa Patribus facta implendi, quoque adeſſe, Chriſtus et Apoſtoli demonſtraverunt ex Prophetiis: nomen quoque Jehova urſerunt; maxime cum in ipſo Meſſia Deus nomen ſuum Jehovae notificaret Populo. Notabilia ſigna, quibus Moſes et Aaron miſſionem divinam perſuaſerunt Iſraeli et Pharaoni, erant maxime, baculi in ſerpentem mutatio, et manus lepra affecta et liberata. *Prius* non obſcure ſignificat poteſtatem Chriſti et Apoſtolorum in Satanam et Daemones, quibus alios tradere poterant, alios ab illis liberare. *Poſterius* denotat poteſtatem omne genus morbos, praecipue Lepram ſpiritualem, aliis infligendi, ut Phariſaeis, demonſtrando, eos eſſe lepra infectos; aliis eripiebant autem, homines a peccato vindicantes.

D. Qui Moſi crediderunt, liberati ſunt; ut Credentes ſub N. T. ſalvati ſunt; qui fidem profitebantur, ſunt habiti pro liberatis: ſicut inter eos Iſraelitas erant multi Proſelyti, ita inter Chriſtianos quoque Gentiles, qui Chriſto jam tum adjuncti ſunt.

§. LXII.

§. LXII. E. Liberatio ipsa duplex est, altera in causa, altera in effectu:

א. In *causa*, cum Agnus Paschalis mactatus est, et ejus sanguine postes et superliminare sunt tincta: ita redemtionis spiritualis causa est sanguis Christi, Agni Paschalis 1 Cor. V. fusus in Cruce; ad quam liberationem jus habebant, qui cum fide eam acceptabant, sanguine Christi se perfundentes. Christum cum Agno Paschali recte comparari, alibi docetur.

ב. In *effectu* Liberatio Israelis est facta per potentem Dei manum: quod idem accidit Ecclesiae N. T. quae jure redemta, ut Dei peculium, injuste detinebatur in statu Servitutis: nec enim Satanas eos dimittebat, nec Judaeorum Proceres Ecclesiam sinebant libertate frui, detinentes eam sub Lege. Sed Deus manu valida, partim ope Sp. S. destruxit Regnum Peccati in Credentibus, partim Judaeorum potentiam fregit, ut libere demittere debuerint Christianos: ad quod adacti sunt per multa Judicia Dei illis inflicta ad exemplar *Plagarum* Ægypti. Has enim recte referri ad Judicia Dei, quae inflicta sunt Judaeis, et Ecclesiae libertatem a Lege aperuere; hic merito praesuppono, cum series sensus mystici illud requirat; et constat quoque ex Apoc. XVI. Judicia in Anti-Christum, Ægyptum Spiritualem, exercita, cum Plagis iis comparari: idem ergo hoc in casu praesumitur. Praeterea gravissima Judicia in Judaeos per Babilonios, et postea Romanos, secundum Prophetias a Deo infligenda, declarantur phrasibus ad eas plagas alludentibus; ut Jes. XXVIII: 17. Joel. II: 30, 31. Antequam vero hanc mysticam instituam interpretationem; observandum, nos non debere nimis premere sensum mysticum, ac si omnes Plagae essent transferendae, aut eodem ordine: cum id nec Apoc. XVI fiat. Dein cum Judicia Dei et Judaeos ferierint et Romanos, aliae Plagae ad hos, aliae ad illos magis respiciunt. Imo vero aliae quoque in Antichristianismo percutiendo demonstrantur efficaces. Ergo subsistendum in generalibus. Sed id omnino notandum, Plagas

eas inprimis respicere ad Judicia Dei in Judaeos usque ad destructionem eorum plenariam per Romanos, ad quam hae Plagae quasi fuerunt praeparatoriae. Deinde has Plagas liberationi Populi Dei inservivisse, facile patet: quamdiu stabat Respublica Judaica et Lex vigebat, Christiani vix perfecte poterant a Lege et Servitute esse liberi; Judaeis quoque se ubique opponentibus, iisque opem ferentibus Judaizantibus inter Christianos. Unde Plagae illae extenduntur ad excidium usque Reipublicae Judaicae, quod tamen his Plagis non est comprehensum.

§. LXII. I*ma* Plaga fuit aquae mutatio in *sanguinem*, tum in Mari seu Nilo, tum in reliquis fluviis ac fontibus, ita ut Ægyptii sine periculo bibere non potuerint. Emblema ex coll. Apoc. XVI: 3, 4. duo mystice significat, tum Civilia et intestina Bella, ut Terra sit Sanguine repleta; tum Decreta et instituta Sanguinaria, quibus alios Religionis causa occiderunt, sed in propriam perniciem, ut ipsi per eas doctrinas pereant; quod Judaei experti sunt: fuere plures Seditiones et Bella Civilia ante destructionem, ut in Hist. Eccl. solemus narrare. Emblema autem explicat Cl. Vitringa ad Apocal.

II*da* Plaga est uberrimus *Ranarum* proventus, quae omnia replebant loca; quod itidem extat Apoc. XVI. Ranarum characteres illustrat Bochart. Hieroz. P. II. L. 5. Sunt Emblemata garrulorum, impudentium, inflatorum, in turbulentis et coenosis locis versantium; coaxant importune, eandemque cantilenam repetunt, buccam et ventrem inflant &c. Vix dubium, quin Pharisaeos et Sadducaeos vivis coloribus depinxerint? illorum Religio fuit mera coaxatio, inanis precum repetitio sine Spiritu: sic quoque in disputationibus et cantilenis idem obtinebat; quare *ululare* dicuntur Jes. LII: 5. Quo et pertinet, quod una et eadem voce continuo clamaverint, *tollite eos*, sc. Christianos, sicut in caede Christi fecerunt postulanda; omnia turbarunt, et ad Persecutionem Christianorum excitarunt omnes: erant impudentes, superbi, libidinosi. Quae strictim dixisse sufficit.

III*tia*

III*tia* Plaga fuit *Pediculorum* copia: ſunt excrementa hominum e carnibus putrefactis aut Sanguine corrupto nata, e Sudore et Sordibus, ut vulgo haberi ſolent, animalcula inſatiabilia, exedentia corpus, eique moleſta: cum apud Moſen ex pulvere ſunt nati, erat accidentale, et manum Dei indicat. Intelligo per illos id hominum genus inter Judaeos, quod, rapinis et avaritiae deditum, Populum per fas et nefas exedebat; quales fuerunt Phariſaei Viduarum domos exedentes, Publicani ſeveriſſima tributorum exactione ſanguinem et carnes conſumentes, foeneratores &c. qui omnium viliſſimum genus hominum habiti ſunt, Judaeis infeſtiſſimi, et per omnia Loca diſperſi.

§. LXIV. IV*ta*. Plaga eſt omne genus *animantium* et ferarum colluvies: denotat ex mea opinione Judaeam quaſi deſertum Gentium, in quo cum Gentibus, animantibus impuris, et noxiis miſcerentur Judaei, ſeque ad mores eorum componerent, ut Religio et vita corrumperetur non tantum, ſed et ipſi ſumtibus ob Gentes faciendis conſumerentur. Haec mixtio cum Romanis omnibus conſtat: teſtantur de illa Urbes, Theatra, Feſta, Templa in honorem Romanorum, Ludi gladiatorii &c. et cum Gentibus verſati Judaei eorum mores induebant.

V*ta* Plaga complectitur *pecudis* omnis generis mortem e peſte: myſtice notare poteſt Bonorum, Poſſeſſionum et Divitiarum privationem per Procuratorum rapacitatem, et Tributorum gravitatem.

VI*ta*. Diriſſimum continet *ulcus*, urens et graviter affligens; ex cinere enim fornacis in coelum ſparſo natus pulvis in ulcera urentia mutatus eſt et puſtulas: ulcus dicitur malum et noxium Apoc. XVI. ubi ad hanc Plagam alluditur. Characteres ſunt; 1*mo* teſtari de interna totius corporis corruptione; 2*do* deturpare corpus et inurere maculam; 3*tio* dolorem creare; 4*to* per totum corpus proſerpere, ut tandem exanime corruat. Myſtice ergo in Judaeis deſignantur clariſſima terribilis Corruptionis eorum indicia et argumenta,

peccata gravissima et clamantia, quae summam demonstrabant corruptionem, quaeque Judaeis tantam infligebant notam, ut boni et sancti se ab illis separaverint. Accessit dolor magnus Conscientiae et desperatio: Unde totum tandem corpus cadaverosum factum concidit. Signa illa sunt Messiae caedes, Christianorum odium et Persecutio, Jacobi minoris occisio, Zelotarum multiplicatio, qui numero immenso sicis instructi se confertae multitudini ingerentes necabant obvios: accessit conformatio ad mores Romanorum. Haec scelera omnibus Bonis horrorem incusserunt, et signa fuerunt instantis exitii, secundum ipsum Josephum. Christiani quoque hanc corruptionem in lucem protrahentes ulcera haec quasi Judaeis inflixerunt, quatenus ea demonstrarunt illis inesse. Sed ipsa ulcera e cinere fervente, concupiscentia animi, nata sunt, quae ira Dei accensa erupit in talia ulcera. Leg. Joseph. de Bell. Jud. L. IV.

§. LXV. VII*ma* Plaga est *grandinis* cum igni et tonitru; quae in genere denotat, iram Dei Judaeis imminere: nam haec Mala immediate de Coelo demissa indicant irati Dei judicium, quod Judaei e signis colligere potuerunt, observante saepe Josepho. In specie expingit duo gravissima Judicia, quae iram Dei represenṭant, famem et pestem. Grando fruges et arbores dejiciens adferre solet sterilitatem et famem: igniti globi grandine mixti indicant Pestem, ex nimio calore aeris accensi et materia sulphurea oriundam; Tonitru rumores Bellorum. Sic declarantur Apoc. VIII. Judaeos haec omnia expertos esse, clarum est ex Hist. et Dominus Matth. XXIV ipsis verbis praedixit.

VIII*va* Plaga *Locustarum* immensam copiam Ægypto immisit; quae reliquias frugum et graminis carpserunt, sicque Ægyptum ad extremam redegerunt paupertatem. Locustae Emblemata esse solent hostium violentorum et rapacium, qui magna copia invadentes omnia longe lateque vastant, spoliant, bonis privant, et ad miseriam redigunt. Sic de Assyriis occurrit Amos. VII. Imo omnes hostes Judaeorum, qui variis

riis temporibus eos expilarunt, eo proponuntur Joel I et II. Quis hic non cogitat de Romanis, qui Praesidum avaritia, exercituum copia, tributorum impositione, dura exactione, Judaeos depascebant, et divitiis privabant: ad quae accessit Exercitus Latronum et Sicariorum.

§. LXVI. IX*na* Plaga fuit, quod spississimae *tenebrae* totam Ægyptum obscurarunt; quae notant velamen cordi Judaeorum impositum, ut nec in Religione, nec in rebus ad Salutem Reipublicae pertinentibus, aliquid Salutare videre possint aut consulere; sed mente quasi capti sint, ut habetur Jes. VIII. Quae constant ex Historia.

X*ma* tandem Plaga fuit *Primogenitorum* subitanea et violenta mors. Primogeniti sunt praestantiores et excellentiores Judaei, flos Populi, Proceres; illi subito saepe occisi sunt, non sine clarissimis manus Dei signis; ut Herodes Agrippa, qui ut Sol in Meridie occidit, ut Joel. habet Cap. III. Sic postea, Idumaeis irrumpentibus cum Zelotis, moderatiores omnes occisi sunt, et Ananus Pontifex. Quo pertinet Joel. III. *Luna versa est in sanguinem:* occisus quoque Zacharias filius Berachiae. Et cum in primogenitis totus populus consideretur, mors eorum significavit, totum Populum excidio esse destinatum; quemadmodum proponitur Matth. XXIV ut Cadaver ab aquilis lacerandum.

§. LXVII. F. *Quod jam ad ipsum Egressum ex AEgypto attinet, de ejus Natura, Causa, Circumstantiis vel Accidentibus et Effectis aliquid dicendum est.*

א. Egressus ipse dicit separationem Ecclesiae a Judaeis per gradus factam, et perfectam demum sub finem Reipublicae Judaicae, quando Christiana Ecclesia plene vindicata est ex hac Servitute: ejus rei signum est, quod Christiani paulo ante Excidium secesserint Pellam, secundum Traditionem.

ב. Causa duplex est, efficiens et instrumentalis. *Efficiens* est Deus vel Domini Angelus Exod. XX. sc. Christus: quemadmodum spiritualem Liberationem quoque Deus

ſibi vindicat Jeſ. XLI, XLIII, XLIV. *Inſtrumentales* cauſae, quae Judicia Dei executae ſunt, ſunt Moſes et Aaron: dum Chriſtus verſatus eſt in terra ut Doctor, comparari potuit cum Moſe, ut Apoſtoli cum Aarone. Chriſtus autem Liberationem Populi poſtulavit a Proceribus, Regni Coelorum appropinquationem praedixit, crimina eorum detexit, Judicia quoque ſeveriſſima denunciavit illis. Quod idem fecerunt Apoſtoli et Evangeliſtae ſeu LXX Diſcipuli; ſed mandato a Chriſto inſtructi, et per Judaeam miſſi. Hi populum fidelem congregarunt, et inſtantem Liberationem certis ſignis praeſignificarunt. Sed Chriſto in coelum abeunte et Rege declarato, ipſe hoc opus potentia ſua executus eſt per Miniſtros, Apoſtolos et Euangeliſtas, qui Moſi et Aaroni reſpondebant. Hi vero Populum vere duxere, et a carnali Cultu ſepararunt. Hi et Judaiſmo inflixerunt Plagas, quatenus Judicia Dei illis denunciarunt: quod et de Prophetis dicitur Jerem. I.

§. LXVIII. 3. Concomitantia attributa quod attinet; occurrit.

a. Obduratio cordis Pharaonis; quae eadem contigit Judaeis: quare Apoſtolus locum de Pharaone applicat ad Judaeos incredulos Rom. IX.

b. Corroborabatur per Magos, qui eadem aliqua fecerunt ac Moſes: hi expingere poſſunt omnes illos, qui curſum Euangelii ſiſtere conati ſunt, ut Simon Magus, Elymas, et alii, ſignis ſe commendantes, Pſeudo-Chriſti, qui Miracula promittebant, Matth. XXIV. Doctores dein Judaici, qui, ſicut Apoſtoli, aliquando patrabant, vel patrare cenſebantur Miracula.

c. Iſraëlitae Ægypto egreſſi ſpoliarunt Ægyptum, ipſis Ægyptiis non invitis: Sic quoque Bona vera et ſpiritualia, Judaeis olim promiſſa, acceperunt Chriſtiani, et Judaeos incredulos omni Vita, ſpiritu et conſolatione orbos caſſoſque reliquerunt: Vid. Rom. XI: 12. Eph. III.

d. Multi Proſelyti adjunxerunt ſe Iſraelitis, cum ipſis egreſſi; ſicut et Gentes fuerunt adſociatae Eccleſiae Chriſti.

e. Egreſſi

e. Egressi sunt cum festinatione; quod opus est verae fidei, et sine ulla mora separantis se a communione Mundi: sic quoque expulsi Christiani a Judaeis et separati: Sicut Israelitae festinabant, quod ab Ægyptiis ejiciebantur; ita Christiani primi Persecutionibus vexati fugerunt et dispersi sunt, Act. VIII. Sic quoque fugae comparatur ultimus Christianorum egressus sub finem Reipublicae Judaicae. Matth. XXIV.

f. Egressi primogenitos Deo consecrare debebant, in memoriam et locum Primogenitorum Ægypti occisorum: sic et Ecclesia Deo est consecrata, rejectis Judaeis.

g. Tandem Nubes castra Israelitarum praecedebat et tutabatur: Sic Ecclesiae primae quoque adscribitur Nubes 1 Cor. X. et Jes. IV. Notat praesentiam Christi apud Ecclesiam, ejus conservationem, illustrationem ac benedictionem, ex quo Sp. S. cum Ecclesia communicatus est, cum quasi in Nube baptizata est in festo Pentecostes; quo alluditur forte 1 Cor. X.

§. LXIX. ר. Sequuntur Consequentia et Fata egressus et egressorum Israelitarum: inter quae

a. Primum est, illos in Desertum esse eductos: desertum dicit statum, quo quis a communione hominum semotus est, quoque necessaria ad victum et amictum a Deo immediate suppeditantur, et ubi omnis externus Religionis apparatus deficit. Christianorum statum quo ad Mundum, quo a carnalibus Israelitis separati sunt, et a Deo immediate pendent, a carnali Religione liberati, repraesentari, cuivis in oculos facile incurrit. Accedit, Christianos in Desertum Gentium esse abductos, cum inter Gentes versari debuerunt: Gentes enim cum Deserto comparari, notum est: Vid. Jesajae XXXII. XLI. et XLIII.

b. Conjecti sunt Israelitae, in desertum jam educti, magnas in angustias, cum ab utroque latere Montibus constricti essent, a tergo AEgyptii insequerentur, et Mare Rubrum haberent a fronte. Ex quibus exerta Dei manu vin-

 dicati

dicati ſunt per ſciſſum Mare tranſeuntes, ut AEgyptii ſint aquis ſuffocati. Grande hoc Fatum repraeſentat Eccleſiam Chriſtianam a Judaeis undique obſeſſam, cum et Romani per Neronem Eccleſiam infeſtarent, ſeque ei ut Mare Rubrum objicerent, quo minus in Romano imperio daretur locus refugii: ex quibus anguſtiis vindicata eſt, tum per ſciſſum Romanum imperium, tum per ingentem Judaeorum cladem a Romanis. Exequamur haec accurate per partes. Ægyptii Iſraelitas inſequentes expingunt incredulos et carnales Judaeos Eccleſiam Chriſti ultimo conamine deſtruere conatos; ſicut paulo ante deſtructionem Hieroſolymae inſurrexerunt in Jacobum Apoſtolum, et reliquis exitium quoque minati ſunt. Sed aliud erat, quod illos premebat magis: cum a Judaeis vexati in Romano Imperio huc uſque habuiſſent profugium, idemque id ſibi in poſterum promitterent, ecce idem id Imperium in eos inſurgit, et ut Mare aliquod ſe Eccleſiae objicit, impediturum ejus propagationem, imo illam abſorpturum. Mare ergo Rubrum in hac contemplatione expingit Rom. Imperium Eccleſiae infeſtum, et totalem ei minitans ruinam; quod cum primum tentaverit Nero, Neronianam vexationem haud immerito cenſemus per illud Mare eſſe expictam. Utique imperium Rom. ſub Nerone merebatur inprimis appellari Mare Rubrum, tum in genere ob infinitam ſanguinis copiam ſub Nerone effuſam; tum in ſpecie partim reſpectu Chriſtianorum, quorum ſanguine rubrum erat; partim Judaeorum. Sicut Mare AEgyptum tuebatur, ita Rom. Imperium Judaeorum odio in Chriſtianos et ſiti ſanguinis Chriſtiani ſuccurrebat, ac manus quaſi conjungebat cum Judaeis in oppugnandis Chriſtianis. Porro ſicut Mare conabatur arcere ab haereditate Cananaeae, et intercidebat iter eorum, ſic Romanorum vexationes curſum Euangelii impedire conabantur. Sed omnes illi conatus fuerunt irriti: quum Populus Iſraelis eſſet deſperatus, ſicut primi fuerunt Chriſtiani, vehementer perculſi, cum Romanos omni vi armatos in ſe viderent inſurgentes; Deus miraculo interceſſit; Mare Rubrum ſcinditur, ita ut Iſrael Mare ingreſſus planum habuerit

exitum

exitum et transitum: ingressus in Mare notat ipsam vexationem Neronianam, quae invasit Christianos, per quam videbantur versari in certissima morte: sed aquae cesserunt, cum per ventum Orientalem et baculum Mosis scinderentur: *Scissio* Romani Imperii duplex est, altera Politica, altera Ecclesiastica aut Religiosa. Quod ad *primam*, cum seditiones et aliae curae Neronem occuparent, destitit a vexatione Christianorum; sed, illo dein mortuo, multae turbae diviserunt Rom. Imperium, dum varii eligerentur Imperatores, qui sibi mortem invicem adferebant, quo factum factum est, ut Christiani pace fruerentur. Sed alia Scissio facta ob Religionem, cum Euangelium receptum magis est et propagatum inter Romanos, multis conversis: quae Scissio per ventum Orientalem, Spiritum S. scilicet a Christo, qui est Sol oriens, profectum, et baculum Mosis, scil. Christi Euangelium, peracta est. Sic Ecclesia recepit in Rom. Imperio sedem tutam, cum ex hoc Mari esset liberata. Verum longe diversum fatum offendit AEgyptios, qui, eidem Mari se committentes, aquis sunt suffocati. Judaei, bello et seditione cum Romanis commixti, ab illis oppressi et deleti sunt horribili clade: quo factum est, ut Christiani postea a Judaeis tuti fuerint.

§. LXX. c. Israelitae ab hostibus sic liberati, et in Desertum emissi, defectum mox senserunt omnium rerum, nec cibum nec potum habuerunt, et, si aquae reperirentur, erant amarae; tantum in Elim erant XII fontes et LXX Palmae. Sed Deus, his defectibus succurrendo, partim aquas reddidit dulces per lignum immissum, partim fontem aperuit in Petra, partim Manna dedit. Quae omnia transferri possunt ad Ecclesiam Christi in deserto Gentium versantem: vid. Jes. XLI: 17. et Ps. CVII: 4, 5. Dabimus generalem aliquem conspectum: Christiani e Gentibus nullam salutarem doctrinam, nullam consolationem poterant consequi, non panem, qui conscientiae satisfaceret, non aquam, quae consolatur. Penuria ergo expingit defectum verae et salutaris doctrinae, quo laborabat Ecclesia; tum quod Gentes non proferebant Doctrinam salu-

 tarem,

tarem, Jef. LV: 1. tum quod liberum Religionis exercitium Gentiles non permitterent Chriftianis, ut ex Verbi Dei annunciatione et communione Sanctorum haud percipere potuerint confolationem: imo aquae, quae apud Gentes reperiebantur, erant amarae, quae notant vel Perfecutiones, ut Ecclefia ftatim experta eft fub Domitiano; vel et Philofophiam Gentilem, quae animae defiderium explere non poterat, Ecclefiam ergo non confolari. In hoc ftatu Deus fuccurrit: *1mo* immiffo ligno aquas amaras dulcoravit: quod fi ad vexationes attendas, Lignum notat Crucem Chrifti, cujus communio omnes afflictiones reddit leves et animae piae dulces: fi autem Philofophiam Gentilem intelligas, erit doctrina Crucis, quae Philofophiae inmixta eam prorfus conftituit fructus et confolationis plenam; cum vera Philofophia multum conferat, ficut et aliae feculares fcientiae, ad Doctrinam Euangelicam illuftrandam et confirmandam. *2do* Deus conceffit XII fontes, et LXX Palmas, i. e. Scripta Apoftolorum et Euangeliftarum, e quibus veram doctrinam ad folatium abunde petere poterant Chriftiani: Canon fc. S. Scripturae N. T. demum eft confectus et vulgatus in initio Seculi II. cum Eeclefia jam verfaretur in Deferto. *3tio* Manna dedit de Coelo, i. e. Chriftum Jefum ejusque Juftitiam abundanter conceffit credentibus: delicias quoque futuri feculi praebuit iis in Chrifto praeguftandas: denique S. Coenae exercitio ad eorum confolationem largiter benedixit. *4to* In Petra quoque fons fuit apertus aquae, per totum Defertum fluentis: notat Chriftum ejusque Spiritus diffufionem per Gentes; ita ut multi fint converfi et Donis Sp. S. inftructi, quo apti funt facti fitim Chriftianorum explere, qui hominum falutem quaerebant. Sic ergo omni parte Deus pavit Ecclefiam in deferto.

§. LXXI. d. Sed etiam cultum ordinavit et Difciplinam Ifraelitarum in Deferto; dando ipfis Sabbatha et Legem folenniter, Tabernaculum quoque fuum et facerdotium conftituendo. Haec omnia etiam fpiritualiter locum habent fub N. T. Licet in Fefto Pentecoftes, cum Spiritus eft effufus, Ecclefia N. T. initiata,


initiata, et Foedus Novum ſolemniter erectum eſt, impleta ſint ſpiritualiter et proprie; tamen renovatio et ulterior confirmatio obtinuit poſt deſtructam Hieroſolymam, cum Eccleſia inter Gentes praecipuam habebat ſedem; tum enim in foedus cum Deo tranſiit, et Eccleſia Chriſti ſola fuit foederatus Dei populus, rejectis Judaeis: tum Leges Fidei et Reſipiſcentiae, Legibus externis abrogatis, Oeconomia Moſaica ipſo facto abolita, ſolae ſunt ſancitae; Sabbathum quoque requies ſpiritualis, cujus Symbolum eſt dies Dominicus, et ceſſatio ab operibus malis et ritualibus, diſcrimine ceterorum dierum abolito, vim accepit; tum dein Diſciplina Chriſtiana praecipue ab Apoſtolis et Apoſtolicis Viris ordinata obtinuit; tum Tabernaculum inter Gentiles erectum, Eccleſia Chriſti confirmata, et publico Dei in Judaeos Judicio approbata; aliae Eccleſiae ubique quoque erectae ſunt. Cum autem Eccleſia nondum ſtabilem ſedem conſecuta eſſet in Gentiliſmo, hinc Tabernaculum appellari meretur, cum ob vexationes Gentilium huc illuc ſaepe migrare deberet, nec loca conventus haberet ſtabilia. Poſtremo ordinatum tum quoque eſt ſacerdotium, cum Ordo Eccleſiaſticus hoc fere tempore ſit ſtabilitus, et Eccleſiae ubique rite ordinatae per Epiſcopos et Presbyteros ac Diaconos; ad formam quoque legalem, ipſa diſtinctione in *clericos* & *laicos* jam introducta.

e. Ceterum *Iſraelitae adhuc ſubinde expoſiti* erant hoſtibus, quibuscum erat pugnandum; ſicut mox in initio Amalekitae ſe iis objecerunt; ſed qui manibus et baculo Moſis extentis victi ſunt a Joſua. Sic hoſtes primae Eccleſiae Chriſtianae fuerunt plurimi, praecipue Sacerdotes, Philoſophi et Plebs; ſed per praeces et Verbum Dei os adeo illis eſt obſtructum, ut Euangelium fuerit propagatum, ringente Satana cum omnibus ejus inſtrumentis.

§. LXXII. f. Supereſt in hac Tractatione hiſtoria conflati vituli aurei, cum Moſes moras necteret in monte, et commiſſae Idololatriae: ejus enim caſus ſpiritualem aliquem intellectum videtur Paulus in oculis habuiſſe 1 Cor. X. Cum

autem Israelitae recenter essent redemti ex Ægypto, ubi coluerant Apin, bovem Ægyptiacum, vix dubium est, quin ad eandem Idololatriam Ægyptiacam delapsi sint; sed ita, ut cum veri Dei Cultu conjungere voluerint: Vitulum ergo considerarunt tanquam Dei simulacrum. Unde facile colligitur, hunc Casum recte referri posse ad conjunctionem Christianismi cum Gentilismo et Judaismo: cum enim Legem Mosaicam et Philosophiam Gentilem commiscerent cum Christiana Religione, non male censeri possunt conflasse Religionem aliquam Idololatricam, non verum Deum in Christo colentes cultu vero et a Christo instituto, sed quem sibi finxerant pro sua imaginatione et concupiscentia; sive Legem Euangelio admiscuerint; sive alium Deum Creatorem, alium Patrem Christi finxerint; sive Christum nudum dixerint hominem, quo ipso Christum, et Deum in ipso, ejusque justitiam, abnegabant, ut Paulus ad Gal. demonstrat. Hoc autem Idolum erexerunt Ecclesiastici Ordinis homines, quales fuerunt Haeretici hujus Periodi, aliunde satis noti, Pseudo-Apostoli; quos Aaron expinxit hoc in casu. Ceterum conflatus est hic Cultus, quum Moses esset in Monte apud Deum, id est, quum Christus et Apostoli fere essent e medio sublati: licet enim tempore Apostolorum hae Haereses coeperint; postea tamen demum eruperunt, quando Apostoli essent mortui. Reversus de monte Moses Tabulas fractas restituit; Tabernaculum extra castra erexit, et Ecclesiam instituit repurgare: quod idem fecerunt Viri Apostolici, qui se opposuerunt Haereticis, Ecclesiam purgarunt, Veritatem instaurarunt, seque palam ab illis separarunt. Haec Speciminis ergo de Contemplatione Allegorico-Prophetica sufficiant: et ita absolvimus hanc Periodum 1*mam*.

SECUN-



PERIODUS SECUNDA,

a Decio Imper. ad Constantinum M.

§. LXXIII. Eriodus, quae a medio Sec. III. an. ejus 49. se extendit usque ad initium Sec. IVti, seu a. ejus 13, quo Pax Ecclesiae reddita est stabilis per Constantinum M., pro Charactere dominante habet publicas Persecutiones ab Imperatoribus suscitatas, adeoque Ecclesiae probationem continet et purgationem, quae in gloriosa Victoria, de Rom. Imperio reportata, finita est. Internus Ecclesiae status dominantem habuit virtutem Fidei constantiam, magis minusve illustrem. Sed praeterea inciderunt et alii Casus per Haereses, Schismata, et Calamitates Politicas, qui faciem Ecclesiae quidem obscurarunt, sed ejus Characterem non constituerunt. Haec summa est eorum, quae nunc accuratius paulo sunt tractanda.

§. LXXIV. Videamus ergo primo de *Charactere dominante* status externi; quem cum in Persecutionibus publicis situm esse statuimus, (1) recensendae sunt illae Persecutiones; (2) demonstrandum est, Characterem Ecclesiae in illis situm esse.

A. Persecutiones incipiunt cum Deciana, et terminantur in decennali illa Diocletianea. Sunt vero, 1*ma* Decii, quae initium ab imperio Decii, ao. 49. Sec. III, cepit, et per totum imperii ejus tempus duravit usque ad a. 51 ejusdem Sec. 2*da* est Treboniani Galli unius fere anni; nec enim mox incepit, et ante finem Imperii ejus terminata est: praefuit autem *duos* tantum annos. 3*tia* est Valeriani, quae per annos 3 et dimidium duravit, ab ao. ejus Sec. 57 ad 60. 4*ta* est Aurelii ipso anno ejus emortuali instituta et finita brevissimo tempore, ao. Sec. 75. 5*ta* est Diocletianea X annorum, ab

ao. Sec. IVti, 3 ad 13. et fuit omnium graviſſima. Has Perſecutiones cum in Inſtit. Hiſt. Eccl. fuſius enarremus, eas hic tetigiſſe ſuffecerit.

§. LXXV. B. Demonſtrandum nunc eſt, has Perſecutiones Periodi Characterem figere. Rationes noſtrae ſunt ſequentes:

א. Haec ſola Periodus eſt, in qua publicae et univerſales fuerunt per Orbem Romanum Perſecutiones, cum antea tantum particulares fuerunt, ſeditione populari maximam partem inſtitutae, ab ipſis Imperatoribus repreſſae; ut ſupra vidimus, et in Hiſt. Eccl. demonſtrare ſolemus.

ב. Harum Perſecutionum, quae a Decio inceperunt, reſpectu, tempora ſuperiora cenſita ſunt pacifica; ſed Perſecutiones, quas recenſui, faciem Belli inter Romanos et Chriſtianos praetulerunt. Sic Lactant. de Mort. Perſecut. cap. III et IV. *Sed* (ait) *poſtea longa Pax rupta fuit; extitit poſt annos plurimos execrabile animal Decius, qui vexavit Eccleſiam.* Sic Euſebius Hiſt. L. VIII. Cap. 13. tradit, imperatores pacem cum Chriſtianis rupiſſe, et bellum concitaſſe contra eos. Ita praecipue de Diocletianea Perſecutione ut Bello publico loquuntur Hiſtorici; ut Euſeb. in Vit. Conſtant. L. I: C. 12. Lactant. l. c. Cap. XVI. ut et Sulpicius Severus: quod ipſum Nummi quoque docent, et inſcriptiones, ex gr. nomine Chriſtianorum deleto, ſuperſtitione Chriſti *ubique deleta*, *cultu Deorum propagato*, uti inſcriptiones columnis inciſae in Hiſpania apud Baronium habebant; ſic et *Herculi debellatori* in nummo Maximil. Herculii, in quo Hercules viſitur hydrae multorum capitum, quae gentem Chriſtianam repraeſentabat, debellatori, apud Ez. Spanhem: Num. Diſſ. V.

ג. Hac Periodo Imperatores Romani in id incubuerunt, ut Chriſtianiſmum debellarent; quod et alibi in Hiſt. Eccl. demonſtravi.

ד. Ante hanc Periodum Imperatores ſubinde tantum conceſſerunt Plebi impetum in Chriſtianos: poſt hanc Periodum debellatus eſt Paganiſmus: ergo ſola hac Periodo de ſumma rei eſt decertatum. .Per-

ח. Persecutiones hoc tempore constituunt Casum extantiorem, singularem et continuum, quocum nullus alius potest comparari. Ergo est Casus Characteristicus.

ו. Verum quidem est, tempora intermedia inter Aurelianeam et Diocletianeam Persecutionem fuisse satis pacifica; sed vero suo conspectu tempora fuerunt induciarum, non finis belli. Belli autem tempus, licet per inducias interruptum, durare censetur, quamdiu finis ultimus ei non est inpositus; est id benignitati Dei tribuendum, quod in medio bello quaedam Halcyonea Ecclesiae sunt concessa: ipsum illud persecutionis Diocletian. decennale bellum habuit, ut constat, pacificum aliquod intervallum.

ז. Si tandem accedat Verbi Prophetici consensus, de quo post, quid perfectae demonstrationi in hoc casu desit, non video.

§. LXXVI. Venio ad Characterem dominantem status *interni:* cum externi status Characterem exhibeant Persecutiones, earum utique respectu interioris conditionis Characterem esse constituendum res ipsa loquitur: dominantis enim Casus respectu qua ratione se habuerit Ecclesia, id eam hac parte maxime conspicuam reddit, et ab aliis temporibus distinctam. Cum ergo virtus *constantiae*, fidei et patientiae, praecipue exercenda sit in Persecutione, et ad eas inprimis *respiciat*, clarum est, hinc Characterem status interni esse desumendum. Sicut enim nihil magis in externa Ecclesiae conditione oculos et animos hoc tempore advertit, quam Bellum Religionis, quod Gentiles moverunt contra Christianos: ita qua ratione se gesserint Christiani, Virtutem Heroicam, an animum malis succumbentem, demonstraverint; id ipsum est, ad quod maxime attenditur, quodque in omnium praecipue incurrit oculos. Hinc ergo si criterium status interni repetendum sit, elucet, quaerendum esse in virtute constantiae et patientiae: 1*mo* quod nulla virtus sit, quae se illis temporibus illustriore modo ostendit, ad quam omnes vertunt oculos; nulla virtus, quam omnes magis mirantur: 2*do* hac sola virtute vicerunt Christiani, a Gentilibus

ob Fidem oppugnati: 3*tio* per hanc virtutem Ecclesia non tantum substitit in Persecutione, sed et longe lateque propagata est, cum Sanguis Martyrum fuerit semen Ecclesiae. Hac ergo in Virtute si Character Ecclesiae sit quaerendus, difficile non erit eum ex Historia illustrasse. Cum Ecclesia enim gravissimum impetum passa, et statum suum tuita sit, ac gloriose triumphaverit, illudque sine hac Virtute fieri nequeat, imo per illam solam efficiatur, in oculos incurrit, Ecclesiam hac inprimis virtute fuisse illustrem; et tot illustria ejus edita sunt specimina, ut ex Historia patet, ut nihil ex Historia sit certius aut notius. Verum quidem est, initio Persecutionis multos defecisse, ut ex Libro Cypriani *de Lapsis*, et aliunde constat: sed illi, si cum aliis comparentur, vix in censum venirent; et progressu temporis, quum Persecutio maxime saeviit, Christiani fortiter se gesserunt, et plane Christiane. Ad haec accedunt clara testimonia non tantum Christianorum, sed ipsorum Gentilium, quae magno numero proferri possunt. Ex Christianis leg. Cyprianus ad Demetriadem, Eusebius, Lactantius et alii. Ex Gentilibus Eunapius in Vita Edesii. Diocletianus inter alia se a Persecutione alienum esse dixit, quod Christiani libenter paterenter, teste Lactantio. Quare Julianus eos palam persequi noluit, secundum Gregor. Nazianz. Tandem Epistola III. Apoc. II. ad Pergamenos solam hanc Virtutem memorat et laudat in Ecclesia hujus Periodi, ut postea videbimus.

§. LXXVII. Sequuntur alii casus hujus Periodi: sed illi pauci sunt, qui animadversionem merentur, praeter ortum Manichaeismi. Manserunt res, tum essentialium tum accidentalium partium Ecclesiae respectu, fere eodem in statu; nisi quod Cultus aliquem ulteriorem gradum fecerit ad superstitionem, sed minus conspicuum, respectu venerationis sanctorum; quod Regimen majorem acceperit autoritatem, praecipue Paparum Romanorum. Et Mores fuerunt corruptiores, praecipue tempore Cypriani, et ante Persecutionem Diocletianeam, quibus emendandis destinata quoque erat Persecutio. Haereses eaedem circa Trinitatem continuarunt, et ea Artemonis per Paulum Samosatenum

Samosatenum est renovata. Propagatio nil habuit singulare, nisi quod persecutionibus creverit Ecclesia; et paulo ante Diocletianum fuerit in florente statu. Sed ortus Manichaeismi Casus fuit notabilis. De quibus omnibus ex Instit. Hist. facile constat. Ceterum praeter hos Casus, qui directe pertinent ad Ecclesiam, alii extiterunt hac Periodo memorabiles, qui Christianos non nisi qua Cives Imperii Romani concernunt, adeoque Judicia Dei in Civitatem Romanam comprehendunt; quae fuerunt hoc tempore Pestes, Barbarorum irruptiones, et Motus intestini. Pestis praecipue grassata est terribilis sub Gallo et Gallieno per annos XV. de qua testatur Zosimus, nunquam tantam fuisse. Vid. quoque Cyprianus *de mortalitate*, qui Liber hac occasione Scriptus est. Cedrenus (de Gallo) inquit: *eo tempore Pestis invaluit ab Æthiopia in Occiduam usque Terrae partem propagata, neque ulla fuit urbs ejus expers, multae etiam bis ea lue infestatae, ea obtinuit annos* 15. Barbari, qui Imperium Rom. vastarunt sub Decio, Gallo et Gallieno, fuerunt Persae, Gothi, et Scythae, Gothis post XV annorum vastationem a Claudio debellatis. Tandem XXX Tyranni sub Gallieno in Imperium Rom. irrumpentes illud varie vastarunt: de quo leg. Rupertus ad Besoldum.

§. LXXVIII. In Tractatione Prophetica primum locum meretur Apocalypsis, quae cum in Sigillorum Libro Charactéres Periodorum exhibeat, ut ex supra dictis liquet; videamus quid Sigillum II*dum* contineat: ejus emblema est Eques equo rufo insidens, et strictum in manu tenens gladium, cui potestas data pacem auferendi, et efficiendi, ut alii alios mactent; Cap. VI: 3, 4. Quod Emblema cum recte explicuerit, et ad publicas Imperatorum Romanorum Persecutiones, quibus innocuos suos cives tanquam oves mactarunt, applicuerit Cl. Vitringa, nihil habeo, quod ejus commentationi addam, adeoque ad eum ablegamus hujus rei cupidos. Characterem ergo Periodi habemus in Persecutionibus situm, quem supra ex Historia demonstravi.

§. LXXIX. Conferamus ergo nos ad III Epistolam Apocal. ad Pergamenos Cap. II: 12 seqq.

A. Externum Ecclesiae statum characteristice describit v. 13. ubi Dicitur, Ecclesiam habitare, ubi *Thronus Satanae* est, et Martyres fieri, qui Fidei causa occiduntur: quo nihil est clarius. Thronus Satanae et Persecutio alternantur; et Tyrannicum Imperium in Conscientias, et violenta fidei oppressio a Gentilibus, clare exprimuntur. Quod ulterius e praecedente Epistola, quae Persecutionis X dierum, tanquam futurae, meminit, confirmatur: ea enim Persecutio, quae ibi Ecclesiae denunciatur, in hac Epist. proponitur ut praesens: Habemus ergo et hic Characterem Periodi in Persecutionibus.

B. Statum internum Ecclesiae haec Epist. describit respectu Persecutionis; cum Ecclesia laudatur a constantia fidei et patientia: *tenes nomen meum* (dicit Christus) *nec negasti fidem meam*, i. e. Religionis Christianae confessionem. Cl. Vitringa Epistolam applicat ad quaestiones de divinitate Christi inter ipsos Christianos Sec. IV. in quibus Athanasiani Fidem sanam tenuerunt, et propterea vexati sunt varie ab Arianis. Antipas ipsi κατ' ἐξοχὴν est Athanasius, sic dictus, quod Filium dixerit Patri aequalem, quo respiceret nomen Antipas ex ἀντίπατρος. Pergamus esset Alexandria, et Thronus Satanae ibi diceretur esse, quatenus ab origine est Idololatriae, Superstitionis, luxus, levitatis et impietatis Sedes, eamque indolem semper aliquatenus servarunt Alexandrini. Sed haec, quam ingeniosa, videntur mihi tamen (quod pace Viri Celeberr. dicam, a quo non libenter dissentio) longe quaesita, fundamento destituta, variisque difficultatibus plena:

א. Sensus Propheticus adeo non potest ab Historico Epistolarum sensu discrepare, ut phrases, e. gr. *nomen tenere*, *fidem Christi non abrogare*, longe alium sensum habeant in Ecclesia Pergamena illius temporis, quo Apocal. scripta est, alium vero in Ecclesia per Pergamenam expicta.

ב. Phrases, nomen Christi et fidem ejus tenere, usu S. S. simpliciter notant Christianae Religionis professionem.

ג. Thronus Satanae quare in Ecclesia Seculi IV*ti*

IV*ti* ſpeciatim dicatur erectus, commode explicari nequit. Levia nimis ſunt, quae hic de Alexandria dicuntur, nec illi propria. Paganiſmo ſuperato, Thronus Satanae dici nequit erectus in Eccleſia.

ו. Satanas hic occurrit ut bellum gerens cum Sanctis Cap. XII. et hic ejus eſt character: ut poſtea demonſtrabo.

ח. Epiſtola haec non eſt referenda ad Sec. IV. ſed ad illud tempus, quo Perſecutio coepit cum Decio.

§. LXXX. Noſtra Hypotheſis facillima eſt, et nihil, quod offendit, habet. Pergamum et Antipam neceſſe non eſt prophetice interpretari in Epiſtola duplici ſenſu praedita: alia in ſenſu hiſtorico, alia in prophetico veritatem habent majore minoreve emphaſi. Antipas pro Ἀντίπατερ illuſtris Martyr, forte Epiſcopus, fuiſſe videtur in Eccleſia Pergamena, cujus ſimiles in publicis Eccleſiae hujus Periodi Perſecutionibus occiſi ſunt fidei cauſa: quod hic ſufficit. Si vero quis ad exemplum magni Vitr. inſtitutum velit, is ſub nomine Pergami cogitet de Nicomedia et Diocletiani Regia; quod Perſecutio ea in Urbe decreta eſt, et inde per totum Orbem dimanavit; quare recte thronus Satanae dici potuit ibi erectus. *Antipas* ſit Anthimus illius urbis Epiſcopus, mox occiſus; de quo vid. Euſeb. Hiſt. E. L. VI. C. 8. Niceph. Hiſt. L. VII. C. 6. et Chronic. Paſchale. Antipas eſt Vice-Papa, et Epiſcopum notare poteſt. Sed tutius eſt, a talibus ſubtilitatibus abſtinere, et in generalioribus acquieſcere. Pergamus ergo ad reliquas Epiſtolae Partes.

§. LXXXI. C. Praeter hanc Conſtantiae et Patientiae Virtutem modo memoratam, quae Characterem ſtatus interni Eccleſiae abſolvit, Dominus reprehendit Eccleſiam Pergamenam, quod Nicolaitarum doctrinam in ſinu ſuo foveant ad exemplum Iſraelitarum, qui aſtu Bileami ad Idololatriam adducti ſunt et ſcortationem, et propterea gladio puniti. Vitia ambitionis, faſtus et luxus hic notari: recte obſervat Cl. Vitringa, quod ipſum in Eccleſiam noſtrae Periodi a Decio ad Conſtan-

P tinum

tinum recte quadrat: cum et ante Decianam et ante Diocletianeam Persecutionem vitia illa in Ecclesia sint notata a Cypriano, Origene et Eusebio. Vid. Cypr. Epist. VII. ad Clerum: LXVIII ad Hispanenses; et in Libro de unitate Ecclesiae, et de Lapsis. Origen. ad Matth. P. 420. Euseb. Hist. L. VIII. C. 1. Commodianus quoque vitia sui Seculi acriter perstrinxit. Adhortatur Dominus Ecclesiam ad poenitentiam, et minatur ei, ni faciat, gladium suum bicipitem, seu Judicia sua infligenda. Emendavit se Ecclesia ab isto vitio per longam Persecutionem castigata, sed brevi in graviorem corruptionem prolapsa; quare sequente Epistola eadem reprehensio et adhortatio repetitur: ut post videbimus.

§. LXXXII. Adcingamus nos nunc ad Cap. XII. Apocal. explicandum, et hypothesin ejus Cap. recte intelligendi tradamus: occurrit hic

A. Mulier nimbo lucis amicta, Lunam sub pedibus habens, ac XII Stellarum corona ornata: quae Mulier partus tormina tulit, et prope a partu aberat. Expingi videtur Ecclesia primaeva post destructionem Oeconomiae Legalis; quo pertinet, quod Luna sub ejus Pedibus foret, quia Ecclesia Sole Justitiae tanquam nimbo Lucis gloriose illustrata, et Apostolorum totidem Stellarum praesentia gaudebat vel gavisa erat, sed adhuc Apostolicorum Virorum corona cingebatur. Quae Ecclesia inter labores et pericula conabatur Christum ut Regem Gentium parere, Mundum ipsi subjiciendo.

B. Opposuit se ei Draco septiceps et decicornis, Romani sc. Imperii summus Praeses, cujus respectu VII habebat capita, seu tot Imperatores, qui Ecclesiam persequerentur; et X cornua, seu totidem Provincias, in quibus robur Imperii Rom. situm erat: de quibus omnibus vid. Cl. Vitringa: nostram praecipue meretur animadversionem, quod Draco *cauda* sua dicitur traxisse tertiam partem *Stellarum* Coeli, quas in Terram projiciebat. Quo puto expingi, Satanam tum temporis a Republica et Ecclesia Judaica destructa proximum fuisse, et destructionem illius proxime factam pone se habere;

habere: respicitur enim manifeste ad historiam parvi cornu Dan. VIII et XI.

§. LXXXIII. C. Mulier post gravia tormina filium peperit, qui raptus est ad thronum Dei: hic est ex mea opinione Christus, qui Rex Gentium futurus erat, ut ex characteristico attributo ejus elucet: hunc qua talem Ecclesia primaeva peperit, cum fide et labore suo solida jecit fundamenta Dominii Christo dandi in Imperio Romano. Quod post destructum Judaismum demum contigit sub finem Seculi I. et in initio II*di* post Persecutionem Judaeorum, et Romanam sub Nerone et Domitiano. Raptus ad Thronum Dei indicat, ei Imperium parari a Deo, et, cum adoleverit, actu dandum; quod demum post Persecutionem Diocletianeam factum est.

D. Hoc facto, Mulier fugit in Desertum, et, duabus alis Aquilae instructa, longe lateque quam citissime volavit per Desertum, ubi tutum ac necessariis bonis abundantem accepit locum, ubi per tria tempora et dimidium aleretur: quae summa est v. 6 et 14; ubi Not. v. 14. non novam, sed eandem significari fugam: repetitur enim mentio fugae, post Proelium in coelo memoratum. Fuga v. 6. non proleptice, ut putat Cl. Vitr., sed vero suo loco memoratur. Ceterum expingit peregrinatio ea per desertum Ecclesiae commorationem et propagationem inter Gentes: ubi per sesquiseculum satis pacifice degit, antequam a Dracone e coelo deturbato vexari coepit: alae aquilae duae significant citissimam Ecclesiae propagationem per Orientales et Occidentales Orbis partes.

§. LXXXIV. E. Dum Mulier in deserto degebat satis tuto, factum est Proelium Michaëlis cum Dracone in coelo, quo Draco victus et e coelo deturbatus est: Quae Pericopa tota est Symbolica; quae, si ad simplicem veritatem redigatur, nihil aliud dicit, ac, *primo*, Angelos Ecclesiae causam tuitos esse, sed Satanam se Ecclesiae ejusque causae opposuisse: 2*do* Satanam jus suum in Imperia Mundi ursisse, et se Regno filii Mulieris opposuisse: 3*tio* Satanam cecidisse, et publice damnatum vel Regno privatum esse. Quod factum, cum Eccle-

sia primas partes obtinere coepit in Regno Romanorum, seu cum ubique erectae sunt Ecclesiae, et Deus eo ipso demonstravit, sibi propositum esse, Regnum Christi jamjam in Orbe Romano erigere. Sunt autem tales Descriptiones Symbolicae plures in S. S. ut 1 Reg. XXII. Job. I. Zach. III. Dan. X. et alibi. Sed in specie, quod non erat negligendum, huc pertinet, Satanam calumniis et accusatione Christianorum hac Periodo praecipue pugnasse; sed Christianos ope Christi et Angelorum calumnias refutasse, Christi causam Apologiis et Miraculis defendisse, et tandem superasse Satanam et Gentilismum. Quo Doxologia subjecta nos manifeste ducit. Errant, qui volunt, describi Persecutionem Diocletianeam: nam 1*mo* proelium narratur inter Angelos in coelo habitum: 2*do* diserte distinguitur a Persecutione Mulieris, quae sequitur. 3*tio* Satanas est in proelio hoc calumniator tantum; non tam spectatur ut Persecutor publicus.

F. Satanas, cum videret, rem eo spectare, ut Ecclesia Mundum occupet, et Paganismus destruatur; quod per ejus dejectionem in Terram significatur; ipsam Mulierem omnibus aggredi statuit viribus, quo fini directe eam persecutus est, et, quum eam apprehendere non posset, quaquaversum se moventem, ultimum adhibuit conatum, fluvium aquae emittendo ex ore, ut eam hac ratione inundaret: sed incassum; nam Terra succurrit ei, et fluvium absorpsit. Quae vivida nobis descriptio videtur ultimae Persecutionis Diocletianeae, quae in liberatione Ecclesiae per ipsos Imperatores Rom. procurata finita est. Quod factum, cum Ecclesia tres annos, seu magna intervalla, i. e. tria secula, fuisset in Deserto; quod verum est, si I Seculum accenseatur: alias computus institui debet, ut in tribus diebus mortis Christi; ita ut III*tio* Seculo sit liberata Ecclesia, sicuti Christus tertio die resurrexit.

§. LXXXV. Haec Hypothesis Cap. XII Apocal. explicandi docet: I*mo*, Ecclesiam fuisse in partu usque ad finem Sec. I. 2*do* Inde incepisse Periodum praeparationis Ecclesiae ad Haereditatem Gentium, seu fundationis et propagationis Regiminis Christi

Christi inter Gentes; quo tempore Christus, qua Rex Gentium, quasi delituit, Ecclesia in Deserto fuit, Satanas causam suam defendit, maxime per calumnias. 3*tio* Incepit inde Bellum publicum cum ipsa Ecclesia in terra per Persecutiones inde a Decio. Quando 4*to* Ecclesiae coepit liberatio et Regni Christi publica erectio; seu Christi, adhuc quasi latitantis, publica inauguratio ut Regis Gentium. Quae quam apte conveniant in Characteres Periodorum, facile conspicitur. Plura non addo, cum lineas in hac Tractatione duxisse suffecerit.

§. LXXXVI. Transeundum nunc foret ad II*dum* Tubicinium: sed quum id directius pertineat, ex nostra hypothesi, ad seq. Periodum, nec nisi casus praenuncius in nostram cadat, explicationem eo usque differam.

Confero ergo me ad Prophetias V. T. inquisiturus, sitne aliquid in illis, quod ad nostram Periodum trahi queat. Non est mihi propositum, omnia quae e Psalmis, Cantico Canticorum, aliisque Prophetiis proferri solent, ad examen revocare; cum omnia aeque facile rejiciantur, quam ponantur; sed quae cum specie proferuntur a Viris nonnullis doctis, hypothesi non inservientibus, sub examen mittam. Ubi praecipuum meretur locum, quod Jes. XLIX: 14. et praecipue v. 24---26. occurrit: cum magnus ille Jesajae interpres ultimam Pericopam directe referat ad Persecutionem Diocletiani, et Ecclesiae liberationem ex illa, idque non sine magna probabilitate, cum series Cap. eo ducere videatur, quod ipse egregie executus est. Sed, cum a Viro Magno dissentire liceat, obstat huic Hypothesi:

A. Quod mutua oppressorum Ecclesiae devoratio minus quadret apte in illos Persecutores, et longe rectius in Successores Antiochi Epiphanis, quo ex mea sententia respicitur: licet unus aut alter Persecutorum ita perierit, reliqui tamen ab ipsis Ecclesiae liberatoribus debellati sunt, non a se invicem, ut a Constantino et Licinio, causam Christianorum agentibus; Constantinus oppressit Maximinum Herculeum et Maxentium; Licinius, cum Christianorum esset fautor,

Maximinum; postea, quum et ipse inciperet persequi illos, oppressus est a Constantino M. Solus Severus est ab Herculeo et Maxentio morti traditus. Galerius Maximianus divina plaga periit. De Diocletiano nil constat. Sed verte te ad Antiochi Epiphanis successores: nil notius est, quam eos sibi invicem intulisse necem; ut character Successorum ejus fuerit in mutuis bellis et oppressionibus, quibus totum id Regnum pessumdatum est.

B. Tsion, quae Prophetiae subjectum est, referri nequit ad Ecclesiam Christi ejus temporis:

א. Quod v. 17. destructores et vastatores ejus dicitur fore proprios ejus Cives, vel inter eos praecipuum locum habituros esse, quod *exire ex te* indicat, ipso Cl. Vitr. demonstrante; id autem in impios Judaeos tempore Antiochi apte quadrat, estque Character illius temporis distinguens: Sed in Ecclesiam Christianam non nisi debili valde et remotiore sensu deberet de Haereticis explicari; sed illi tituli hujus vim plane praestare nequeunt.

§. LXXXVII. ב. Quia Tsion hic intelligitur, cujus mater acceperit libellum repudii, ut est Cap. L: 1, 2. quod ad Judaeos tempore excidii Romani applicat Vitringa: sed verius convenit in Afflictionem Epiphanicam. Judaei increduli tempore Christi qua ratione Mater Ecclesiae Christi dici queant, maxime cum tota e Gentilibus constiterit, quae Persecutionem Diocletianeam passa est, vix intelligitur: certe hic non est Prophetarum stylus. Si Tsionem interpreteris de Ecclesia Christi primi temporis e Judaeis constante, ut instituit Cl. Vitr. ad v. 14. C. XLIX. respiciens; observo

a. Nexum cum praecedentibus obstare.

b. Ne sic quidem mentio repudii Judaeorum carnalium aptum reperiet locum, cum Ecclesia Christiana, et ex ipsis Judaeis constans, excidium illud per Romanos non potuit respicere, ut hic dicitur, tanquam signum imminuti affectus Dei erga se: Judaei erant impii et adversarii Ecclesiae Christi.

c. Nec

c. Nec illud facile eſt explicatu, quod Tſion, quae hic dicitur conſolationis eſſe objectum, confundatur cum Matre, et partem habere dicatur in cauſa repudii; dicitur enim, *vendidi vos*.

d. Addo, Deum hic negare, ſe repudiaſſe Eccleſiam Judaicam, non Dei, ſed propria culpa in manus hoſtium traditam; tum quod peccatores eam prodiderint; tum quod reliqui animis ſuccumberent; nec eſſe magni momenti Heroes, qui Eccleſiam defendere velint; quo pertinet v. 2. in initio: ut liquet ex coll. Cap. LIX: 16. LXIII: 3. et LI: 18. Id quod conſpectui Excidii Romani non convenit.

e. De illo Afflictionis tempore hic agitur, quo Deus potentiſſimo brachio ſuperveniret et populum eriperet; ut eſt v. 2 et 3. cujus Pericopae ſcopus eſt, populum de Deo conquerentem convincere diffidentiae ex eo, quod vires Deo abunde ſuppetant Eccleſiam vindicandi, quod demonſtraret reapſe; et factum eſt tempore Maccabaico.

§. LXXXVIII. Ex mea ergo hypotheſi agitur Cap. XLIX: 24. Cap. L: 3. de Afflictione Epiphanica et miraculoſa Liberatione Maccabaica; totaque Concio ita cohaeret: cum de Liberatione ex Exilio Babyl. egiſſet Propheta Cap. XLVIII. pergit mox, pro more Prophetis ſolenni, ad tempora Maccabaica, et de Eccleſia, maximiſque Bonis, in ſpecie Gentium confluxu, in eam conferendis, magnifice vaticinatur, ac ſi Eccleſia poſt id Exilium in florente mox eſſet conditione, Cap. XLIX. cui vehementer obſtaret Calamitas Epiphanica, et Eccleſia ejus temporis acerbas effunderet querelas; contra quas cum Propheta eam in genere eſſet conſolatus v. 14---17. mox regreditur ad praerogativas Eccleſiae in medium proferendas; ſed quum conſolatio non ſatis accurate eſſet facta, eam repetit, et plenius deducit v. 24. ---- Cap. L: 3. Quando redit ad Meſſiae deſcriptionem: ſed quae latius exequi non poſſum.

§. LXXXIX. Pergo ad Pericopam Jeſ. LI: 9---16. quam ad Eccleſiae per Romanos Perſecutiones quoque refert Cl. Vitringa. Sed Propheta cum ſuperiorem prophetiam Cap.

XLIX usque ad v. 3. Cap. L. absolvisset; mox addit similem aliam, quae eodem tenore decurrit, ad superioris confirmationem: postquam enim de Messia, de felicitate et multiplicatione Ecclesiae sub illo, vaticinatus esset a v. 4. Cap. L. usque ad Cap. LI: 5. simul Vet. Oeconomiae abolitionem subjunxisset, inde ad v. 8. sermonem vertit ad Tsionem, post Exilium Babyl. in novas easque gravissimas afflictiones delapsuram, consolandam et erigendam luculento promisso singularis liberationis, a v. 9. usque ad fin. ejus Cap. quando Cap. LII. ad ulteriora promissa in Ecclesiam Tsioneam conferenda sub Messia pergit, plane ut superiore concione. Pericopa ergo Cap. LI: 9---16. refero ad Ecclesiam Maccabaicam, non ad Christianam sub tyrannide Romanorum gementem:

A. Quod Liberatio fieret exerto et valido brachio, quo hostes miraculose prosternerentur, fere ut in Redemtione Ægyptiaca; quale quid tempore Constantini M. non contigit: debellavit quidem hostes, sed non miraculose; nec eo scopo, ut Christianis afflictis succurrat: tempore vero Maccabaico id verum est summa emphasi.

B. Populus, de quo hic Sermo est, dicatur oblitus Dei factoris sui, et toto die intremuisse, seque foveis et cavernis occultasse, v. 13, 14. qui non est Character Ecclesiae Christianae tempore Persecutionum earum a Romanis suscitatarum, ut liquet ex III Epist. Apocal. licet non defuerint, quos metus transversos egit: de quo supra.

C. Pericopa a v. 17. ejus Cap. ad Ecclesiam Maccabaicam ex ipsius Cl. Vitr. hypothesi solide demonstrata pertinet. Verum quidem est, eum hic novam incipere Concionem cum superiore non cohaerentem; sed sine fundamento solido; et nexus nimis est manifestus cum superioribus.

§. XC. Praeter has Prophetias nullae aliae occurrerunt mihi, quae cum specie ad Ecclesiam a Gentibus hac Periodo afflictam applicari possunt. Parum ergo abest, quin asserere ausim, Ecclesiae Persecutiones sub N. T. a Gentilibus efficiendas

endas nullas notas fuisse Prophetis V. T. Quod hae rationes ulterius docent:

A. Quod illi de Ecclesia Christiana loquantur, ut pace et tranquillitate gavisura sine ullo bello: Vid. Jes. II. IX: 6. XI: 6 seqq. XXXV: 9. LIV: 14 seqq. LV: 12, 13. et alibi. Sic Mich. IV: 1. Zach. IX: 10.

B. Quod ad Ecclesiam N. T. Gentes confluxurae dicantur sponte sua, et Reges ei inservituri, nulla mentione oppugnationis ab illis profecturae facta: Sic. Jes. XLIX. LX. et alibi.

C. Quod Hostes Ecclesiae, absque ut Ecclesiae noceant, dicantur a Deo puniendi, Ps. II. CX &c. Ecclesia quoque sub Dei umbra et tutela dicitur futura tuta ab aestu et frigore Jes. IV: 5, 6.

D. Quod Ecclesia solet a Prophetis describi in summa prosperitate et splendore, Jes. XLIX. LIV. LX. Ps. LXXII. et alibi. Ex his omnibus quid aliud colligas, quam Ecclesiam Christianam a Prophetis depingi ejus status respectu, quem non nisi post multam luctam assequeretur: fata autem intermedia Prophetis V. T. non fuisse revelata, ut ex Dan. II. et VII. pluribus firmari potest: de quo egi in ult. Diss. ad Vis. Dan. Emblem.

§. XCI. Restat ad hanc Commentationem, inquiram adhuc, num in Euangeliis aut Epistolis *Apostolorum* aliquid occurrat de publicis Persecutionibus Romanorum? et aliquem conspectum dem Harmoniae Fatorum Ecclesiae V. et N. T. Offerunt quidem se generales praedictiones de continuis vexationibus eorum, qui pie vivere, et Christum sequi voluerint; ut de Cruce sua tollenda, et se abnegando, de anima sua prae Christo non diligenda, aliaque Christi monita: etiam de Apostolis eorumque discipulis a Judaeis ac Gentibus persequendis nonnulla occurrunt loca, praecipue Matth. X et XXIV. Sed speciale aliquod et disertum Vaticinium de Persecutionibus Ecclesiae a Gentibus, quales nostra habet Periodus, nullum mihi succurrit.

§. XCII. De Harmonia autem Fatorum V. et N. T. verbo abſolvam; cum nec lubeat, nec neceſſe ſit, hic morari. Perduxi eam ad ultimum tempus morae Iſraelitarum in Deſerto, cui reſpondet ultimum tempus Eccleſiae inter Gentes in Imperio Romano. Inter caſus, qui Iſraeli tum obtigerunt, animadverſionem meretur.

A. Abſtractio illius ad ſcortationem cum Mulieribus Midianiticis et Moabiticis, et per eas ad Idololatriae communionem, Bileamo hoc offendiculum illis objiciente. Huic caſui reſpondet id quod III Epiſt. Apocalypt. de doctrina Nicolaitarum inter Chriſtianos hujus Periodi invaleſcente habet: de quo ſupra dictum eſt.

B. Infeſtatio a Populis vicinis, praecipue Amorrhaeis, qui Iſraelem, ſed cum excidio proprio, oppugnarunt. Quod ad eas poteſt referri Perſecutiones, quae ultimam Diocletianeam praeceſſerunt, quarum eventus fuit, ut Eccleſia fuerit ante ultimam Perſecutionem hac parte in ſtatu florente, Perſecutoribus de medio Sublatis, et Eccleſia valde propagata, ſecundum Euſeb. Hiſt. L. VIII.

C. Tranſitus per Jordanem, qui populum in Cananaeam induxit, non longe quaeſitum eſt Emblema ultimae Perſecutionis Diocletianeae, qua ſuperatâ, in Romani Orbis poſſeſſionem immiſſa eſt Eccleſia: cui etiam non male reſpondet flumen a Dracone ex ore emiſſum Apoc. XII. Plura non addo, cum ex ſupra dictis de tranſitu per Mare Rubrum lineae comparationis facile ducantur.

PERIODUS



PERIODUS TERTIA,

a Constantino M. ad finem fere Sec. XI.

§. XCIII. Uod ad Tractationem Historicam adtinet primo, Character Periodi est cognoscendus. Ad Historiam Ecclesiae per omnia haec Secula animum advertenti, et varios casus revolventi, nihil magis, nihil prius, nihil illustrius, se offert praeter continuas lites seu Doctrinae, seu Cultus, seu Regiminis causa, per totam Ecclesiam habitas, indeque ortas multiplices definitiones publicas in Synodis, donec quaestiones sint sopitae, et Ecclesiae in varias scissae partes, quae totidem diversas constituunt Societates. Percurramus omnia ista secula, et nullo negotio videbimus, Historiam Ecclesiae in ea re praecipue versari.

Seculo IV excitatae sunt acerrimae lites cum *Arianis*, *Semi-Arianis* et *Photinianis*, de vera *Christi Divinitate*; cum Apollinaristis de modo Unionis duarum naturarum in Christo; cum Priscillianistis Manichaeismi renovati accusatis; Messalianitis, antiquis illis Pietistis, seu Mysticis; denique cum Donatistis de verae Ecclesiae notis: de Jurisdictionis limitibus inter Patriarchas, Metropolitas et Episcopos: ne alias specialiores lites memorem. Sed quot non Synodi? quot Fidei formulae? quot definitiones hinc non sunt ortae? Dein

Seculo V praeterquam quod eaedem lites continuarunt, nonnullae non minore vehementia resuscitatae sunt, ut cum Vandalis, Gothis Arianis, et Donatistis; novae quoque ortae sunt adhuc graviores, et cum effectis magis noxiis, ut cum

Neſtorianis et Eutychianis de modo Unionis naturarum in Chriſto; Pelagianis, et Semipelagianis de Gratia ſanctificante et Capitibus annexis; denique inter Orientales et Occidentales cauſa Henotici Zenonis: unde Schiſma natum duravit 35 annos.

§. XCIV. Seculo VI ſicut lites cum Neſtorianis et Eutychianis continuarunt; ita novae ſunt ortae, de III Capitulis, cum Aphtardocetis, Agnoëtis, Jacobitis; denique de una ex Trinitate paſſa; et quae ſunt ſimiles.

Seculo VII acerbiſſimae contentiones ortae cum Monothelitis, tanquam Eutychianis, et perſeverarunt cum Neſtorianis et Monophyſitis.

Seculum VIII famoſum maxime per lites de Cultu Imaginum; et cum Adoptianis, qui Neſtorianiſmum cenſebantur renovare; ne alios memorem.

Seculo IX eaedem contentiones continuarunt; coeperunt quoque novae de Sp. S. proceſſione ex Patre ſolo, an Patre filioque, inter Graecos et Latinos; de Praedeſtinatione cum Godſchalco; de Tranſubſtantiatione a Paſchaſio Ratberto ſuſcitatae; de limitibus Juriſdictionis, ut inter Papam et Patriarchas Conſtantinopolitanos, et inter Papas ac Reges vel Imperatores.

Seculum X ob corruptionem et deſidiam nihil ſuppeditat peculiare. Sed

Seculo XI renovatae lites de proceſſione Sp. S. et cum Manichaeis, ſaltem ut habebantur; ac cum Berengarianis de Tranſubſtantiatione.

Poſt hoc tempus ceſſarunt lites, et, omnibus Capitibus definitis, jam in eo eſſe coeperunt, ut definitiones illas violenta manu defenderent contra qualeſcunque: quando Tyrannis in ſolio collocata eſt, et nova incepit Periodus.

§. XCV. In hoc jam caſu, cujus generales duxi lineas, accuratiorem dedi notitiam in Hiſt. Eccleſ. per omnia Secula, Characterem dominantem per omnia iſta Secula fuiſſe ſitum, facile demonſtratur: (1) Quod Caſus fuit continuus toto hoc

tempore

tempore conſpicuus; licet Sec. X et XI minore gradu, Periodo quippe ad finem vergente. (2) Quod Caſus fuit maxime illuſtris, in omnium mox oculos incurrens, qui maximos dedit motus. (3) Quia caſus fuit univerſalis per totam Eccleſiam, licet nunc per hanc, nunc per illam Eccleſiae partem magis conſpicuus. (4) caſus eſt, qui eo majorem meretur attentionem, quod Eccleſiam in varias partes, varias Societates, quae dein ſubſtiterunt, diviſerit: ortae hinc ſunt Eccleſiae Arianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Orientalium, Occidentalium, et quae ſunt aliae. (5) Accedit, quod hic caſus ſtabilem in Eccleſia confeſſionem Veritatis, formulis in Synodis Univerſalibus cuſis adſtrictam, pepererit; ut Nicena, Conſtantinopolitana I, Epheſina, Chalcedonenſis, Conſtantinopolitana II, IIItia contra Monothelitas, Nicena II. pro Cultu Imaginum. (6) Si cum aliis comparetur hic caſus, ſupra omnes alios longe eminere deprehendetur per omnia illa Secula: quod nunc in clariore luce collocandum eſt.

§. XCVI. Pergo ergo ad alios caſus illuſtres hujus Periodi: praeter hunc enim caſum characteriſticum alii quoque in hanc Periodum incidunt notabiles, maxime reſpectu Partium accidentalium Eccleſiae. Licet enim Cultus Eccleſiae publicus varia ſuperſtitione hac Periodo ſit commaculatus, cujus tamen non tam hic, quam in Morali Eccleſiae conditione ratio habenda eſt; de quo mox agam: Regimen vero Eccleſiae, quod quoque partem eſſentialem conſtituit, non tam eo nomine locum inter caſus hujus Periodi notabiles meretur, quod Metropolitani et Patriarchae hoc praecipue tempore vel orti ſint, vel invaluerint, quam quod majorem ſibi vindicaverint autoritatem, in Fidei Capitibus definiendis, Ritibus praeſcribendis, et Diſciplina exercenda, quam Libertati Chriſtianae et indoli Religionis Evangelicae convenit: in ſpecie, quod Papae dominium aliquod univerſale, cujus fundamenta hac Periodo ſunt jacta, in totam Eccleſiam ſibi arrogaverint: quae in Hiſt. Eccl. narrare ſoleo, hic non repetenda. Multa vero obſtant, quo minus hoc in caſu conſtituatur Periodi Character.

A. Episcopatus semper in Ecclesia fuit, et similem aliquam potestatem sibi arrogarunt Episcopi; hoc tantum tempore major coepit introduci Episcoporum subordinatio per Metropolitanos et Patriarchas, et potestate magis abusi sunt. Sed post haec tempora haec autoritas semper viguit et magis eluxit. Si vero Episcopatus Ecclesiam nequeat characterizare, ergo nec ejus subordinatio, nisi in manifestam vertat Tyrannidem, ut post hanc Periodum.

B. Autoritas Episcopalis se toto hoc tempore praecipue exeruit in Canonibus de Fide et Ritibus Ecclesiae condendis, et litibus circa ea vel finiendis vel fovendis, et Ecclesia in partes varias dilaceranda; adeoque non in Regimine ejusque abusu, sed in Litibus, circa quas Regimen fuit versatum, ponendus est Periodi Character.

C. Papae hoc tempore non exercuerunt supremum, multo minus Tyrannicum, dominatum; sed eum tantum consequi conati sunt, et omni ope annisi: quod ipsis non nisi a Sec. XI. successit; adeoque Tyrannis non abhinc, sed ab illo tempore coepit Ecclesiae characterem constituere. Verum quidem est, Protestantes passim initia Antichristianismi repetere a Sec. VII. cum in Bonifacium VI titulus Universalis Episcopi esset collatus a Phoca imperatore. Sed erronee, ut demonstravi in Vita Bonifacii: nec hic titulus quem Antichristianum facit, nec soli Romani gesserunt: de quo in oratione subnexa plura dixi.

§. CXVII. Pergo ad Partes accidentales Ecclesiae: nihil magis memorabile hic occurrit, quam incrementum et decrementum Ecclesiae: licet Persecutiones aliquae Sec. IV et V adhuc obtinuerint, ut Romana sub Licinio et Juliano Sec. IV. Gothica et Vandalica Sec. V. et Persica; illae tamen hic in censum non veniunt, tum quod vel parvi momenti fuerint et breves, vel in aliqua tantum parte grassatae, ut Vandalica in Africa, Persica in Persia: tum quod nec per totum hoc tempus continuarunt, nec prae omnibus aliis casibus eminuerunt. Sed incrementum et decrementum Ecclesiae non ultimum locum

cum habet inter illuſtres Caſus hujus Periodi. Ad incrementum pertinet (1), quod Chriſtiana Religio facta ſit in Imperio Romano a temporibus Conſtantini M. dominans, eaque ratione creverit, ut poſt Sec. unum Sola fere obtinuerit. (2) Eodem Seculo fundamenta ſunt jacta Chriſtianiſmi inter Habeſſynos, Iberos, Armenios et Gothos: Sec. V. inter Scotos, Burgundiones et Francos: Sec. VI. inter Anglo-Saxones: Sec. VII et VIII per totam fere Germaniam, ut inter Friſios, Francones, Bojoarios, Saxones &c. Sec. IX inter Danos et Suecos, et Gentes Schlavonicas, Bohemos et Bulgaros: Sec. X inter Normannos, Polonos, Moſchos et Hungaros. Haec licet demonſtrent, Propagationem Eccleſiae praecipuis caſibus Periodi annumerandam eſſe; duae tamen rationes impediunt, quo minus, characteriſticum caſum in ea ſitum eſſe, ſtatuatur:

A. Quod politica magis fuit earum Gentium converſio quam Euangelica, ſive conjugiis, ſive metu, aliiſque politicis rationibus effecta: imo violenta ſaepe magis quam libera, Regum magis voluntate, quam perſuaſionibus Populi: ut ſingularum Converſionum Hiſtoria facile evincit. Praeterea Superſtitio aeque ac Religio Chriſtiana ad illas Gentes tranſiit. Fuerunt ergo hae converſiones ab illis primorum Seculorum longe diverſae.

B. Quod ſi cum hoc Eccleſiae incremento comparetur ejus decrementum hac Periodo, per Barbarorum invaſiones in Romanum Imperium Chriſtianum, per Saracenos, Africam, Ægyptum, Syriam, aliaſque Aſiae partes occupantes, et Chriſtianiſmum ibi fere extinguentes; incrementum non tantum minus notabile redditur, ſed ne magni quidem momenti videbitur. E quibus ſatis elucefcit, in hoc caſu Characterem Periodi collocari non poſſe. Ne dicam, caſum noſtrum eſſe longe illuſtriorem.

§. XCVIII. Nunc de Charactere Eccleſiae *internae*, ſeu Status Eccleſiae Moralis, reſpectu Cultus et Morum, dicendum erit. Character Eccleſiae hujus Periodi reſpectu Religionis et Virtutis aliquam ſubiit mutationem. Unde duplex oritur Character:

racter: Alter est verum et ardens Religionis studium, sed vergens ad Superstitionem et Corruptionem; Alter est externae Religionis et devotionis solum Species, quae totalem corruptionem involvit. *Prior* duravit ad Sec. IX. quando posterior coepit esse conspicuus. In *priore* Statu Ecclesiae verum Pietatis Studium dominabatur supra superstitionem et luxum; sed ferebat tamen; donec tota Ecclesiae facies intus fuerit corrupta; quando Superstitio et Corruptio dominari coeperunt sub larva devotionis externae, paucis piis superstitibus: quod non est factum nisi post aliquem conatum Sec. VIII. Ecclesiam in melius mutandi et reformandi. Illustremus haec paucis ex Hist. Eccl. Sec. IV et V. viguit in Ecclesia ardens Religionis studium ac Pietatis: fuere multi, qui in ea promovenda, defendenda et exercenda, magnam posuerunt operam, una cum tolerantia et constantia. Exempla sunt, partim in illustribus Doctoribus, Athanasio, Eusebio, Basilio M., duobus Gregoriis, Nazianz. et Nysseno, Epiphanio, Chrysostomo, Macariis duobus, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Theodoreto, Cyrillo, aliisque magno numero; partim in Monachis, qui bona in usum pauperum erogarunt, aut se Severiori pietati sincere dederunt. Ostenderunt hoc fervens Religionis studium, 1*mo* in Doctrina illustranda, Erroribus refutandis, et Haereticis expellendis; 2*do* in externis Religionis officiis dextre obeundis; 3*tio* in quibusvis Malis fidei causa subeundis; 4*to* in duriore abstinentia et abnegatione exercenda; ut Ascetae et Monachi fecerunt. Dein Sec. VI et VII licet hujus quoque studii dederint indicia, fuerunt tamen hac parte remissiores; donec Sec. VIII et IX novum aliquem vigorem censeantur resumsisse, sive in studiis collapsis restituendis, ut fecerunt Beda, Alcuinus, aliique multi in Occidente, Carolo M. rem promovente; et in Oriente Johannes Damascenus Sec. VIII. Bardes sub Michaële, et Photius Sec. IX., in Anglia Alfredus Rex. Sive Euangelio per Anglo Saxones, Germanos ac Populos Septentrionales, propagando incubuerint; sive in superstitioso imaginum Cultu eliminando in Oriente et Occidente toti fuerint:

sive

five tandem Ecclesiae reformandae sub Carolo operam dederint. Quae omnia suppono nota ex Hist. Eccl. Sed licet hoc studium Religionis viguerit in Ecclesia, illud tamen a puritate et simplicitate Christiana multum afuit, et fundamenta sunt jacta multiplicis superstitionis, et corruptionis Vitae ac Morum: (1) Cultus Sanctorum, Reliquiarum, Crucis ac Imaginum sensim magis crevit; nota quoque Haereseos iis est inusta, qui Ecclesiam ab ea superstitione purgare voluerunt, ut in Joviniano Sec. IV. et Vigilantio Sec. V. (2) Ambitio, odium, luxus et libidines, per lites, opum abundantiam, externum splendorem, aliaque media acquisiverunt vires. (3) Doctrinae quaedam ad dominium supremum in Ecclesia, et corruptionem morum, tendentes introductae sunt: ad quas refero, 1*mo* Throni Papalis fundationem super verbis Christi *tu es petra*, quod primus fecit Leo M. Sec. V. ejusque elevationem per possessiones terrenas, aliaque privilegia concessa a Pipino et Carolo M. quae prima fuerunt fundamenta supremi principatus Sedis Romanae. 2*do* Conjugiorum Clericis ineundorum interdictiones: quae cum tempore multiplicem libidinem inter eos pepererunt. Cujus initia sunt repetenda a Siricio Papa Sec. IV. 3*tio* Purgatorii opinionem invectam a Gregorio M. Sec. VI. Unde multiplex securitas carnalis nata est, et variorum vitiorum lerna. 4*to* Rituum Ecclesiae externorum nimiam virtutem ad salutem creditam, quae verae pietati et virtuti incidit nervos. Experta dein est Ecclesia Sec. IX tristissima harum doctrinarum effecta, quum tota corrupta fuerit, et praeter externam devotionis speciem parum sani et solidae pietatis fuerit in Ecclesia superstes. Cultus Religiosus erat totus fere superstitiosus, in Reliquiarum, Sanctorum et Imaginum cultu situs: ignorantia et tenebrae Ecclesiam obscurarunt; vitia luxus et libidinis, initio facto ab Aula Pontificia, grassata sunt per Ecclesiam; Papae praecipue fuerunt scelestissimi, duabus Scortis, Theodora et Marozia, pro libitu dominantibus; ita ut, si a Coenobiis discedas, vix aliquid bonae frugis alicubi inveniretur, Pii latitabant et gemebant, donec Sec. XII publice in-

ſurrexerint in Eccleſiam corruptam. Quae omnia nota ſunt ex Hiſt. Eccl., adeoque hic tetigiſſe ſufficit. Regnare incepit ergo hoc tempore homo peccati 2 Theſſ. II. et Eccleſiae facies tota corrupta: quare Periodum novam characterizarē recte ſtatuitur.

§. XCIX. Supereſt, ut de caſibus Politicis illuſtrioribus, in haec Secula incidentibus, agam. Inter illos, qui ad Civitatem et Societatem Politicam Imperii Rom. pertinent, nullus eſt, qui tota hac Periodo magis in oculos incurrit, quam invaſiones Gentium Barbararum, et vaſtationes per eas ubique terrarum factae. Unde orta eſt Orbis diſtractio in varia Regna: quae aliquamdiu durarunt, alia longius, alia brevius. Dabo hujus rei generalem aliquam notitiam, et Barbaros illos ordine recenſebo. Fuere

I. Vandali et Alani, qui Regnum fundarunt in Hiſpania et praecipue Africa; occuparunt Africam ao. 429. et per amplius 100 annos tenuerunt, donec Beliſarius ſub Juſtiniano, iis ſubactis, Africam recepit. In Gallia et Hiſpania jam ab initio Sec. V. aliquod tenuerunt dominium.

II. Suevi, qui Regnum aliquod in Hiſpania obtinuerunt, primo cum Vandalis; dein, his in Africam transfretatis, ſoli in Gallaecia et Luſitania, quod duravit ab ao. 409. ad a. 585. per ann. 177. quando deſtructum eſt a Leovigildo Rege Viſigothorum, ejuſque Regno acceſſit.

III. Viſigothi, qui duce Alarico, ab ao. 395. per Macedoniam et Theſſaliam progreſſi venerunt in Italiam ao. 400. ubi ingentes fecerunt vaſtationes; ipſam Romam ceperunt, et varie vaſtarunt ao. 409. Sub Athaulfo venerunt in Galliam, et Regnum fundarunt in Aquitania, Tholoſae ſede fixa, ab ao. 412. Poſtea Hiſpaniam invaſit Theodoricus, et partem Gallaeciae eripuit Suevis ao. 456. Sed ſub Alarico ingenti clade affecti ſunt a Clodoveo Francorum Rege, et Aquitania ac Gallia pulſi ao. 506. Quando tandem ſub Leovigildo, Suevorum Regno in Hiſpania deſtructo, ſubjecerunt Hiſpaniam ao. 585. donec ſub Roderico Rege illud Regnum ibi de-

ſtructum

ſtructum eſt a Saracenis ao. 711. ita tamen ut ſpecies Regni manſerit in ulteriore Hiſpania, ſcil. Legione, Aſturia, et Caſtella; ubi Pelagius Regnum condidit ao. 712. Ex cujus ruderibus ſolidum aliquod Regnum fundatum eſt, et longe dilatatum ſub 3*tio* Rege poſt Pelagium, Aldefonſo M., Saracenis ex tota Gallaecia expulſis ao. 753. Quo Seculo quoque conditum eſt Regnum Navarrae, ex Principatu, quem Garcias condiderat ao. 734. in Regnum mutato ſub Inigo ejus filio ao. 758.

§. C. IV. Alani, Gothica Gens, Ducibus Reſpendiale et Goare fratribus, cum ad Rhenum perveniſſent, partim ſe Vandalis junxere ſub Reſpendiale, partim Romanis ſub Goare. Hi ſedes prope Rhenum acceperunt ab Honorio ao. 412. et rura Valentia dein ſub Sambida, qui Goari ſucceſſit, ab Aëtio ao. 440. Sub Sangibano, Sambidae ſucceſſore, invaſit eos Attila; ſed qui in Campis Catalaunicis ao. 451. ab Aëtio atque Theodorico fuſus eſt. Sangibanus autem Aurelianenſem Civitatem quoque tenuit nomine Romanorum. Tandem Alanorum principatus, inter Rhodanum et Ligerin ſitus, finem accepit ao. 464. cum Rex eorum eſſet Beongor. Duravit ergo ab ao. 412. ad a. 464. per ann. 52.

V. Burgundiones, Gens Vandalica, qui ao. 407. cum reliquis Barbaris excitati irruperunt ſub Gundicaro in Galliam, et ſedes acceperunt prope Rhenum in Gallia Belgica ao. 412. Dein ingentibus cladibus affecti ſunt, 1*mo* ab Aëtio, dein ab Hunnis, circa a. 435. Quinque annos poſt accepta Sabaudia ſurrexerunt de novo, et Regnum dilatarunt, donec victi ſint a Clotario et Childeberto Regibus Francorum ao. 526. cum Regnum eorum eſt deſtructum.

§. CI. VI. Franci, ex aliquot Germaniae populis, inter quos eminebant Salii et Ripuarii, conſtantes; qui Romanum jugum excutientes Regiones cis et trans Rhenum tenuerunt ſub Pharamundo primo Rege, qui in Annalibus memoratur, ab ao. 418. Pomoeria extenderunt ſub Clodio 2*do* Rege, ut Childerico 4*to* Rege; maxime autem ſub Clodoveo, ſede Regni

Parisiis stabilita: quod ipsum Regnum Francorum est per omnia Secula huc usque satis celebre.

VII. Transeo ad Brittannos; cum illi in initio Seculi V. a Romanis desciviſſent, et aliquamdiu sub Regibus propriis fuiſſent, quorum primi fuerunt tres Tyranni, Marcus, Gratianus et Constantinus, sub Vortigerno a Pictis et Scotis infestati auxilium petierunt ab Anglis, qui incolebant Ducatum Slesvicensem, et a Saxonibus, qui regiones vicinas Oceano prope Albim inhabitabant, qui Anglo-Saxones ao. 449. venerunt in Brittanniam Ducibus Hengisto et Horso, et ipsam Brittanniam ab ao. 453. aggressi sunt sibi subjicere; quando varia ibi condita Regna, et bellum inter duas illas Gentes duravit ad a. usque 688.

§. CII. VIII. Italiam Romanis eripuit Odoacer Herulorum Rex, cum ultimus Romanorum Rex esset Augustulus, ab ao. 476. Tenuit ille ad a. 493. per ann. 17. cum victus, et Regno Italiae exutus est a Theodorico Ostrogothorum Rege; et sic hoc Regnum Ostrogothorum fundatum est in Italia, quod stetit fere ann. 60. cum a Justiniani Ducibus, 1*mum* Belisario, dein Narsete, sunt victi bello 18 annorum, quod incepit sub Theodado 3*tio* Rege, continuatum sub Vitige et Totila, finitum sub Theja, ao. 552. quo in bello Roma saepe capta est, et multum fame et peste passa. Sed brevi venit Italia in potestatem Langobardorum, qui sunt Gothi e Scandinavia, tum residentes in Pannonia: hi sub rege Alboino evocati a Narsete ao. 568. Italiam sibi coeperunt subjicere, Romanis solo Exarchatu Ravennatensi relicto: tenuere per ann. 206. quando sub ultimo Rege Desiderio victi et subjugati sunt a Carolo M. ao. 774.

IX. Hunni ex Pannonia, qui quo tempore Gothi sub Alarico invaserunt Graeciam, Orientem vastarunt ao. 395. Dein Gallias saepe afflixerunt ab ao. 383. usque ad a 451. maxime sub Attila, qui se flagellum Dei dixit, et vastationes multivarias per Thraciam, Galliam, Graeciam et Italiam, Roma quoque capta, circumtulerunt; mortuus est ao. 453. cum brevi

brevi concidit Hunnorum Regnum, Gepidis et Gothis eorum terras occupantibus: donec ao. 526. quo tempore Langobardi invadebant Pannoniam, Avares, Hunnorum pars, qui Longobardis auxilio fuerant, acceperunt ſedes in Pannonia, in praemium auxilii: ubi brevi facti ſunt potentiſſimi ſub Regibus, quos Chaganos vocabant, qui Romanos ſub Mauritio, Phoca et Heraclio, multum afflixerunt. Unde tandem natum Regnum Hungarorum, qui nomen cenſentur accepiſſe ab *Avaribus* aliisque Hunnis, q. d. Hun-Avari, unde Hungari.

§. CIII. X. Saraceni, cum a Sec. VI. in initio varias feciſſent irruptiones in totum Orientem, ita ut Procopius dicat, Romanos nunquam moleſtiorem hoſtem habuiſſe, tandem Sec. VII. exorto Muhammede, et in Muhammedanos converſi, longe lateque imperium extenderunt; ita ut Sec. VII. jam Syriam, Ægyptum, Africam, Cretam, partem Siciliae et totum Regnum Perſicum ſubjecerint; Conſtantinopoli quoque aliquamdiu obſeſſa: dein Sec. VIII. Hiſpaniam fere totam occuparunt, in ipſam Galliam penetrarunt; ſed profligati ſunt ab Eudone, Carolo Martello, et Carolo M. Tandem in Thraciam et alias Regiones Orientis fecerunt irruptiones, et intulerunt vaſtationes. Sec. IX. praeter varia bella in Gallia, Hiſpania, et cum Orientalibus, penetrarunt in ipſam Italiam, et per Inſulas Graeciae vagati ſunt.

XI. Seculo IX dein alii adhuc orti ſunt Populi, qui per Angliam, Galliam, aliaſque Regiones ingentes dederunt ſtrages, qui nomine Normannorum noti ſunt, et ab utraque Codani, ſeu Baltici ſinus, ora ſurrexerunt jam Sec. VII. et per totum fere Seculum IX. Angliam, Galliam et Italiam varie vaſtarunt: donec ao. 912. Rollo eorum Dux baptizatus eſt, et Normannia ipſis conceſſa; quando progreſſu temporis rapinas et vaſtationes omiſerunt.

Eodem vero Sec. X. Hungari varias ſuſceperunt Expeditiones, in Italiam, Bojoariam, Alemanniam, Thraciam Orientalem, et Regnum Orientale, inmenſas inducentes vaſtationes; donec ao. 958. ferociam deponere et Religionem Chriſtianam aſſumere coeperint.

XII. Denique Sec. XI. Turcae vel Turcomanni, ortu Schytae vel Sarmatae, Caucasum transgressi, irruperunt in Syriam, Persiam, Arabiam et Phoeniciam; Saracenis victis terras eorum subjecerunt: dein universam fere Asiam inferiorem occuparunt, sede fixa Iconii et Niceae.

§. CIV. Praeter has invasiones plura alia tremenda Dei Judicia fuerunt conspicua hac Periodo: de terribilibus omne genus judiciis plane singularibus sub Arcadio et Honorio per totum orbem vid. Philostorgius H. E. l. XI c. 7. ut Famis, Pestis, et terribilium Terrae motuum Constantinopoli sub Theodosio II. ao. 447. Sic et ingens terrae motus fuit Antiochiae et alibi, ao. 457. sub Leone I. et Constantinopoli, iterum sub Zenone, ao. 477. Seculo VI. Antiochiae sub Justino Thrace: quando et alia orbis fata fuerunt misera. Vid. Evagr. L. IV. C. 8. Sub Justiniano ao. 528. ut id. habet Cap. 35. Pestis quoque eodem Sec. VI. grassata est terribiliter per Orbem Romanum; quae per ann. LII. duravit: ut id. tradit ib. Hist. Cap. 29. Ne jam memorem, quod antea memoravi, eodem Seculo, durante bello inter Ostrogothos et Justinianum, Romam saepe esse misere afflictam fame et peste.

§. CV. Sequitur Prophetica tractatio: ubi primum locum tenet Apocal., et in ea Liber Sigillorum: cujus III Sigillum cum ad nostram Periodum pertineat, videamus, quid contineatur illo. Repraesentatur equus *niger*, et Sessor ejus bilancem tenens manu, qui de tritico, hordeo, oleo et vino pro jure et autoritate disponit; triticum et hordeum certo pretio vendens; et eos, qui oleum et vinum censebantur corrumpere, severe castigans. Licet enim vox e medio animantium prolata dixerit: *choenix tritici pro denario &c.* tamen facta Equitis iis verbis describi, clarum est vel ex ipsa statera, quam manu gestabat. Vox ergo illa e medio animantium prolata nihil aliud significat, ac tale quid ab Equite, Deo permittente, proferendum esse et agendum. Praeterea cum de oleo et vino tantum dicatur; *ne laeseris*, id ad triticum et hordeum quoque est extendendum; quemadmodum quod de tritici et hordei venditione

ditione habetur, referendum quoque ad oleum et vinum; licet pretium non definiatur. Stylus S. S. fert, membra, ad ſe referenda et ſecum conjungenda, ſaepe elegantiae cauſa disjungi. Ergo plena eſſet oratio: *triticum*, *hordeum*, *oleum et vinum nemo laeſerit*, *nemo pro libitu ſumat ſibique vindicet; ſed ad certam menſuram pro juſto aliquo pretio ſumat a me; choenicem e. gr. tritici pro denario*, *tres hordei pro denario &c.* Sic in *oleo* et *vino* quoque, quorum menſura et pretium brevitatis ergo non additur.

§. CVI. Emblema, ſic intellectum, huc redit,

A. Statum populi reſpectu annonae fore calamitoſum et afflictum: niger enim color expingere ſolet triſtem et calamitoſam conditionem: cum autem mox de annona agatur, ejus praecipue reſpectu hoc eſt intelligendum, licet ulterius queat extendi.

B. Triſtem eum Statum quoad annonam in eo fore ſitum, quod alimenta non eſſent promiſcui uſus, ſed eorum aliquod erigeretur Monopolium, in cujus poteſtate forent omnia illa vitae ſubſidia, ſeu ad vitae ſuſtentationem, ſeu ad ejus hilaritatem et ſplendorem; quod per *triticum &c.* ſignificari, facile intelligitur.

C. Erigendum eſſe aliquod Tribunal, ut e *bilance* in manu equitis patet; penes quod eſſet menſuram definire, et pretium ſtatuere, et curare, ne perdatur annona.

D. Occaſionem Tribunalis publice erigendi praebiturum eſſe, quod manus undiquaque inferrentur in annonam, unoquoque ſibi ſumente eam rapiendi poteſtatem, adeoque metum eſſe, ne omnis periret annona, et dira fames ingrueret. Quod tum ex ipſo Emblemate, tum e verbis, *ne laeſeris*, elucet.

E. Media, quae ad annonam conſervandam, ejuſque uſum concedendum, adhiberentur, fore tolerabiliora; tum quod denario venderetur choenix tritici, i. e. quantum alicui pro uno die ſufficit; quia choenix unius diei laboris pretio quoque acquiri poteſt, ut a Doctis eſt obſervatum; tum

 quod

quod laesio increpationibus et castigationibus passim praecaveretur.

§. CVII. Haec sunt, quae Emblemate continentur; quod in genere recte demonstravit Cl. Vitringa, qui etiam evicit, non de corporali, sed spirituali annona, seu doctrina fidei et morum, capiendum esse: quare hac disputatione supersedeo: tantum spiritualis intellectus lineas ex mea ducam hypothesi.

A. Annona expingit Bona in externa Ecclesiae communione acquirenda, majoris minorisve pretii, magis minusve necessaria, seu ad vitam acquirendam et sustentandam, seu ad exhilarandam et celebriorem reddendam.

B. Haec Bona forent, qui potestati suae subjicerent, eoque fini Tribunal aliquod erigerent Ecclesiasticum, cujus foret, ea dispensare, et modum definire, quo ad usum eorum, seu communionem Ecclesiae, admitterentur: quod Tribunal quoque curaret, ne annona illa spiritualis laederetur.

C. Modum eum in eo situm fore, quod ad certam mensuram et pro certo pretio venderetur, prout in Tribunali Synodali fuerit definitum: quod elegans Emblema est definitionum Synodicarum de credendis vel faciendis, tanquam conditionibus, quibus homines admitterentur ad communionem Ecclesiae et Bonorum spiritualium.

D. Increpatio, *ne laeseris*, pertinet ad Excommunicationem, aliasque castigationes, quibus absterrentur homines ab illis definitionibus laedendis.

§. CVIII. Haec si admittatur Hypothesis, difficile non erit, Characterem Periodi, ad quam hoc Sigillum referendum, hinc eruere: omnia enim in definitiones credendorum et faciendorum, tanquam unicam conditionem communionis Ecclesiae, ejusque Bonorum, a Synodis et Doctoribus publicis, tanquam Judicibus et Dominis fidei, faciendas exeunt. Quibuscum connexae sunt increpationes eorum, qui Canonibus Ecclesiasticis assurgere nolunt. Periodus ergo describitur, in qua per totam Ecclesiam nil magis ageretur, quam Fidem et Cul-

tium

tum Ecclesiae determinare, Canones condere, eorumque confessionem et observantiam severe exigere, nec sine ea aliquem admittere ad communionem Ecclesiae, Bona Ecclesiae sub ea tantum conditione dispensare, dissentientes severe increpare, excommunicare, et castigare; tamen sine Persecutionibus ad mortem. Haec quam accurate conveniant in Characterem Ecclesiae a Sec. IV ad XI. e supra dictis, et ipsa historia, manifestum est. Quare plura non addo, nisi tantum, Equitem hunc collective sumendum esse, et plures tales repraesentare, qui Monopolium Veritatis erigerent, et suae Ecclesiae communionem ea ratione venderent: praeterea, fore lites et dissensiones multas, cum quisque increparet eos, qui censerentur laedere velle annonam, aut confessionibus et Canonibus suis nocere. Quae lites et ex eo elucent, quod occasionem vendendi annonam praebuerint promiscui impetus in eam; unde metus caritatis ejus.

§. CIX. Veniamus nunc ad Epist. IV Apocal. ad Ecclesiam Thyatirae, Cap. II: 18 *seqq.* et videamus, quem Characterem Ecclesiae respectu Morum et Cultus ducat, et ex ea Periodum Ecclesiae eorum respectu eruamus. Tria occurrunt in ea, quae huic scopo nostro inserviunt.

A. Quod laudantur in ea Ecclesia opera nonnulla, sc. *Charitatis*, i. e. studii Religionis, ut ex *Ima Epistola* patet; et *ministerii*, sc. in egenis sublevandis; et *Patientiae*, tum in re Religionis urgenda, tum in laboribus subeundis; et posteriora opera dicuntur praecedentibus esse majora.

B. Quod Jezabelem sineret haec Ecclesia docere, et credentes seducere ad scortationem et Idolothyta; i. e. superstitionem et luxum haec Ecclesia sineret vires acquirere, et variis modis opem ferret, vel causam praeberet aut occasionem vitiis illis propagandis.

C. Quod cum aliquo tempore in eo opere sine spe Resipiscentiae fuisset Jezabel, Deus illam, et cum illa Ecclesiam, varie castigaverit, et faceret id adhuc in posterum: Vid. Cl. Vitringa.

§. CX. Haec si attendantur, sponte ducimur ad Periodum Ecclesiae, quae a Sec. IV se extendit ad IX. in quam haec quadrant.

A. Viguerunt tum passim opera illa laudabilia, et cum aliquam Eclipsin passa esset Ecclesia Sec. VI et VII, ardor ille resumtus est Sec. VIII et IX in initio; ut ultima dici possint prioribus fuisse meliora. Quae omnia e dictis supra clara sunt.

B. Nec minus verum, superstitionem et luxum irrepsisse in Ecclesiam, conniventibus multis, qui profunda Satanae ignorabant: de quibus in Commentatione Historica. Jezabel in Ecclesia docens vel in genere notat earum doctrinarum et morum inductionem in Ecclesiam, et propagationem; cum allusione tantum ad Jezabelem; vel Doctores aliquos earum doctrinarum exprimit, quales fuerunt hoc tempore plures: vel in specie Papas Romanos tanquam praecipuos fautores superstitionis et corruptionis; qui eo majore jure illo veniunt nomine, quatenus progressu temporis se in fidelibus occidendis, sicut Jezabel respectu prophetarum Jehovae fecit, et superstitione elata manu tuenda, tales se demonstraverint summa emphasi.

C. Quae de Castigatione habentur, et in praesente, et in futuro, ea pertinent ad Barbarorum invasiones in terras Christianorum, quae post VIII Sec. de novo maxime inceperunt, et vastationes longe lateque circumtulerunt; et adhuc Sec. IX, X, XI. continuarunt: de quibus supra quoque egi.

§. CXI. Succedat Epist. V. Apocal. quae est ad Ecclesiam Sardicensem, Cap. III: 1 *seqq.* In qua depingitur Ecclesia, ut nomine tenus viva, sed re ipsa mortua, nonnullis languentibus, et a morte non longe remotis, paucis tantum sanis et latitantibus. Qui Characteres ex nostra opinione optime quadrant in Ecclesiam Seculi IX, X et XI. quando per Carolum M. reformata Ecclesia praeferebat in initio spem rei in melius mutandae, et species Vitae conspicua fuit in devotione

et

et Ritibus Religionis; et in Propagatione Euangelii per Gentes, quae Sec. X. obtinuit non ſpernenda; quando Papae quoque Sec. XI. jura Eccleſiae ſtrenue coeperunt vindicare: ſed vera Pietas plane erat extincta; ſuperſtitio et carnalitas per totum dominabatur Eccleſiae corpus: nonnulli cum devotione illa veram pietatem adhuc aliquo modo conjungebant, ut hic illic in Coenobiis; ſed pauci erant a ſuperſtitione et corruptione puri. Unde orti ſunt Waldenſium, et Albigenſium, coetus Sec. XII. Quae cum ex Hiſt. Eccl. nota ſunt, et in noſtris inſtitutionibus fuſius deducuntur, verbo tetigiſſe ſufficit. Cl. Vitringa Epiſtolam hanc refert ad Eccleſiam, quae a Sec. XII ſeſe extendit ad Reformationem. Sed obſtat, quod pauci illi, qui veſtes ſuas non taminarunt, hic occurrant ut occulti, et Eccleſiae adhuc membra; cum nulla fiat mentio aut ſeparationis ab ea, aut Perſecutionis, aut conatuum, quos pauci illi feciſſent ad Eccleſiam reformandam; quae omnia tamen Waldenſium et ſimilium ſunt criteria. Contra cum haec ipſa Eccleſia dicatur habere pauca nomina, innuitur, eos paucos adhuc fuiſſe cum illa Eccleſia junctos. Et in Epiſt. *ſeq.* mentio demum ſit conatuum piorum ad Eccleſiam reformandam. Et quae de Judiciis Domini ſuperventuris, ni reſipiſcant, habentur, recte referuntur ad Plagas, quae a Sec. XII. infligi coeperunt Eccleſiae Papali; de quibus ſuo loco. De illis Judiciis hic ut futuris agitur, quum non demonſtraverint Reſipiſcentiam.

§. CXII. Superſunt *Tubicinia:* perveni ad IIdum, quo repraeſentatur Mons magnus ignivomus, vel totus igneus, qui loco motus conjicitur in Mare, cum eo effectu, ut Mare ſit verſum in ſanguinem, belluae marinae occiſae, et naves deſtructae ad partem tertiam, ipſo dein monte ſic quoque abſorpto; quod quidem non additur expreſſe, ſed ex Emblemate colligitur. Pertinere id Emblema ad populos vaſtatores, qui ſedibus ſuis excitati ſe in Rom. Imperium effuderunt, eaſque clades ei intulerunt, donec et ipſi ſint extincti vel Mari comprehenſi, demonſtraverunt Launaeus et Vitringa: Sed qui in eo diſſentiunt, quod Cl. Vitringa reſtringat ad

Gothos, qui post med. Sec. III. se sub Gallo, Valeriano et Claudio, effuderunt in Imperium Rom., et a Claudio devicti vel absorpti sunt. Launaeus implementum quaerit in Visigothis, Vandalis, Ostrogothis, Gepidis &c. qui a Sec. V. se movere coeperunt. Uterque hypothesi litans ita instituit. Verum cum Gothorum irruptiones Sec. III. praeludia fuerint multiplicium invasionum Sec. V. et *seqq.* et illae invasiones characterem illorum Seculorum respectu Judiciorum Dei in Christianorum Societates constituerint; mihi vix dubium est, quin irruptiones Sec. V. et *seqq.* directe intendantur. Prima non excluditur; sed praeludii tantum conspectum habet. Tubicinia pertinent ad Societates Politicas, in quibus est Ecclesia: adeoque ab eo tempore praecipue inceperunt, cum Romanum Imperium factum est Christianum; illa scil. Tubicinia, quae ad Rom. Imperium Ecclesiae Christianae pertinent, quorum *Imum* est nostrum; praecedens enim pertinet ad Ecclesiam Judaicam, ut partem Imperii Romani. Accedit, talia intelligi Judicia, quae Periodum aliquam characterizant, et sic per totam Periodum durant; quod obtinuit in invasionibus Barbarorum inde a Sec. V. Et tales invasiones in censum veniunt, quae sedes retinuerunt in Orbe Romano, donec absorptae, aut cum eo commutatae aut permixtae sint; seu per conversiones Populorum illorum aut confoederationes cum Rom. Imperio; seu per destructionem illorum. Quae quam accurate in memoratas invasiones conveniant, facile in oculos incurrit; si ea quae in Commentatione Hist. dixi, attendantur. Sed ne quis hic offendat, observandum, Montem hic collective sumi, et plures Populos, qui quasi agmine facto undiquaque irruperunt, complecti: ut fit saepe in Symbolis et Emblematibus. Nos ergo omnes eos Barbaros, qui Sec. V et VI. praecipue in Orbem Rom. invaserunt, intelligimus: ita tamen, ut sequentes non excludamus. Sed, quia a Sec. VII coepit aliud Judicium Characteristicum, et Sec. V et VI. Populi quasi agmine facto irruperunt, eaque Secula hac parte characterizarunt, in iis praecipue pedem figimus. Reliqua quae ad intellectum Tubicinii pertinent, Autores citt. suppeditant. §. CXIII. Pergo

§. CXIII. Pergo ad Tubicinium. III. Apoc. VIII: 10, 11. quo in scenam producitur Meteorum facis ardentis, a similitudine *stella ardens* dictum, e supremo aëre in terram delapsa, et longe lateque dispersa, fluvios et fontes per tertiam terrae partem adeo venenato amarore inficiens, ut multi homines inde coacti bibere occisi sint. Videamus, antequam de Emblematis applicatione dicam, quo illud nos ducat; et quae sint principia, secundum quae applicatio instituenda est. (1) Stella est Princeps, vel Doctor, vel potius uterque: quod ab aliis jam observatum. (2) Stella e coelo lapsa non qualiscunque Doctor et Princeps est; sed qui divinam praetendit originem, qui creditus est venisse de coelo. (3) Lapsa e Coelo dicitur, quatenus subito venit, et vehemente cum impetu. (4) Stella lapsa instar facis ardentis depingit Doctorem, qui qua Propheta et Princeps divinus se famosissimum non tantum redderet; sed et qui accenderet terribiles motus, et immensum excitaret terrorem. (5) Lapsus in fluvios et fontes expingit invasionem in terras, in quibus est vera Ecclesia; sive sint Ecclesiae vulgares, sive Matres Ecclesiarum, quales sedes Episcopales, quae comparantur recte cum *fontibus* aquarum: aquae sunt Christiani, seu Populi veram doctrinam professi, seu ipsae Ecclesiae. (6) Infectio aquarum venenato amarore per hunc lapsum denotat, lapsum Stellae effecisse, ut tum immensa hominum strages extiterit, ut cum aquas bibunt venenatas; tum Ecclesiae fuerint pestifera inbutae doctrina, quae multis necem attulit.

§. CXIV. Haec si attendantur, ducimur ad *Muhammedem;* (a) in quem omnia illa criteria quam accuratissime conveniunt, et unice. Ipse se jactavit Doctorem summum et coelitus missum, et gessit simul Principem; et utroque conspectu comprobavit se hominibus: ipse subito et magno impetu se effudit in *tertiam* partem terrae, brevi tempore Ægyptum, Africam, et utramque Asiam occupans: Ecclesias per omnia ea loca invasit, suasque pestiferas doctrinas stabilivit, multos infecit,

(a) Vidi deinceps idem in mentem venisse Matt. Cotterio ad Apoc. qui cum dictis conferri poterit.

fecit, plures occidit. Nec tantum vulgares Ecclesias aut fluvios, sed et Episcopales, fontes aquarum, corrupit et vastavit. Haec Hypothesis sicut Emblemati satisfacit, ut e dictis liquet, sic et eo se commendat

A. Quod Judiciis Dei, quibus imperium Rom., tanquam Societas Politica Ecclesiae, afflictum est, merito accenseatur.

B. Tempori accurate conveniat: cum Sec. VII. ortus sit Muhammed, invasionibus Barbarorum fere finitis.

C. Non sit alius Casus eo tempore notabilior, qui Periodum hac parte characterizat.

§. CXV. Accedit, aliud subjectum demonstrari non posse, cui Emblema rectius conveniat. Launaeus cogitat de Papis, in specie Gregorio M. quod refutat Cl. Vitringa, qui explicat de Ario et Haereticis Sec. IV et V. Cui multa obstant quoque: inter alia.

א. Quod Arius et Haeretici non possunt dici Stellae lapsae e coelo, cum se pro divinis non venditaverint. Hic autem de Coelo Ecclesiae et Excommunicatione cogitare, nimis dilutum est.

ב Arius et similes Haeretici pro caussis haberi nequeunt sive doctrinae corruptae, sive motuum; quod eadem manserit Religionis confessio in Ecclesia; et quod Catholici quoque culpandi sunt respectu motuum.

ג. Casus ille Haereticorum pertinet ad Fata Ecclesiae, qua talis; cum Tubicinia ad Judicia Dei in Societates Civiles pertineant.

§. CXVI. Nunc consulendae forent V. T. Prophetiae, et inquirendum, num aliquid habeant ad Periodum hanc referendum? Sed paucis absolvere potero. *Primo* sub manus veniunt, prophetiae, quae de Regibus vel destruendis vel convertendis agunt, ut Ps. II. CX. Jes. XLIX. LXII. et quae sunt similes. Verum licet sensum Propheticum ad Regnum Christi sub N. T. pertinentem non negem, nec et, quo minus speciale implementum

tum hoc tempore censeatur fuisse, intercesserim: Vaticinia tamen illa in specie ad Periodum hanc directe referenda esse, non puto. Cujus rei duas nunc sufficit producere rationes: *altera* est, quod de hostium Ecclesiae destructione in genere et absolute loquantur Prophetiae: *altera* est, quod Regum subjectio et conversio etiam sine restrictione, et cum Gentium conversione per totum Orbem et glorioso statu Ecclesiae conjuncta, occurrat in illis; quae in hanc Periodum non conveniunt: et nullum in illis Prophetiis se offert criterium, quo implementum ad hanc Periodum restringatur; sine quo temere eo refertur; cum postea et longe illustriori modo contigerint, et contingent. Prophetiae V. T. hac parte in genere loquuntur, et ita magnifice de hostium subjugatione, Gentium conversione, et Regum, ut implementum adhuc exspectandum sit: de quo supra egi. De duobus adhuc Psalmis esset agendum, scil. XXIV. et LXVIII. de quibus idem fertur judicium; sed, cum de iis egerim in Comment., non necesse est, ut moras hic traham.

§. CXVII. Restat, ut Harmoniam Fatorum V. et N. T. pertexam. In qua pertractanda perduxi Israelitas trans Jordanem in Cananaeam, et Christianos per Diocletianeam Persecutionem, Duce Constantino M., in haereditatem Mundi et possessionem Romani Imperii. Quae duo sibi respondent. Persequamur nunc utriusque Populi collationem, sed extantiorum tantum fatorum respectu, levioribus et specialioribus missis.

A. Cum portam possessionis Cananaeae aperuerit Hierichuntis expugnatio, idemque fecerit Romae occupatio per Constantinum M. deleto Maxentio, ejusque exercitu; haec duo secum merito comparantur; idque majore jure, quod urbs Jericho Emblema gerat Romae in Apocal., secundum nonnullos utique interpretes.

B. Tenendum, quod reliqua terrae occupatio et subjugatio respondeat Gentilismi destructioni in Orbe Rom. per Constantinum, et Successores; ut et Maximini, Licinii, Juliani et aliorum, qui Gentilismo manus praebere conati sunt.

C. Sicut multi inter Judaeos relicti sunt Cananaei, ita Pagani inter Christianos.

D. Gibeonitae aliique, qui se Israelitis junxerunt, eos e Gentilibus expingunt, qui Christianae Ecclesiae sunt additi.

E. Divisio Terrae inter Tribus in mentem revocare potest Ecclesiae Christianae divisionem in Episcopatus et Metropolitanas Sedes, seu in Dioeceses per Rom. Imperium.

F. Corruptio Israelitarum et conformatio ad mores Cananaeorum se transferri patitur ad vitia et Superstitionem Christianorum, cum primas tenebant in Orbe, et terram tranquille possidebant.

G. Bellum intestinum inter Benjaminitas et Tribus reliquas repraesentare potest pugnas Christianorum inter se, cum Haereticos oppugnare, et de Primatu certare coeperunt.

H. Populorum vicinorum continuae invasiones sub Judicibus, quae speciem praeferebant Judicii divini, apte expingunt Barbarorum irruptiones in Rom. Imperium: in specie Philistaei, qui prae aliis grassati sunt, possunt esse Saraceni et alii.

I. Reformatio Israelis, et Populorum vicinorum subjugatio per Davidem, nos ducit ad Caroli M. tempora, quibus simile quid contigit Christianis.

K. Divisio Israëlis in Judaeos et Israelitas post mortem Salomonis, et utriusque Populi prolapsus ad Idololatriam et corruptionem, repraesentat Ecclesiae Christianae divisionem in duas Societates separatas et oppositas, Graecam et Latinam; quae divisio post Caroli et Ludovici tempora Seculo IX praecipue coepit, et sine ulla vera unione semper continuavit. Sed utraque Ecclesia in eandem Idololatriam et corruptionem incidit; atque varia Judicia Dei ad emendationem experta est. Israëlitae expingunt Orientalem, et Judaei Occidentalem Ecclesiam; uti ex utriusque Fatis colligitur: de quo post suo loco agemus. Interea conferatur Cl. Vitringa ad Jes. Cap. XXX. et in Prolegom. ad Zach. Nobis dicta sufficiunt.

PERIODUS



PERIODUS QUARTA,

a Sec. XII usque ad Reformationem Sec. XVI.

§. CXVIII. CAsum Ecclesiae, secundum externam faciem consideratae, characteristicum per omnia haec Secula in Bello Papali pono, a Papis, ut summis Civitatis et Ecclesiae Dominis, publice gesto cum Imperatoribus vel Regibus, et sic dictis Haereticis, ac infidelibus: idque Fidei suae ac Religionis, seu defendendae et tuendae, seu propagandae, ergo: vel eo sub praetextu, omnipotentiae Papalis, ut loqui amant, fundandae et vindicandae ergo. Gestum vero hoc Bellum est per fulmina Excommunicationum et Anathematum, per depositiones Regum, et solutiones subditorum a vinculo fidelitatis, Persecutiones ac vivicomburia, et per Exercitus Cruciatorum. Qui casus ut in clariore luce collocetur,

A. Cognoscendae sunt *Personae belligerantes:* quae sunt ab *altera* parte Imperatores et Reges, ut et Haeretici, ac denique infideles; ab *altera* Papae Romani, tanquam qui se extollebant supra quicquid augustum aut Sanctum erat in Civitate ac Ecclesia. Imperatores vel Reges fuerunt Henricus IV et V, Fredericus Barbarossa, Philippus Suevus Henrici VI frater, Fredericus II, Philippus Pulcher Galliae Rex, Henricus VII imperator, et Ludovicus Bavarus: Haeretici praecipui Waldenses, Albigenses, Wiclefitae et Hussitae; Infideles Turcae, Palaestinam et Hierosolymam tenentes. Ab altera parte Papae fuerunt, tanquam supremum dominium in Ecclesiasticis, et eo quoque nomine in Politicis, sibi arrogantes, et reapse quoque exercentes, quatenus sibi statuerunt, tanquam Vicariis Christi et Capitibus Ecclesiae, competere, *1mo*,

Reges, si mereantur, deponere, et subditos vinculo fidelitatis solvere; 2*do* coronam Imperialem conferre; 3*tio* de credendis et faciendis pro autoritate disponere; 4*to* de Personis, quae errarunt vel peccarunt, judicium ferre, iisque peccata remittere vel imputare; 5*to* de personarum illarum Munere, Bonis, libertate et Vita, prout meruerunt, disponere; 6*to* omnem subjectionem, quae obligat conscientiam, omnes honores et adorationem exigere et admittere. Hujus animi coeperunt esse Papae a temporibus Gregorii VII, Sec. XI, qui primus hanc potentiam et autoritatem publice jactavit et exercuit. Hae sunt Personae belligerantes.

§. CXIX. B. *Causa* Belli in genere fuit Fidei et Religionis Papalis defensio et propagatio: *prior* bellum peperit cum Principibus et Haereticis, *posterior* cum Turcis. Concitarunt contra se Principes, quod investituras illis eriperent, et de coronis illorum ausi sint disponere: Haereticos oppugnarunt, quod a fide eorum discederent, et Religioni eorum, Ritibus et Potentiae, se opponerent: Infidelibus bellum intulerunt, ut illis Terram S. seu Palaestinam eriperent, sibique subjicerent.

§. CXX. C. Ad *Modum*, quo bellum gestum est, pertinent:

א. *Ministri* Papae et Exercitus ejus, illi fuerunt varii ordines Militares et Monachales, praecipue Dominicani et Franciscani: Exercitus fuerunt Cruciati Milites, qui Sec. XI in fine coeperunt conscribi contra Infideles, sed dein collecti quoque contra Haereticos. Huc quoque referendi Ministri inquisitionis.

ב. *Arma* Papalia fuerunt Excommunicationes, Anathemata, depositiones Regum et Clericorum, Inquisitiones, Carceres, Tormenta, confiscationes bonorum, Bella ac quaevis Supplicia capitalia.

ג. *Effecta*, quae facile se offerunt, fuerunt quaevis Mala hujus, et futurae Vitae quoque ex opinione eorum; sed hujus Vitae Mala omne genus, contemtus, infamia, commercii Civilis privatio, paupertas, fames, exilia,

car-

carceres, tormenta, mortes, vaſtationes terrarum et populorum, et quae ſunt ſimilia.

§. CXXI. Hunc caſum, cujus nunc dedi conſpectum tantum generalem, cum in Inſtitutionibus Hiſt. Eccleſ. prolixius ea omnia tractavi, appello characteriſticum Eccleſiae per omnia illa Secula, quia omnia habet ejuſmodi Caſus characteriſtici Criteria, quae nunc in lucem proferam;

A. Primum Criterium Caſus characteriſtici eſt quod ſit *Continuus* et perpetuus, per omnia illa Secula, licet nunc hic, nunc illic Bellum magis obtinuerit: incepit hic Caſus cum initio Periodi et per totam Periodum duravit; dein haud diu poſt ceſſavit, et minus fuit conſpicuus. Sec. XI. ut hujus rei brevem dem intellectum, verſus finem erupit Bellum Papale ſub Gregorio VII cum Henrico IV, et dein Bellum cum Turcis ſub Urbano II: Sec. XII idem bellum continuavit, cum Henrico V ſub Paſchali II et Calliſto II, cum Frederico Barbaroſſa ſub Alexandro III, ejuſque deceſſore Hadriano IV; et cum Turcis: quando cum Waldenſibus quoque coepit et Albigenſibus. Seculo XIII Bellum fuit cum Philippo Suevo ſub Innocentio IV, et cum Frederico II ſub Gregorio IX: Quo Seculo Expeditiones Cruciatorum ordine fuerunt IVta, Vta, VIta ac VIIma: viguerunt quoque tum praecipue aperta Bella cum Waldenſibus, Inquiſitiones et Supplicia Haereticorum. Sec. XIV fuerunt tres graviores colliſiones cum Principibus, ſcil. inter Philippum Pulchrum et Bonifacium VIII, Henricum VII et Clementem V, Ludovicum Bavarum et tres Papas, Johannem, XVII, Benedictum XII et Clementem VI: Et illuſtre, dicam an infame, fuit hoc Seculum per continuas Perſecutiones Haereticorum, ut, de Arnoldo Villanovano dicam, Lollardorum, Turlupinorum et Wiclefitarum: acceſſit excidium Templariorum. Sec. XV Inquiſitio ſaeviit in Delphinatu in Waldenſes; in Flandria et Arteſia in eos, qui Magiae accuſabantur; in Gallia in Picardos et Waldenſium Reliquias; in Italia in Hieron. Savanorolam; in Germania in Joh. Huſſum et Hieronymum Pragenſem; in Bohemia Bellum Huſſiticum graſſatum

eſt; hinc ortum quoque in Bohemos Fratres. Seculo XVI. quantopere graſſata ſit Sedes Romana per Inquiſitiones et Perſecutiones, cum Reformatio ſe oſtentare incepit, quanta peperit Mala ac Bella, nemini non conſtat: verum eo ipſo Seculo adeo fractae ſunt vires Papales, ut bellum vix cum ſucceſſu gerere potuerint, et Papae brevi ab eo debuerint deſiſtere; cum Periodus alia exorta eſt.

§. CXXII. B. Secundum criterium eſt, quod hic caſus fuerit *univerſalis* per totam Eccleſiam Latinam, et ex parte per Graecam; quae per Expeditiones Cruciatorum varie colliſa eſt, ita ut Regnum in ipſa Metropoli Conſtantinopoli fundaverint Cruciati. Verum quidem eſt, Characterem Eccleſiae Graecae in hoc Caſu proprie non poſſe conſtitui: ſed id nobis non obeſt; tum quod ſufficiat, ſi per maximam Eccleſiae partem fuerit dominans; tum non alius in Eccleſia Graeca et Latina fuerit Caſus, qui ullo modo cum hoc comparari potuit.

C. Tertium eſt, quod hic Caſus ſupra reliquos omnes eminuerit; ita ut nullus alius ſit, qui ullo modo cum eo in cenſum venire poſſit.

D. Accedit, illum adeo in oculos incurriſſe, ut communi fama fere conſtiterit, Antichriſtum vel Praecurſorem ejus eſſe ante fores, vel jam dominari in Eeclefia: ut in Hiſt. Eccl. demonſtrare ſoleo: etiam in *oratione*, huic tractatui ſubjuncta, ex parte feci.

E. Denique notari velim, hunc Caſum produxiſſe alios illuſtres cum illo connexos, quo ipſo celebrior adhuc redditur. Fidei enim Papalis defenſio produxit Ordines famoſiſſimos Dominicanorum et Franciſcanorum, ac tribunal Inquiſitionis. Bellum cum Turcis quot non peperit S. Ordines Militares? Quae et ſimilia hunc Caſum et magis illuſtrem et conſpicuum reddunt.

§. CXXIII. Supereſt, ut memoremus nonnullos alios Caſus illuſtriores hujus Periodi, ut eo clarius conſtet, Caſum, cujus memini, pro Characteriſtico eſſe habendum. Praeter hunc enim

enim casum alii nonnulli merentur memorari: 1 Lites variae et Disputationes in Ecclesia ortae, tum inter Scholasticos, tum inter Dominicanos et Franciscanos, tum cum sic dictis Haereticis. 2. Varii Ordines Sacri, seu Monachales seu Militares, hac Periodo nati. 3. Schisma famosum Papale Sec. XIV et XV. 4. Conversiones Populorum, quae Sec. XII fuerunt Pomeranorum, Livonum, Norvegorum et Finlandorum, XIIItio Borussorum et Tartarorum, sed horum posteriorum minus durabilis. 5. Ecclesiae imminutio per Imperii Graecorum destructionem Sec. XV. Hi et similes Casus licet fuerint notabiles, alius magis, alius minus, nullus tamen est, qui aut cum Bello Papali comparari, aut Characterem Ecclesiae constituere potest: quod ut ulterius exsequar, necesse non est.

§. CXXIV. Veniamus nunc ad Statum Ecclesiae *Moralem*, ejusque Casum characteristicum. Qua facie si Ecclesia consideretur, nil magis in ea se offert conspicuum, quam ardentissimum studium, magis minusve purum, majore minoreve cum successu, Ecclesiam, omni parte corruptissimam, reformandi, eamque tum a vitiis et superstitione, tum a dominio Papali liberandi. Quod studium, sed minus purum et sine magno successu, demonstrarunt *primo* Imperatores et Principes, se Paparum dominio opponentes; *secundo* Synodi, quae Sec. XV illum praecipue in finem coactae sunt, ut Ecclesia in Capite et Membris reformaretur; *tertio* Viri singulares, qui et declamarunt in Vitia sui temporis, quorum Catalogus in Hist. Eccl. contexitur, et studia S. Scripturae ac humaniora e tenebris revocarunt. Sed longe purius, et majore cum successu, studium hoc demonstrarunt Waldenses, Albigenses, Wiclefitae, Hussitae, et Bohemi per totam hanc Periodum, qui se separarunt ab Ecclesia corrupta, eamque in Doctrina aeque ac in Moribus reformare conati sunt; de quo satis constat. Quare varia certamina non recusarunt subire. Hoc studio, praesertim in Waldensibus et similibus, nihil fuit in Ecclesia illustrius, nihil quod eam hac parte magis characterizare potest.

§. CXXV. A. Est illud huic Periodo quid proprium, antea

tea non visum, nec post adeo conspicuum. Usque ad Sec. XI Superstitio sensim vires acquisivit, et ad summum tetendit fastigium, uti corruptio quoque fecit: donec summum gradum utraque sit consecuta: sed a Sec. XII imprimis ea oppugnari coepit per Politicos et Ecclesiasticos aliquos Viros, etiam Coetus integros saepe, qui se a communione Ecclesiae corruptae coeperunt separare. Unde ortum est multiplex id Bellum Papale ad Religionem stabilitam defendendam et propagandam. Duravit quidem Superstitio et corruptio sub hac ipsa Periodo, sed characterem ejus constituere nequit, quod insignius fuit studium Eccles. purgandi, quod longe lateque propagatum est, ante non visum ea ratione. Durarunt haec conamina usque ad Synodum Tridentinam, quae partim ora Membrorum Ecclesiae Papisticae clausit, partim Protestantium separationem fecit perfectam; adeoque, cum spes Ecclesiae reformandae decolasset, ab hoc opere cessatum est; ita ut singulae Ecclesiae proprium suum statum defendere, et res suas agere contentae fuerint; manifestum ergo est, hoc studium recte statui huic Periodo proprium.

§. CXXVI. B. Continuus fuit per totam Periodum conatus, nec unquam cessavit; licet majore minoreve gradu se exeruerit.

C. Nil magis in Ecclesia conspicuum fuit ac singulare, nil quod in omnium oculos magis incurrit.

D. Accedit, inter utrumque Characterem dominantem et externae Ecclesiae faciei et status Moralis, quem supra consignavi, esse arctissimum nexum, qui alterum sine altero esse non sinit. Bellum enim Papale eo tendebat, ut huic studio obex poneretur, et status Ecclesiae superstitiosae et corruptae aperta vi defenderetur et confirmaretur: adeo ut superior Character dominans, in Bello Papali situs, hunc pro hypothesi habeat, et de eo testetur.

§. CXXVII. Subjungam jam nonnullos Casus *Politicos.* Eminent inter eos, *imo* terribiles Christianorum divisiones, contentiones, et pugnae secum invicem: ut inter Pontificiae

Sectae

Sectae, et Imperatorum ac Principum partis homines, Guelfos et Gibellinos; qui horribilem confusionem in orbe Rom. produxerunt, et per omnia fere hujus Periodi Secula durarunt. 2*do* Regni Turcarum ortus, et per totum Orientem propagatio. 3*tio* Expeditiones Cruciatorum, quae sicut ad Religionem, ita et Politicam spectarunt Civitatem. 4*to* Regni Christianorum in Oriente interitus per Turcas Sec. XV postquam Eclipsin esset passum per Latinos, qui Constantinopolin occuparunt, ibique aliquamdiu regnarunt. 5*to* Inter Casus Judiciales inprimis commemorandum est Judicium terribilis Pestis, quae in China incepit; et per Asiam, Europam ac Africam pervagata est; quaeque *quinque* Menses praecipuis in locis saeviit; qualem Pestem Orbis non vidit nec ante, nec post huc usque. Vid. Mezeraeus, sed fusius explicavit Dequignes' Prof. LL. OO. Paris. in accuratissima Historia Hunnorum T. IV. L. XXI. ad a. 1347. quo tempore maxime saeviit.

§. CXXVIII. Sequitur Prophetica tractatio: ubi primo Liber *Sigillorum* inspiciendus est, cujus IVtum Sigillum in Scenam produxit equum pallidum, cui Mors insidebat, post se habens infernum; seu vastam aliquam et tetram voraginem terrae, quae mortuos recipiebat. Huic Equiti potestas est data, quartam terrae partem occidendi gladio, fame et peste, (eam enim vox θάνατος ibi designat) ac per feras terrae. Quod Emblema expingit terribilem et tyrannicum aliquem Dominum, qui, potestate vitae et necis sibi pro arbitrio exercenda arrogata, efficeret, ut per tertiam Terrae partem grassarentur mille Mortes, hominesque gladio, fame, peste, et per feras bestias absumerentur. Ad ejus intellectum sufficere possunt, quae Cl. Vitringa attulit. Addo tantum, non male *gladium* quoque referri ad Suplicia capitalia a Magistratu infligenda; *feras* ad Populos Barbaros; *famem* et *pestem* ad vastationes, ad privationes Bonorum, ad incarcerationes et earum Mala, ad exclusiones ab omni hominum consortio, instar Pestium Terrae. Quaeritur jam, quo pertineat Emblema? Cl. Vitringa, qui recte refutat eos, qui de Morte spirituali per Antichristum inducenda

 cogitant,

cogitant, oculos vertit ad Saracenorum et Turcarum, terribilium illarum Gentium, vastationes: in quas Emblema quidem non male quadrat: verum

A. Nulla Ratio est, si eo tendat Emblema, illud restringendi ad Saracenos et Turcas, praeter hypothesin de ordine Periodorum: quae sicut varie possunt constitui, sic id solum non sufficit sensui Prophetico definiendo.

B. Id magis obstat, quod a Sigillorum conspectu illa ratione discederetur: cum enim Sigilla exhibeant Fata Ecclesiae, seu Characteres Periodorum Ecclesiae; Saraceni hic locum non inveniunt; multo minus ut vastatores Orbis. Saraceni enim Ecclesiam neutiquam characterizant, ad eam non pertinentes; quare inter Tubiciniorum Emblemata, non vero inter Sigillorum, locum habere debent.

C. Ordo Periodorum nos ducit non ad Sec. VII, quo grassari coepit Muhammedanismus; sed ad Sec. XI, ut ex *supp.* liquet.

§. CXXIX. Ex nostra ergo Sententia Emblema referendum est ad terribilem illum Tyrannum Sec. XI in Ecclesia ortum, qui, summa sibi vindicata potestate, in Bona et Vitas Christianorum grassatus est in Orbe Christiano, maxime Occidentali, per quaevis mala lethifera, bella excitata cum Imperatoribus, cum Haereticis et Infidelibus, quibus infinita hominum copia per gladium, famem, Pestem et feras est absumta, ut supra vidimus. Huc Ordo Periodorum, huc Emblema, huc Sigillorum verus conspectus, quo Characteres Ecclesiae in illis ducuntur, nos manifeste vocant. Verum quidem est, causam, ab quam grassaretur Antichristus, seu Religionem, hic non memorari: Sed (1) vera causa Tyrannidis Papalis erat Dominii et Potentiae defensio et amplificatio, quae agere solent omnes terrae Vastatores. (2) Cum Causa non memoretur, aeque Religio intelligi potest, ac aliud quid: sicut et fit in Sigillo II*do.* (3) Sigillum sequens clarius exponit superiorum caedium causas, ut ibi videbimus. Regnum vero Papale, quod notandum, hic repraesentatur in vero suo conspectu Tyrannidis,

dis, perinde quo praetextu Tyrannidem exerceat; quia nil nisi mortes et caedes produxit; ut ex Hist. liquet.

§. CXXX. Quod si quis velit, quae modo de gladio, feris et peste dixi, huc applicare, is notabilem satis hic inveniet convenientiam. *Gladius* sicut Bella significat, ita et supplicia capitalia, a Judice inflicta: quod per Papale Dominium fit, dum Haereticus traditur Brachio seculari. Ferae agri si sunt Populi Barbari, quam exacte id quadrat in Bellum Papale cum Turcis, per Cruciatos, quivis Historiae gnarus percipit. *Fames* et *Pestis* eodem modo quoque se facile applicari patiuntur: sed in his nihil difficile, nil obscurum. Nec obstat Sigillum Vtum, ac si illud ageret de Tyrannide Papali; ut ibi videbimus: contra confirmat nostram Hypothesin, cum in illo Sigillo Sanctorum mactatio repraesentetur ut jam facta, et non tempore illius Sigilli facienda.

§. CXXXI. Succedit Epist. VIta Apocal. Cap. III: 7 *seqq.* in qua

A. Duae Partes Ecclesiae maxime oppositae exhibentur, *altera* eorum, qui veritatis et virtutis studiosi erant, ad mortem usque: *altera* eorum, qui sub praetextu et larva verae fidei et Religionis tegebant animum Tyrannicum, et ab omni vera Pietate alienum: priores v. 8. posteriores v. 9. describuntur; priores veram, posteriores corruptam Ecclesiae Partem constituebant. Cl. Vitringa recte evicit, v. 9. Pseudo-Christianos describi; sed addendum, eos non qualescunque, sed Tyrannidem spirantes et exercentes; sicut tum e phrasi *Synagogae Satanae*, tum ex Persecutione verorum Christi Cultorum ab illis instituenda, quae v. 8 et 9. traditur, colligi potest. Synagoga Satanae est Coetus hominum, qui Veritati et Pietati bellum indixerunt, et in eo sunt; ut humanum Genus perdant. Vid. Cl. Vitringa ad Cap. II: 13 Apocal.

B. Melior Ecclesiae pars laudatur, quod occasione Veritatem et Pietatem propagandi, a Deo concessa, usa fuerit; non obstantibus Persecutionibus, quas patienter tulit: hic enim sensus est v. 8vi, quod idem Commentator recte explicuit.

 C. Lan-

C. Laudationi additur Consolatio, qua promittitur, (1) Opus a piis susceptum fore perenne, vel ad stabilem statum esse perducendum, non obstantibus modicis illis viribus, quibus pii pollebant v. 8. (2) Multos e Synagoga Satanae sese piis illis submissuros, et eorum opus volentes nolentes agnituros esse v. 9. (3) Piorum illorum Societates liberandas esse a generali illa tentatione, quae incolis terrae aliquando eveniret, ut v. 10 praedicitur.

§. CXXXII. Ad hoc argumentum Epistolae, quale id ob oculos posui, qui recte attenderit, is facile perspexerit, Characterem illius Periodi Ecclesiae poni in melioris Ecclesiae Partis ardente studio, veritatem et Pietatem confitendi et propagandi, inter varios Cruciatus et multa pericula, quibus a deteriore Ecclesiae parte subjiceretur, donec in stabilem statum res purioris Ecclesiae sint adductae. Qui Character unice quadrat in Ecclesiam a temporibus Waldensium Sec. XII, usque ad perfectam Reformationem, post medium Sec. XVI. seu potius circa ejus finem, quando Reformatio in Belgio quoque stabilem nacta est sedem. Toto enim hoc Intervallo temporis

A. Duae insignes fuerunt in Ecclesia Partes, altera Pseudochristianorum, qui se Coetum Satanae demonstrarunt per Bella et oppugnationes Testium Veritatis: Altera eorum, qui se grassanti superstitioni opposuerunt, et Veritatem professi sunt; ut Waldenses, aliique supra recensiti.

B. Hoc quoque tempore melior Ecclesiae Pars tota in eo fuit, ut multa inter Mala et Pericula Ecclesiam depravatam emendaret, quaeque occasione a Deo concessa ad veram Religionem propagandam bene usa est; simul patientiam suam Deo comprobavit, in ferendis Persecutionibus Fidei causa, de quo nemini non constat, vel ad superiora attendenti.

C. Consecuta quoque est Ecclesia promissa, quae illi in hac Epist. facta sunt; ut (1) quod Opus Reformationis ad finem perductum sit, seu firmum et stabile factum;

tum; (2) Quod opus illud a multis ex Pseudochristianis illis sit agnitum; dum, Foederibus quoque pactis, permissum fuit Reformatis, suae Religionis partes agere: multi quoque ex Synoga Satanae ad Ecclesiam illam accesserint, id quod hic per τὸ *adorare* exprimitur. Sed notari debet, luculentius adhuc hac parte inplementum esse exspectandum; sicut et (3) de Liberatione e generali *illa* Tentatione incolarum Terrae; quae v. 10 occurrit: de qua generali Persecutione adhuc expectanda postea dicam.

§. CXXXIII. Cum hac nostra Hypothesi restat comparemus Magni Commentatoris Apocal. explicationem, cui hic ex parte tantum accedo. Intelligit Cl. Vitringa

A. Ecclesias Protestantium Sec. XVI a Papismo se separantes, donec ubique stabilem nactae sint sedem Ecclesiae Reformatae: nos altius repetimus hanc Periodum, a temporibus Waldensium Sec. XII: (1) quia eo nos duxerat superior Epistola, quam Cl. Vitr. de Periodo a Sec. XII ad Sec. XVI. fuerat interpretatus: Uterque ergo Hypothesibus nostris convenienter instituimus. (2) Quia initium suum debet, ex quo *janua* coepit aperiri, et Ecclesia in duas Partes oppositas dividi; quod utique a Sec. XII factum est. (3) Quod de modicis Viribus melioris partis Ecclesiae habetur; id rectius in Reformatores Sec. XII et deinceps quadrat, quam in Protestantes.

B. Per Pseudochristianos intelligit falsarum Doctrinarum Autores Sec. XVI exortos; in spec. Anabaptistas et Antitrinitarios: sed ex mea sententia depingitur opposita Ecclesiae Pars, quae se veris Christianis opposuit, et quidem hostiliter cum Persecutionibus. Utique in hos Adversarios, simul Persecutores, rectius convenit (1) Epitheton *Synagogae Satanae*, quo directe ducimur ad hostiles impetus in purioris animi Christianos; ut supra vidimus. (2) Quod illi agnituri dicuntur opus, a meliore Ecclesiae parte perfectum; argumento, eos se ante opposuisse Reformationi: ast nunc ipsam Reformationem qua talem, ab ipsis laudandam esse, ut a Deo profectam; quae omnia in illos Haereticos non conveniunt.

§. CXXXIV. Pergamus nunc ad prolixam Bestiae Descriptionem Apoc. XIII. Cujus vaticinii inplementum in ipsam hanc cadit Periodum. Satanas Regno suo, quod in Imperio Romano Pagano obtinuerat, privatus; et Fluvio Persecutionum, quo Ecclesiam putabat absorbendam esse, a Terra, Ecclesiae succurrente, absumto, adeoque Paganismo deleto; Satanas, inquam, iram concepit magnam, secumque deliberavit, qua ratione progeniem Ecclesiae Sec. IV infestaret. Praeparavit ergo se ad Bellum, alio modo gerendum cum Reliquis ex semine illius, sc. Mulieris, de qua supra, observantibus Praecepta Dei &c. ut habetur Apocal. XII: 17. Ubi, quod notandum, Characteres eorum, quos denuo instituerent persequi Satanas, iidem ducuntur ac eorum, qui violentiam sub Imperio Romano Pagano experti erant; unde merito colligitur, Satanae in animo fuisse, eodem modo persequi Ecclesiam, sed non per Infideles, ut antea, verum ipsos Ecclesiae Christianae Confessores. Haec praeparatio Satanae ad novum id Bellum per longum tempus duravit; intercedere enim debebant Definitiones multorum Capitum Fidei et Cultus, antequam Persecutio commode fieri poterat. Praeterea erigi debebat universale aliquod Caput, cui talis Persecutio demandari poterat: adeoque omnes illae Lites de Doctrina, Cultu, et Regimine Papali, praecedere debebant, tanquam Praeparationes Satanae ad veterem illam Tragoediam renovandam. Quae Praeparatio duravit per multa Secula, a Sec. IV usque ad XImi medium; quando, omnibus rebus paratis, scenam aperuit juratus humani generis, et praecipue Ecclesiae, Hostis, quae scena pluribus describitur Cap. XIII: ubi Cl. Vitringa consulatur. Sed hic locus foret, inquirendi in Characterem Antichristi et Bestiae, nec non ortum ejus: sed hoc executus sum in *orationibus* subnexis.

§. CXXXV. Conferamus ergo nos ad Tubicinium IVtum; quo deliquium tertiae partis Luminarium coelestium, adeoque tenebrae in tertiam eorum Partem inductae repraesentantur Cap. VIII: 12. quemadmodum Emblema Cl. Vitringa et alii recte explicuerunt. Quaeritur quid sibi velit, et quo pertineat Emblema? Ex nostra opinione illud

A. In-

A. Ingentem confusionem inter Rectores Civitatis et Ecclesiae expingit: Solem enim ad Civitatem, Lunam et Stellas ad Ecclesiae Rectores et Doctores expingendos adhiberi, recte evictum est a Cl. Vitringa. *Tenebras* vero esse confusionis Emblema, constat. Haec vero confusio quam apte in hanc Periodum quadret, patet illi, qui ad collisiones Imperatorum, Regum, Paparum, ad factiones Guelforum et Gibellinorum, ad Expeditiones cruciatas, ad Bella cum Albigensibus, Hussitis &c. attenderit.

B. Imminutionem et *prostitutionem* probrosam Dignitatis et autoritatis eorum Rectorum quoque repraesentat; ut recte idem Cl. Vitringa exponit, tum ad h. l., tum ad Cap. XVI: 10. In hac autem Prostitutione characteristicum Dei Judicium in eos hac Periodo fere situm fuit. Majestas Imperatoria et Regia quantopere fuerit fracta, et ludibrio habita in collisionibus Paparum, cuique in promptu est. Sed et Paparum Dignitas et Autoritas summopere obscurata est

א. Per Regum non tantum, sed et sic dictorum Haereticorum, oppositiones; hi enim eorum Vitia, Tyrannidem et Superstitionem in claram protraxeruut lucem; quod a Waldensibus per totam hanc Periodum factum est, et perfectum per Reformatos.

ב. Per publicas magnae istius Ecclesiae Membrorum partis separationes ab eorum communione, quibus dignitatem et potestatem suam magnopere viderunt imminutam.

ג. Per pudendum id Schisma Papale Sec. XIV et XV. quo valde est prostituta Sedes Papalis, ipsi Papae depositi, et Conciliis universalibus subjecti.

ד. Per gravissimas Calamitates in hanc Sedem, per Imperatorum et Regum invasiones, inductas, teste Historia; in specie per Carolum VIII, Ludovicum XII et Franciscum I, Galliarum Reges; et ipsum Carolum V Imperatorem; qui omnes per Italiam, et ipsam Romam, ingentes circumtulerunt caedes et vastationes. Romae captae et dirissime tractatae ex.

gr. a ducibus Caesaris Car. V adcurata exstat narratio in *nova collectione monumentorum* Hofmanni tom. I. quam nemo sine horrore legerit: rapinae, caedes, pestis et fames, concurrerunt, et terribile dederunt spectaculum, sacrae quoque personae et res indignissime sunt tractatae. vid. *Adami Reisneri* testis oculati acta Frienspergica lib. VI.

ח. Reliquorum vero Doctorum et Rectorum Ecclesiae obscurationes; ut in tot Monachorum Ordinibus exortis, qui de Rectorum Ecclesiae dignitate et puritate multum detraxerunt: sic in Doctoribus Scholasticis, eorumque subtilitatibus et variis quaestionibus, quibus veram Doctrinam et Pietatem multum obscurarunt, conspicuae sunt. Ne nunc de Waldensium aliorumque doctrina, qua errores et superstitiones Doctorum et Rectorum Pontificiorum in lucem protraxerunt, aliquid dicam.

§. CXXXVI. C. Addo, quod huc prae reliquis quadrat, Rectorum, et Civitatis et Ecclesiae, per totum Orientem multifariam obscurationem, non tantum per Latinos, qui ipsam Regni Metropolin Constantinopolin aliquamdiu tenuerunt, et varia mala Graecis inflixerunt per Expeditiones Cruciatas: sed praecipue per Turcas Osmanidas, qui per maximam hujus Periodi partem ab initiis Sec. XIV grassati sunt, et tandem ipsum Regnum Orientis destruxerunt, sede Inperii fixa Constantinopoli. Haec utique in emphasi fuit sic dicta obscuratio Luminarium coelestium, ut illud Emblema sumi solet.

Sed quare tertiae tantum Partis fit mentio? Resp. respectu universi Orbis Christiani, qui hic complexe sumitur; quum Sol, Luna, et Stellae memorentur; ut bene notavit Cl. Vitringa. Qua ratione si res capiatur, facile apparet, quam apte tertiae partis obscuratio hic exhibeatur; cum Orbis Christianus Orientalis per tertiam eam Partem intelligatur. Quantae vero Tenebrae in eas Ecclesias Orientis per hunc Casum fuerint inductae, in vulgus est notum. Nec fuit aliud illustrius Dei Judicium, quod in hanc Periodum incidit, aut quod in oculos incurrit magis. Plura non addo:

do, et ab aliorum opinionibus recensendis et refutandis abstineo.

§. CXXXVII. Pergo itaque ad alias tum V. tum N. T. Prophetias, inquisiturus, num illae aliquid suppeditent ad hanc Periodum pertinens. Ubi ante omnia nobis occurrit illustre vaticinium de Antichristo 2 Thess. II: sed de quo agam ad calcem hujus Tractationis. Praeter vero hanc Prophetiam passim huc refertur Pericopa Matth. XXIV: 23--29. Sed sine solida ratione, uti ostendi ad Periodum I. ubi hujus Cap. conspectum exhibui. Mitto porro, quae hic illic ex Parabolis Christi proferuntur, quae demonstratione carent.

§. CXXXVIII. Transeo ad V. T. non eo animo, ut omnia nonnullorum interpretum commenta ad examen revocem, quod nec necesse est, nec utile; sed ea tantum tangam, quae magna se specie commendant. Quo refero

Primo, Vaticinium Danielis de parvo cornu Cap. VII, et de Rege superbo Cap. XI: 36 *seqq.* verum cum de his locis egerim in Comment. ad Dan. ubi ostendi, perverse hic quaeri Antichristum, opus plane non est, ut hic moras nectam.

Ergo consideremus potius Pericopam illustrem Jes. LVI: 10 ---- Cap. LVII. de qua mentem hic explicabo. Multis interpretibus, Cl. Coccejo viam praeeunte, sedet opinio, Fata Ecclesiae Christianae praecipue a Sec. IV ordine praenunciari Jes. Cap. LVI---LX; ita ut Cap. LVI: 8. multiplex Ecclesiae propagatio tribus vicibus repetita exhibeatur; v. vero 9. Periodus invasionum Gentium Barbararum a Sec. V: quando a v. 10----LVII: 14. terribilis Ecclesiae corruptio in Capite et Membris sub dominio Antichristi describitur: dein a v. 14 usque ad fin. Cap. LVII. Reformatio ob oculos ponitur; et dein Cap. LVIII et LIX usque ad v. 15. horrenda corruptio et confusio Ecclesiarum Protestantium, inprimis sub finem temporis ultimae Persecutionis ingruentis, depingitur. Denique usque ad finem Cap. LX liberatio Ecclesiarum in omni suo complexu, cum glorioso Regni statu in terra ob

oculos ponitur. Hujus Hypotheseos, quam Cl. Vitringa in clarissima collocavit luce, duo sunt fundamenta: *alterum* in nexu cum super. *Capp. alterum* in magnifica Ecclesiae descriptione Cap. LX. Verum *prius* fundamentum pro hypothesi habet, concionem Prophet. praecedentem, quae omnium consensu de Ecclesia N. T. agit, continuari v. 8 *seqq.* Cap. LVI. Sed haec Hypothesis corruit, si nova hic statuatur incipere Concio Prophetica, quod aeque facile statui potest, ac quod continuetur: imo Ratio suppetit non spernenda pro nova Concione, tum quod v. 8. incipiat cum usitata Formula *Dixit Jehova*, quae Concionibus Prophet. saepe praemitti solet: tum quod Pericopa Cap, LVI: 1---7. recte haberi possit pro Clausula superioris Concionis de Ecclesia Christi: cum enim de Messia, et Bonis ab eo adducendis, nec non de Ecclesia ejus luculenter esset vaticinatus Jesaias Cap. LIII---LV, se vertit commode ad eos, qui ab illo tempore, quo illa acciderent, prope abessent; ut se tum ad haec Bona praepararent, tum eorum spe se erigerent, id quod Prophetis saepe in more positum est. *Alterum* vero Fundamentum in glorioso, et omni parte prospero Ecclesiae statu Cap. LX positum, solidius foret, nisi constaret, Prophetas de Ecclesia Christi passim ea ratione loqui solere, ut in superior. jam observavimus: imo de Ecclesia Maccabaica, seu ab adflictione Epiphanica liberata, una cum complemento suo, Ecclesia sc. Christi, considerata, eundem plane in modum agere solent; ut fit inter alia Jes. XXV, XXVI, ut et LXV et LXVI, Dan. II et VII. aliisque prophetiis. Ratio autem magnificae Orationis de Ecclesia Christiana haec est, quod Fata intermedia Prophetis V. T. non fuerint revelata; adeoque Ecclesia Christi ipsis ob oculos posita sit in ea conditione, quam vere quidem, sed non nisi post longam fatorum seriem haberet. Ecclesiam vero Maccab. passim contemplari solent, tanquam quae in Regno Christi terminaretur et perficeretur; sic Zachar. XIII et alibi: de quo saepe dixi, ut in *Dissert. ad Dan.* Ad haec accedit, gloriosum Ecclesiae statum non esse manifestandum, nisi post gravissi-

vissimam adflictionem, et miraculosam Ecclesiae liberationem, hostiumque prostrationem; ut in Harmonia Fatorum V. & N. T. hoc tempore sibi invicem respondeant; de quo suo loco dixi. Ergo et hoc fundamentum facile ruit. Ceterum primo sensu Ecclesiam Judaicam Cap. LX. intendi, et ex eo liquet, quod Hierosolyma ibi occurrat ut Sedes Religionis et Ecclesiae: quo ipso restringimur ad Ecclesiam Judaicam, sed in Christiana consummandam.

§. CXXXIX. Hisce fundamentis destructis, facilior est singularum hujus Hypotheseos Partium refutatio: sed quam nunc instituere non licet. Tantum pauca proferam, et viam ad intellectum illustrium horum Capitum aperiam:

A. Cap. LVII: 3---13. non ad Ecclesiam Christi superstitiosam et tyrannicam pertinere, sed ad Populum Judaicum, ut fuit tempore Manassis, et paulo ante Exilium Babylon., quae mea est opinio, ex eo non tantum patet, quod in id tempus cuncta exacte quadrent, adeoque nulla sit ratio, a Populo Judaico, vero ac proprio orationum Prophet. objecto, discedendi, non tantum inquam; sed et quod non obscura exstent Criteria Temporis, quod signavi, tum in Idololatriae descriptione, qualem tunc fuisse exercitam constat, tum in liberorum mactatione Molecho, et Prophetarum occisione; tum denique in perfugio ad Regem Ægypti auxilii causa, multis cum muneribus v. 9. quod non nisi remote admodum in Ecclesia Pontificia demonstrari potest.

B. Pericopa seq. a vs. 14 ad fin. Cap. se longe aptius ad Populi Judaici conversi liberationem ex Exilio Babyl., quam ad Ecclesiae Reformationem et separationem ab Ecclesia Pontificia, transferri patitur: tum quod Mons Sanctitatis Dei jure haereditario dicitur a piis possidendus; tum quod Populus v. 14. occurrat tanquam rediturus ad possessionem Terrae suae, via facta plana et facili; tum quod Populus ille, cui Deus ob peccata longo tempore fuerat iratus, dicitur in favorem Dei restituendus et instaurandus.

§. CXL. C. Cap. LVIII introducit populum, qui,

Religionis studium praeferens, in jejuniis continuo erat, ut Rerum suarum perfectiorem instaurationem consequeretur: sed, cum gravioribus vitiis laboraret, frustra luctabatur, et incassum emergere studebat; cui populo vitia sua exponuntur in hoc Cap. quae impediebant, quo minus studii Legis et jejuniorum suorum fructus carpere, et in statum felicem, a Deo promissum, emergere posset. Quae omnia exacte conveniunt in Reduces ab Exilio Babyl. ut ex Prophetis Haggaeo, Zach. et Malach. ut et Historia Nehem. et Josephi clarum est. In specie notetur, Characterem status reducum esse, cum tenuitate Rerum suarum luctari, et spe feliciorum temporum se continuo, sed frustra, lactare; porro eam prosperitatem a Legis externo studio, inprimis statis Jejuniis, ut est Zach. VIII, exspectare. Haec vero quo fundamento (si ab hypothesi discesseris) applicentur Ecclesiis Protestantium, ut Viri illi Docti faciunt, mihi vix liquet, maxime cum *Sabbathi et haereditatis Jacobi* expresse fiat mentio.

D. Denique Cap. LIX tum major corruptionis gradus, tum terribilis Populi totius confusio, quae ad totalem ejus ruinam spectare videbatur, tum hostium inpetus in eos, ita ut, omnibus Rebus desperatis, exitus Malorum nullus videretur, tum miraculosa Populi Dei Liberatio, per ipsum Deum efficienda, vivis depingitur coloribus. In quibus omnibus nil est, quod in Tempora Epiphanica et Maccabaica non exacte quadrat. Et alibi apud ipsum Jesaiam de temporibus illis simili modo agitur, ut Cap. XXIV---XXVII; item Cap. LXIII: 1. Et Cap. LXV ut LXVI, ut ad ea Loca a Cl. Vitringa fuse et feliciter expositum est. Quid igitur, praeter Hypothesin, nos hic cogitare jubet de Ecclesiis Protestantium?

§. CXLI. Ut itaque Nexum omnium harum Partium hic explicem, mentem paulo clarius exposuisse juvabit.

א. Pericopam, quae Cap. LVI: 8--- Cap. LVII: 2. occurrit, habeo pro generali Propositione tum Liberationis Populi a Calamitatibus per Hostes inducendis; tum cor-

corruptionis ejus, praecipue Rectorum, quae illas calamitates pareret; denique Signorum antecedentium in piorum decessu et morte: v. 8. etiam exhibetur Recollectio Populi tam ex Babylon. exilio, quam Dispersione Epiphanica, et Proselytorum accessus ad Ecclesiam: cum vero illa Recollectio supponat Dispersionem, v. 9. exhibentur ferae *agri* et ferae *sylvae*, quae Populum depascerentur, quae *Ferae* repraesentant Chaldaeos et Syro-Macedones; Chaldaeos ferae *agri*, Syros ferae *Sylvae*, quo facit, quod Sylva vel Saltus sit *Syria* Jes. X: 34. ubi vid. Cl. Vitringa, ob montem Libani. *Ager* vero est Tractus Babylonicus, locus fertilis et planus. Praeterea cum horum Hostium invasio, a Deo ipso quasi excitata ad Populum puniendum, praesupponat corruptionem Populi, illa mox in genere subjicitur, praecipue respectu Procerum, qui Populi curam neglexerunt, et harum infestationum occasionem praebuerunt. Quae omnia facilia sunt.

§. CXLII. ב. Hac generali Propositione facta, ut passim solent Prophetae generalem hoc modo praemittere Propositionem; Propheta ordine procedit in Fatis Populi distincte praenunciandis; adeoque

a. Populi ante Exilium Babylon. corruptionem vivis coloribus depingit, et excidium ejus describit, Cap. LVII: 3---13.

b. Populi conversionem, recollectionem et in Terram Canaanis reductionem, repraesentat, additis luculentis feliciorum Temporum promissis, modo Populus praestet officium requisitum, v. 13 in fine---21.

c. Quam male Populus officio suo fungeretur, in Canaanem redux, adeoque spe perfectae instaurationis se frustra lactaret, fuse traditur Cap. LVIII.

d. Populum reducem ad summum Corruptionis, et inde ortae omnium Rerum perturbationis, gradum, novorum hostium invasione accedente, delabendum esse, pluribus traditur Cap. LIX: 1---15. hinc

e. Ad miraculosam Liberationem praedicen-

dam, per Maccabaeos quae effecta est, pergitur v. 16---18: Quando.

f. Propheta se in glorioso et felicissimo Ecclesiae Statu describendo copiosissime et emphatice diffundit v. 19---fin. Cap. LX: de quo supra egi. Tantum hic notari velim, v. 20 Cap. LIX, qui in genere loquitur de adventu Messiae, adeoque primo loco comprehendit primum Messiae adventum, ab Apost. Rom. XI: 26. recte referri ad secundum Messiae adventum, cum totius Populi Judaici conversione connexum, quae tum perfectum complementum demum consequeretur; quemadmodum quicquid de glorioso Ecclesiae statu Cap. LX praedicitur: Prophetae enim, ut saepe jam observavi, Fata Ecclesiae N. T. intermedia vel ignorantes vel negligentes, de Messia ejusque Regno loquuntur in summa emphasi, ac si mox foret felix ea Ecclesiae conditio, quam nonnisi post multa Fata intermedia consequeretur. Quum igitur Apostolus animadverteret, primum Messiae adventum hanc, quae hic praedicitur, salutem, universo Populo Judaico non adtulisse, hinc recte collegit, id postea suo tempore esse implendum; et ideo dictum hoc ad id tempus applicuit.

§. CXLIII. Nihil in tractatione hujus Periodi nobis nunc superest, quam ut Harmoniam Fatorum V. et N. T. persequamur. Judae et Israelis divisa Regna ad Ecclesias Orientis et Occidentis, Sec. IX separatas a se invicem, retuli in superioribus. Restat insigniora ab utraque parte Fata secum invicem comparemus.

A. Utriusque Populi Judae et Israelis corruptio in Cultu veri Dei, cum Superstitione et Idololatria copulato, corruptisque Moribus, occurrit.

B. Corruptionis insanabilitas et pertinacia, frustra reclamantibus et Populum emendare conantibus Prophetis, et Viris piis aliis.


C. Utriusque Populi tristissimum Fatum, quo in Servitutem duram inciderunt; Israelitae ab Assyriis, Judaei a Chaldaeis oppressi et in Exilium deportati sunt.

Haec

Haec omnia qua ratione in Christianos Orientis et Occidentis quadrent, verbo erit explicandum.

A. Cum *Ifraelitae* repraesentent Ecclesias Orientis, ut supra vidimus, Assyrii hic alii esse nequeunt ac Turcae, Assyriorum terras tenentes; quemadmodum eandem ob rationem Syro-Macedones quoque Assyrii appellantur; de quo leg. Cl. Vitringa in Jes. XIV. Hi autem Hostes Regnum Israelis irreparabiliter destruerent, et Populum in medio sui arcta sub servitute in perpetuum tenerent: quod ipsum Graecorum Inperio et Ecclesiae a Turcis accidisse, nemini non constat. Sed accedit id peculiare, quod Israelitae ab Ægyptiis auxilium frustra petierint, sesesque inani hac spe lactaverint: quod idem Graecis accidit respectu Ecclesiae Occidentalis, quae est mystica Ægyptus; de quo Cl. Commentator consulatur ad Jes. XXX.

§. CXLIV. B. Quod attinet ad simile Fatum *Judae*, sed temperatum, quo, a Chaldaeis oppressi, in medio Babyloniae per sat longum tempus, sub durorum Dominorum imperio degere debuerunt; eo expicta censeri potest Servitus Ecclesiae Occidentalis sub Antichristianismo, qui etiam cum Babele comparari solet. Quemadmodum enim Ecclesia, quatenus veram Religionem, sed multiplici tamen superstitione infectam, profitetur et exercet, cum Judaico Populo comparatur: ita ex quo Dominium superbum, imperiosum et tyrannicum, in medio sui habere et exercere, Populumque Dei dura Servitute premere coepit, ita tamen ut Populus Dei manserit separatus, recte induisse dicitur conspectum Babylonis; et Populus Dei ibi tanquam in Exilio esse censetur. Vid. Cl. Vitringa ad Jes. XIV. l. c.



PERIODUS QUINTA,

a Reformatione confirmata usque ad terminum incertum; quae Periodus adhuc durat.

§. CXLV.



IN hujus Periodi, aeque ac aliarum, Pertractatione, ante omnia Character ejus dominans est in lucem proferendus. Periodo, quam a Reformatione stabilita repeto, et ad ultimam Persecutionem, omnium atrocissimam, et ab Antichristo instituendam, extendo, sub qua adhuc sumus; pro Charactere dominante habet Libertatem Fidei et Religionis, secundum Regulam Verbi Divini, pro qua superiore Periodo tantopere per Martyria pugnatum fuerat, restitutam Ecclesiis a Tyrannica Societate separatis; Tyrannide illa repressa quidem, sed nondum plane abolita, quin suo tempore novas adhuc acquisitura vires, et de novo grassatura. Superiore Periodo nil magis fuerat conspicuum Tyrannide Papali, Fidem et Religionem suam tuente et defendente, et dissentientes acerrime persequente, ut supra vidimus. Hujus Belli eventus fuit, ut stabilis et tranquilla fuerit facta separatio multarum Ecclesiarum a communione Ecclesiae Pontificiae, quae Ecclesiae nactae sunt Fidei et Religionis Libertatem, adeoque eatenus triumpharunt de Societate Pontificia persecutrice, suasque res publice et tranquille instituerunt agere. In hac publica et secura Religionis professione et exercitio, represso Dominio Papali, et aliquomodo triumphato, et Verbo Dei pro Norma Religionis constituto, Characterem Ecclesiae hujus Periodi pono.

A. Quod

A. Quod notabilis admodum hic ſit caſus, et prae reliquis omnibus eminens.

B. Quod ſuperioris Periodi Caſus characteriſtici conſequens ſit hic ipſe.

C. Quod maxime inſignes produxerit mutationes in Orbe Chriſtiano per Occidentem, quippe in tot diverſas Societates diſtracto, poſt libertatem Fidei et Religionis introductam.

D. Quod Fides et Religio ab exſtantioribus corruptelis purgata, et longe lateque propagata fuerit per Occidentem; ne nunc de quibuſvis Scientiis ad ſummum evectis, per libertatem Religionis redditam, aliquid dicam.

§. CXLVI. Haec Periodus liberae et publicae Verbi Dei et Religionis, rejectis Traditionibus humanis, reſtitutionis, fideique ad eam unicam Normam, Verbum ſc. Dei, conformatae Confeſſionis, et Exercitii, repetenda eſt in Germania a Tranſactione Paſſavienſi ao. 1552, vel potius a Comitiis Auguſtanis ao. 1555: in Gallia ab Edicto Nannetenſi ſub Henrico IV ao. 1588: in Bohemia a Literis Majeſtaticis Rudolphi II; in Belgio a Confoederatione Provinciarum per Unionem Ultrajectinam ao. 1579: quippe qua *libertas* religionis eſt ſtabilita, et purior religio quoque reformata admiſſa, inde poſtea ſola facta dominans, publica auctoritate ſancita. In Britannia ab Henrico VIII incepta, ſed ſub Eliſabetha demum perfecta ao. 1558. in Suecia Reformatio fuit in generalibus Regni Comitiis ſub Guſtavo ſancita ao. 1527. quod idem in Dania factum eſt in publicis Holmiae Comitiis ſub Christierno III: in Helvetia per varios gradus perfecta eſt; ut apud Tigurinos jam ao. 1525, quos alii nonnulli Pagi haud diu poſt ſecuti ſunt; ut et Genevenſes, qui Reformationem inſtituerunt ab ao. 1535.

§. CXLVII. Character ergo Eccleſiae dominans, ut nunc ejus Partes paulo accuratius explicem, ſequentia complectitur:

A. Eccleſiae generalem diviſionem in duas magnas Societates, alteram Tyrannicam et Antichriſtianam;

alteram Protestantium et Evangelicam, quae Societates sunt publice separatae, et sibi invicem oppositae.

B. Prioris Societatis Tyrannicam Potestatem repressam, sed non tamen abolitam, quin suo tempore revicturam. Durant quidem eadem tyrannidis principia et proposita; sed exsecutioni nunc mandari non possunt.

C. Posterioris ergo Societatis liberam Fidei et Religionis professionem, et exercitium non impeditum.

D. Fidei et Religionis Normam supremam, et unicam, Dei Verbum et Euangelium, opposite ad Traditiones, et Decreta humana Pontificiorum; qui Character est omnium Ecclesiarum Protestantium; licet apud illos magis, apud hos minus, pure et sincere id observetur.

E. Verbi Dei et Fidei liberum Examen, omnibus Societatis Protestantium Membris relictum; liberum Religionis exercitium omnibus inter Protestantes concessum, absque ut illi vexentur, et Persecutionem propterea patiantur. Hoc est Protestantium omnium principium, et originale Criterium; a quo qui discedunt, principia Reformationis migrant.

§. CXLVIII. Huic Characteristico Periodi Criterio non obstat

א. Quod hic illic, durante hac Periodo, Protestantium libertas a Pontificiis interturbetur; nonnullae quoque Ecclesiae Protestantium aliquam patiantur Persecutionem, quemadmodum et superiore Sec. in Gallia, revocato Edicto Nannetensi. Est enim illud aliquid particulare, Ecclesiis tantum paucis proprium, nec perpetuo et continuo saeviens ad mortem; hoc enim non obstante, continuat tamen Protestantium separatio et libertas.

ב. Neque obstat, quod Protestantes ipsi varie sint divisi, et mutuas lites secum exerceant, ac in diversas abeant societates, imo a mutuis vexationibus saepe non abstineant. Hisce enim omnibus haud quicquam obstantibus

a. In

a. In eo conveniunt: (1) Verbum Dei esse supremam Fidei et Religionis Normam: (2) Verbi illius scrutinium, et Religionis ad eam Normam institutae exercitium, esse cuivis Societati liberum relinquendum. (3) Neminem Religionis caussa esse persequendum, vel morte afficiendum. Haec communia Principia Characterem constituunt Reformatorum, a Papistis separatorum.

§. CXLIX. b. Perseverant quoque singulae Ecclesiae Protestantium in libero Religionis exercitio, absque ut se invicem opprimant, aut in se invicem ob hanc rem saeviant.

c. Si qui Casus contingant alii, illi sunt transitorii et minus frequentes; nec universales, sed in his vel illis Societatibus saepe turbulentis, qui ergo in censum non veniunt, ubi de generali Periodi Charactere agitur. Accedit, Protestantes eo in casu principiis suis non convenienter instituere, quod passim et in aliis contingere solet.

d. Denique notari velim, Casum Periodi Characteristicum spectare ad universam Ecclesiam, simul per totam Periodum durare debere, et esse per omne tempus conspicuum: quae utique in mutuas Protestantium dissensiones, separationes vel vexationes, non conveniunt; tum quod sint solorum Protestantium, saepe nonnullarum tantum Ecclesiarum particularium; tum quod cum alio illo Casu Characteristico comparari nequeant, nec etiam libertatem Protestantium destruant.

§. CL. Nunc de Charactere Status Ecclesiae Moralis erit differendum. Hujus respectu censuerim, Ecclesiae in genere consideratae, quam late se per Orbem Christianum diffundit, et qualescunque in familias divisae, Characterem esse, tum *Securitatem*, ex vana de Bonorum suorum spiritualium abundantia opinione natam; tum *remissum* et languens Veritatis et Pietatis verum studium, quo suis confessionibus, et Sacrorum forma, singulae Sectae contentae, et ea re gloriantes, tanquam optima et salutari, exiguam impendunt operam Veritati indagandae, illustrandae et propagandae, multo

minus verae pietati et virtuti excercendae et promovendae. Hic, ni fallor, verus conſpectus eſt Eccleſiarum, tum quae Pontificiae audiunt, tum quae dicuntur Proteſtantes, quemadmodum ſe nunc habent; ſed majore adhuc emphaſi habiturae ſunt, donec novam incidant in Perſecutionem, quae Regni Antichriſtiani totalem deſtructionem pro exitu habebit, id quod ſequente Periodo futurum eſſe, opinor colligi poſſe ex Apocalypſi. Superiore Periodo ardens ubique viguit ſtudium Veritatis et Pietatis demonſtrandae et propagandae, cum Tyrannis Papalis graſſabatur, ut ſupra vidimus: ſed hiſce Perſecutionibus ceſſantibus, et Eccleſiis a ſe invicem ſeparatis et ordinatis, ita ut ſingulae ſuas habeant diſtinctas Confeſſiones, et proprias Religionis formas, tradiderunt ſe ſecuritati, opibus ſuis ſingulae contentae et glориantes: praeterea a Veritatis et Pietatis ſtudio remiſerunt, id unice fere operam dantes, ut ſocietatem ſuam ſingulae defendant. Hoc in ſtatu verſantur, tum Papiſtae Synodi Tridentinae doctrinis unice adfixi; tum Proteſtantium familiae, Confeſſionibus ſuis, per Synodos quoque firmatis, adhaereſcentes: ſingulae hae Sectae de Veritate, Puritate ac Praeſtantia, Fidei ſuae et Formae Eccleſiaſticae perſuaſae ſunt, et in iis laete ac ſecure acquieſcunt, nil fere curantes aliud, quam ut illas ſuas opes conſervent. Quae omnium Eccleſiarum conditio, ſi rem in genere ſpectes, in omnium oculos adeo incurrit, ut ne verbum quidem opus fuerit addidiſſe. Quam ardente quoque ſtudio ſuas ſingulae Definitiones, Liturgias et Regiminis formas, proſequantur, et hac parte non ſint remiſſae et tepidae: attamen Veritatis et Pietatis ſtudium flaccidum eſt; ſi ſocietates illae in genere κατα το πολυ conſiderantur. Loquor de ſocietatibus Chriſtianis diviſis, earumque membris in genere, nec de omnibus, ſed pluribus membris, nec adhuc eo gradu, qui poſtea obtinebit, intelligi velim; non deſunt enim haud pauci veritatis et pietatis ſtudioſi per Societates illas, qui diſtinctas ſuas formulas cum rationali convictione ſincere adoptarunt, iisque recte, et ut decet, *utantur*, ſed et ſibi ab earum *abuſu*, qui multiplex eſt, et eſſe poteſt, ſolicite cavere

re norunt, denique fidem illam suam vera et mascula pietate ornant.

§. CLI. Indicia eorum, quae dixi, nunc tantum profero sequentia.

A. *Sectae*, et non *Veritatis*, invaluisse studium, demonstrant sequentia.

א. Intra Sectae definitiones studia conclusa sunt, et ad eas conformantur, a quibus vel latum unguem discedere nefas habetur: praeterea eo tendunt, ut S. Scripturas et omnes Scientias ad eam Normam tractent: ne quidem commodam aut laxiorem formularum interpretationem subinde ferentes.

ב. Sectae Definitiones nec sincero Veritatis studio examinari solent; imo ne quidem, ut sine periculo examinentur, permittitur.

ג. De Orthodoxia secundum illas solet judicari Definitiones in singulis societatibus.

ד. Omnes veritates singulae ea ratione apud se esse cognitas et illustratas putant, ut iis nil addi vel demi queat aut debeat.

ה. Intra suae confessionis pomoeria solam veram Ecclesiam esse conclusam, opinantur.

ו. Aliarum familiarum opiniones ita rejiciunt singulae, ut eas serio et sincero studio non subjiciant Examini severo; imo animis sunt adeo ab aliis singulae alienae, ut pro tentationibus Satanae habeant, si quando in dubitationes hac parte incidant.

ז. Accedit, Veritati indagandae et illustrandae, et solidis rationibus superstruendae, operam vel nullam impendere solere plurimos, vel valde parvam.

ח. Nec id negligendum, ignorantiam inter Christianos regnare prorsus stupendam, studium Scripturae S. et Veritatum salutarium esse apud plurimos vel nullum, vel valde remissum. Tandem

ט. Addatur, singulas Sectas ita se habere, si

 rem

rem κατὰ τὸ πολὺ consideres, ut veritates suae sectae, non ex animi plena convictione post debitum examen, sed ex educatione, aliisque Principiis carnalibus et mundanis, profiteantur, ideis illis, quas ab infantia hauserunt, per educationem et institutionem, ne alias rationes politicas aut mundanas memorem, adsueti magis, quam intime convicti. Sic se habet Veritatis Studium.

§. CLII. B. Videamus de Studio *Pietatis* et virtutis; illud magis adhuc jacet. Licet externae Religionis formae se studiosos, etiam ad superstitionem usque, praestent; tamen

א. Illud Religionis excercitium magis e consuetudine, et decentia aut necessitate, quam ex amore Dei oritur; et si non crassa, saltem subtilior quaedam est hypocrisis.

ב. Studium id Religionis fere sejunctum est a verae Virtutis studio, quippe quod valde remissum est inter omnium Sectarum Christianos: cujus multa sunt indicia:

a. De necessitate et praestantia Virtutis ad Salutem consequendam minus fere persuasi sunt plurimarum Sectarum Christiani. Papistae in externis Sectae Ritibus, ut Sacramentis, intercessione Sanctorum, ac indulgentiis, fiduciam ponunt, nec non in nomine *Catholici*; pii et probi Viri officia minus curae habent. Ex Protestantibus longe plurimi, Fide Orthodoxa contenti, Virtutis studium minoris faciunt; saepe et metuentes, ne nimio Virtutis studio addicti adhaerescant ad opinionem meriti proprii. Certum est, longe majoris fieri Orthodoxiae, quam pietatis, studium.

b. Opera, quam Christiani impendunt officiis pietatis exercendis, vel nulla vel debilis valde est: habere solent quasi παρεργον; doctrina theoretica contenti sunt. Et qui adhuc id studium tractant, versantur magis in devotionis exercitio, quam virtutis officiis. Praeterea media ad Pietatem exercendam et Sanctitatem promovendam ducentia, si ab externis Religionis exercitiis discedas, vix nota sunt aut recepta; cum non agentes, sed patientes sancti fieri velint; et qui severiorem illam pietatem sectari videntur, Meditationum sa-

crarum

crarum, rationum moventium, aliorumque mediorum vel ignari sunt, vel negligentes, subinde ea spernentes, tanquam vel inutilia, vel inefficacia, ab inmediato influxu Spiritus S. dependentes. Quid? quod qui media, eorumque ad gratiam Dei uberiorem consequendam aptitudinem, eorumque studio et omni opere adhibendorum necessitatem, paulo severius urgent, saepe suspecti alicujus haeresios, et Spiritus S. operationis ad animum hominis adversarii habentur, et traducuntur.

§. CLIII. ג. Quid itaque mirum, incredibilem ignorantiam per Ecclesias regnare, cum Christiani fere, quid Lex Dei et Ratio exigant, ignorant: saepe et vitia cum Virtute miscent; pro licito habent, quod Conscientiae dictamini adversatur, ut sunt vitia avaritiae, injustitiae, zeli amari, odii, fastus et luxus. Praeterea multa flagitia quoque habent pro bene factis; ut cum Sectae se invicem aversantur, cum temeraria de aliis ferunt judicia, dissentientes vexant, bonam aliorum famam laedunt, Conscientiis aliorum vim inferunt, in aliorum Bona manus injiciunt etc. si modo fiant e bona intentione, ad veritatem Sectae promovendam; talia habent pro bonis operibus, quantopere quoque injusta et iniqua sint.

ד. Si dein ad vitam et mores attendamus, ubi veracitas, justitia, aequitas, Charitas mutua? imo omnia contraria. Quid quaeso tanto studio agi inter Christianos videas, quanto hujus Vitae opes, honores et concupiscentias, acquirere per fas et nefas? Quid frequentius litibus, calumniis, mutuis accusationibus, odiis, inimicitiis, oppressionibus, defraudationibus? et saepe ob opiniones tantum, ut ambitioni litent et dominio. Ubi modestia et moderatio? sinceritas et simplicitas Christiana? Misericordia? Studium bene de proximo, qualiscunque sit, merendi, et ejus necessitatibus succurrendi? charitas mutua, et hostium amor?

ה. Vitae spiritualis principia, Reverentia scil. et sincerus Dei amor in Christo, studium ipsi toto animo placendi, seque ejus voluntati in omnibus subjiciendi, quam rara sunt?

ו. Addo tandem, Superbiam ſpiritualem, et ſecuritatem carnalem pro dominante vitio Chriſtianorum haberi poſſe: de ſtatu ſuo ſpirituali paſſim bene ſentiunt, ſe ſuaque dona magni faciunt, et ſupra alios extollunt: imo ipſis aliorum Conſcientiis imperare geſtiunt, nec ferre poſſunt diſſentientes. Quid vulgatius eſt? Confeſſiones et formas Eccleſiarum externas quantopere jactant? ac ſi ſolae eſſent purae et Deo gratae. Quam acerbe ferunt, ſi oppugnentur, imo ſi vel non rigide et exacte obſerventur? Quam ſecure paſſim et e Vita diſcedunt, et diſcedere permittuntur, modo Sectae doctrinam firmiter teneant? maxime ſi ſat vivida ſit imaginatio, qua ſibi Montes aureos promittunt, modo peccatorum aliquam praeferant poenitentiam, ſique, peccata ſibi in Chriſto eſſe remiſſa, audacter credant.

ז. His omnibus addo damnandum illum, qui multorum animos per omnes Sectas occupat, *indifferentiſmum* in re Religionis et fidei, quo vel omnem Religionem ſpernunt revelatam, vel ſibi parum cordi eſſe oſtendunt, quam Religionis formam obſervent; vel parum operae impendunt Religioni Chriſtianae propagandae inter errantes, peccantes et infideles; vel in Religionis exercitio ſunt tepidi. Quorum hominum ingens eſt per omnes Eccleſias multitudo; ut in omnium oculos incurrit.

§. CLIV. Sequatur nunc Commentatio Prophetica. Sigillo V. Apoc. VI: 9---11. *tria* repraeſentantur, quae tres temporum differentias continent, Praeteriti, Praeſentis et Futuri. Quorum primum et ultimum, illud ad praecedentem, hoc ad ſequentem Periodum pertinet; medium ſeu ſecundum noſtrae Periodi ducit Characterem. *Primum* exhibet animas Martyrum ob Euangelium occiſorum, quae longum tempus quaſi neglectae jacuerant, v. 9. *Tertium* continet dictum divinum de vindicta a Perſecutoribus ſumenda, ſed aliquamdiu adhuc differenda, donec conſervi Martyrum compleantur, qui et ipſi ſint occidendi, v. 11. Quo nova et ultima Perſecutio annunciatur. *Secundum* vero, ſeu medium, ad praeſentem

Periodum ſpectans, ob oculos ponit tum clamorem vindictae, a Martyribus ſublatum; tum ſtolae albae amictum, quo veſtitae ſunt, v. 10, 11. Unde liquet, Periodum praeſentem eſſe temporis *medii* inter duas Periodos Perſecutionum, quarum altera proxime praeceſſerat hanc Periodum, altera immediate ſequeretur. Utraque illa Periodus pro Charactere habet Perſecutionem Fidei cauſa; ut ex ipſo textu nemini non in promptu eſt. Periodus ergo praeſens eſt inter duas Periodos Perſecutionum media, cujus character eſt *Pax* et *Libertas:* uti tum res ipſa docet, cum ſit inter Periodos Perſecutionum media, et ab iis diverſa; tum Emblemata *clamoris* et *ſtolae albae* clare evincunt. Interpretes, qui in eo, quod ad ſequentem pertinet Periodum, nobiſcum conſentiunt, praeteritam tamen Periodum hic non viderunt, ſed cum praeſente confuderunt; praeſentis Periodi lineas quaerentes in Martyrio, et hoc Sigillum ad Perſecutionem Antichriſti, Sec. XII. coeptam, referentes. Quod nollem factum: cum animae hic non occurrant, quae mactabantur, ſed mactatae jam aliquamdiu; dicunt, *uſque quo, Domine, non judicas?* Clamor ergo animarum, et Stolae albae hujus temporis ſunt, mactatio praeteriti. Accedit, reſpici hic ad Sigillum praecedens, quo ſtrages inter homines facienda erat repraeſentata, quam hoc noſtrum Sigillum ut factam memorat: addita ſolummodo illius ſtragis cauſa, et vero conſpectu, cum Animae exhibeantur Euangelii cauſa effuſae. Ergo dubium mihi non videtur, quin *mactatio* ſit Periodi praeteritae, et *clamor* cum ſtolis albis hujus noſtrae Periodi. Animae eorum, qui ſub Periodo Antichriſtianae Perſecutionis erant occiſi, poſtquam diu ſiluiſſent, et quaſi ſopitae, quamdiu Periodus illa duravit; nunc excitatae tandem rumpunt ſilentium, et ſanguinis vindictam clamant: quum dictum iis eſt, ut parum temporis exſpectent, donec conſervi eorum eſſent conſummati. Interea *albae* veſtes iis ſunt datae. Characterem ergo Periodi praeſentis clamor Martyrum publicus conſtituit, et veſtitus ſplendidus ac albus. In genere vero ex eo, quod Periodus dicatur intermedia inter duas Antichriſti Perſe-

cutiones, colligi potest, Periodum praesentem esse Pacis et Libertatis, qua Verbi Dei studiosi gauderent per hanc Periodum. In specie vero addendum, quod *Clamor* Martyrum et *Stolae* albae sequentia involvant.

A. Martyres, qui pro causa Euangelii sub Antichristi Persecutione Vitam effuderant, denuo esse excitatos, et novas induisse Personas, in quibus animae Johanni sunt oblatae; cum antea jacuissent quietae, et quasi neglectae.

B. Vocem jam acquisivisse liberam et publicam, quae antea erat oppressa.

C. Causam eorum fuisse publice justificatam, quatenus Orbem circumsonuit vox vindictam requirens, et stolae albae illis datae sunt. *Vox* indicat, eos injuste occisos esse, et id publice constare; ita ut tempus vindictae sit opportunum; nec amplius dubium sit de sceleribus Antichristi. De *Stolis*, ut Justificationis signo, leg. Cl. Vitringa.

D. Martyres triumphasse; et illud, ob quod sanguinem effuderant, impetrasse: id quod Stolarum albarum emblemate quoque comprehensum est.

§. CLV. Character ergo Periodi, e dictis eruendus, comprehendit liberam et publicam fidei et Religionis, ad normam Evangelii, professionem, pro qua Martyres suo sanguine pugnarant, quamque nunc impetrarunt: ut causa eorum sit justificata, et triumphaverit; ipsi quasi revixerint, seque publice cum voce libera ostentaverint, scil. in Protestantibus, in quibus fructus Martyrii carpserunt. Protestantium ergo Ecclesiae publice erectae, et libera fidei professione ac Religione gaudentes, sicut Martyrum causam justificant, ita quoque eorum Victoriae de Antichristo signa sunt et effecta: quae et clare demonstrant, caedes eorum, injuste factas, a Deo esse vindicandas; cum Deus ipse per Reformationis successum publice declaraverit, causam Martyrum esse meliorem, et eorum sanguinem vindicandum esse. *Clamor* enim sanguinis fusi dicit, ex publicis manifestum esse indiciis, sanguinem injuste effusum esse, adeoque vindictam requirere divinam: quae indicia cum in libera

Evangelii

Evangelii professione sint restituta, hinc recte clamasse dicitur sanguis Martyrum, cum ille eventus apparuit: antea vox Sanctorum erat quasi oppressa, et causa eorum dubia; nunc, Reformatione perfecta, sicut vox publica reddita, ita causa eorum justificata est; adeoque tempus opportunum vindictae Divinae adesse, clamor animarum indicat.

§. CLVI. Pergamus ad Cap. XIV. Apocal. in quo conditio Confessorum Veritatis Euangelicae, et Fata ordine successivo eleganter repraesentantur: initium fit a Waldensibus et Albigensibus purioribus Sec. XII. quippe qui per 144000 hominum, cum Agno in monte Zion stantium, repraesentantur. Dein Hussitae comparent et Fratres Bohemi, per Chorum Citharaedorum depicti. Tandem Reformatores, per Angelum Evangelii Praeconem per Orbem repraesentati: et hos secutus est primus lapsus, sed plenarii excidii praenuncius tantum, Babelis mysticae; qui simul stabilem Libertatem Ecclesiarum Reformatarum Tyrannidi Antichristi ereptarum comprehendit: adeoque hujus nostrae Periodi Character ibi ducitur. Quae omnia, cum a Cl. Vitringa recte sint explicata, tetigisse hic sufficit.

§. CLVII. Succedat ergo VII Epistola Apocal. ad Laodicenos, Cap. III: 14 *seqq.* Quae Statum Moralem Ecclesiae hujus Periodi usque ad novam Persecutionem Antichristi, eamque excepturum totale Regni Antichristiani excidium, describit: in qua recte explicanda non potuerunt feliciter versari VII Periodorum Patroni, quod Periodos Epistolarum easdem fecerint, ac Sigillorum et Tubiciniorum: quod antea refutavi, quae nunc non repetam. Tantum observo,

A. Eundem Ecclesiae statum Moralem continuaturum esse per seq. Periodum VI. quae ratio est, quare nova non succedat Epistola; quia status moralis respectu nil novi accideret, durante quoque seq. Periodo VI. Persecutio Antichristi ultima Ecclesiam in eo statu, quo hic describitur, deprehendet; donec, Antichristianismo destructo, plane gloriosus Ecclesiae status introducatur.

B. Periodum VII. quoque opus non habuisse

nova

nova Epiſtola, quod Character Eccleſiae ejus unus idemque eſſet, glorioſum ſcil. ſtatum in genere comprehenſurus, qualis in Libro Sigillorum exponitur. Accedit, Spiritui S. propoſitum fuiſſe, hunc ſtatum felicem ex profeſſo et ſeorſim deſcribere, ut fit Cap. XXI et XXII. Addi quoque poteſt, omnia promiſſa, quae per omnes Epiſtolas data ſunt Eccleſiae, pertinere ad hanc ultimam Eccleſiae conditionem. Quod obſervatum non eſt nullius momenti ad illa promiſſa in ſingulis Epiſtolis recte explicanda: quum autem per illa promiſſa ſtatus Eccleſiae Periodi VII. ſit depictus, nova non opus erat Epiſtola. Terminantur ergo Epiſtolae in Periodo VI*ta*, ita ut VII*ma* haec Epiſtola ſe diffundat per Periodum V et VI.

§. CLVIII. Inſpiciamus jam hujus Epiſtolae argumentum: ut, qua ratione ſtatus Eccleſiae Moralis ibi characterizatur, eluceat. Eccleſia hic deſcribitur in re Religionis *tepida*, ſed vana Bonorum ſuorum praeſumtione inflata et ſuperba: denique in Veritatis et Pietatis ſtudio paupera, nuda et coeca. Religio exercetur quidem, adeo ut frigida non ſit, ſed non ardens, verum tepide et indifferenter; ut paupera, nuda et coeca eſſet reſpectu genuini ſtudii Veritatis ac Pietatis. Qua miſera Eccleſiae conditione non obſtante, ſuperbit Bonis ſuis, et felicitate, ac ſecura recumbit. Hunc ſtatum, quem quiſque ex lectione Epiſtolae, inprimis ſi Cl. Vitringam conſuluerit, facile perſpexerit, noſtrae Periodi Characterem conſtituere, ex iis, quae in Tractatione Hiſt. in medium produxi, facile in oculos incurrit. Quare pluribus hic opus non eſt. Sed praeterea ſignificat Deus, propoſitum ſibi eſſe, Eccleſiam ſuis judiciis viſitare, quorum duplex foret effectus, *alter*, ut hypocritas, qui corrigi ſe non ſunt paſſi, *evomeret*, i. e. cum pudore ejiceret, et a communione ſua ſepararet longiſſime, *alter*, quod reliquos et meliores caſtigaret et emendaret. Quae Judicia partim excidium Regni Antichriſti et Hypocritarum comprehendunt, partim novas Perſecutiones; cum glorioſus Eccleſiae ſtatus erigeretur; quum Dominus ad Januam ſtaret pulſans &c.

§. CLIX.

§. CLIX. Nunc de Tubicinio V. est dicendum Apoc. IX: 1. *Locustarum* characteres, e quibus de sensu emblematico judicandum est, sequentes sese offerunt praecipui 1. *Primus* est, qui ad *ortum* earum spectat, eas ex *abysso*, ejusque densissimo fumo, non itaque de longinquis oris, originem habuisse; simul *Satanae*, angeli abyssi, mancipia esse, et ab eo dirigi: vers. 3, 11. 2. *Secundus* habet, dedisse iis exitum, adeoque occasionem et potestatem grassandi in terra praebuisse et concessisse, *Stellam* aliquam, quae non tunc, sed jam antea e coelo ceciderat, et *clavem* abyssi habebat, adeoque illustrem et potentem Doctorem, simul Dominum, potestate praeditum; qui divinam sibi adrogabat originem et autoritatem ligandi ac solvendi; vers. 3*tio*. *Tertius* 3. continet, eas non *terrae*, seu gramini aut arboribus, ut solent proprie dictae locustae, verum *hominibus*, nec qualibuscunque, sed qui per Dei permissionem in eorum manus inciderent, infestandis esse destinatas vers. 4. Qui character eo ducit, ut *partim*, non de *locustis* animantibus, sed emblematicis, seu societate hominum cogitaremus, *partim* ad *tempus*, quo grassarentur, adtenderemus, illud nimirum, quo Deus magnam hominum copiam ex Judaeis et Gentibus, *signo* frontibus inpresso, praestare velit salvos: quod tempus cap. VII. expresse definitum est; de quo supra exposui, *partim* denique laesionem hominum, ab iis faciendam, circumscriptam esse a Deo, ejusque subjectam directioni. Ex quo simul elucescit, minus solide hinc colligi, vel omnes, vel solos, eximi purioris religionis confessores: inpressio enim *signi* phrasis est figurata, quae liberationem ab illo malo simpliciter denotat, uti ex Ezech. IX. Ap. VII et aliunde satis patet. 4. *Quartus* character locustas exhibet a *facie*, et anteriore parte, splendidas, illustres, honoratas, simul blandas, sesque facile in aliorum animos insinuantes, sed et formidabiles ac metum aliis incutientes, ac ad iis obediendum compellentes; sed a *posteriore* parte terribiles plane, et *aculeatas*, potestate laedendi instructas: vers. 7, 8. 5. *Quintus* eas sistit *cum* invincibiles, contra omnem laesionem et hostilem

 impetum

impetum tutas, quo *lorica* ferrea pertinet verſ. 9. *tum* famoſas per orbem et celebratas, quo *ſonus alarum* tendit, ibid 6. *Sextus* in eo eſt ſitus, quod poteſtas, ipſis propria, non *mortis*, ſeu poenae capitalis inflictionem comprehendat, ſed qualemcunque aliam laeſionem doloroſam et miſeriam: verſ. 5. indicio, tales hic depingi Satanae miniſtros, qui *mortis* poenam infligere, a ſua perſona et munere alienum, cruciandi vero et torquendi poteſtatem ſibi competere, exiſtimant. 7 *Septimus* eſt, homines, ab ipſis aculeo ſuo ictos, in eum redigendos eſſe ſtatum, ut mortem naturalem vitae ſint praelaturi, eamque, ſi poſſent, ſibi mallent conſciſcere, *partim*, quod miſerabilem ſuum ſtatum vix prae deſperatione ferre poſſe videantur, *partim*, ut multo terribiliorem mortem, ſibi inminentem, effugiant, quo verſ. 6*tus* collineat: qui non neceſſario requirit, ut, qui mori cupiebant, *mortem* non ſint paſſuri, ſed mortem naturalem vel aliam ſimilem non, uti optabant, ſubituri ſint. 8. Octavus denique, tempus *graſſaturae* earum definiens, tradit; eas non omni, ſed *opportuno* tantum tempore, nec perpetuo, ſed *definito*, ne quidem *diuturno*, infeſtationes et laeſiones illas producturas. Quo pertinet, quod earum poteſtas ad *quinque* menſes reſtringatur verſ. 10. quippe quod *opportunum* eſt tempus, relate ad locuſtas, quae verna et aeſtiva tantum graſſari ſolent tempeſtate, praeterea definitum et breve, relate ad totam periodum *quintam*, ſub qua vigerent, ſi cum *anno* comparare liceat, cujus ne *demidiam* partem quidem complerent. Accedit, numerum denarium eſſe perfectum, et totam univerſitatem denotare, adeoque ad totam periodum referri poſſe, cujus dimidiam partem facit *quinarius* numerus. Vid. Gen. XXXI: 41. Job. XIX: 3. Matth. XXV et alibi.

§. CLX. Hos characteres qui ad animum revocaverit, *locuſtasque* has emblematicas ſub periodo *quinta*, ad quam hoc pertinet *tubicinium*, quaeſiverit, ei forte ſponte ſua in mentem veniet *ſocietas* aliqua hominum Sec. XVI orta, et ab eo tempore per orbem fere totum vagata ac dominata, ad hoc uſque tempus, quo abolita eſt. 1. Originem ſuam *ſuperſtitionis*, *ambi-*

tionis

tionis, et *avaritiae fumo* infernali debet, 2. a ſupremo in orbe Chriſtiano-Catholico Domino, qui ſe infallibilem jactat, ac Divinum Doctorem et Rectorem, a ſtella itaque e coelo lapſa, in orbe ſtabilita, eique peculiari juramento obſtricta, et unice devota. 3. Invincibilis, et contra omnia tentamina ad hoc usque tempus probe munita, quae ſemper ſuperavit et eluſit, hic illic ſubinde fugata, ſed et reſtituta. 4. *anteriore* ſua facie blanda, hominumque adfectibus pravis valde adcommoda, ſimul haud una ratione *venerabilis* per vitam honeſtam, artes eruditas, ſtudiorum cultum, religionis tuendae et propagandae fervens ſtudium, aliosque labores, ſed et *formidabilis*, cui nemo ſine periculo et laeſione reſiſtat, per orbem fere totum, quam late patet, ſparſa et ſamoſa. 5. Quae, a ſanguine fundendo per ordinis ſui indolem alienam ſeſe reputans, multiplicibus tamen artibus, machinationibus et facinoribus, adverſarios ſuae ſocietatis, Papalis omnipotentiae, et ſuperſtitionis, in tantam conjicere ſolet miſeriam, ut mori mallent quam vivere. 6. *Dentibus* quoque *leonis*, qui locuſtis illis verſ. 8 dantur, et eo ſenſu inſtructa, quo de pſeudo-prophetis ſui temporis dixit Micha c. III: 5. quod *mordentes* ſint *dentibus* et *clament pacem* (h. e. ſtatim ac buccellam inter dentes habent, *pacem* clament: *mordere dentibus* exprimit avaritiam, et aviditatem quaeſtus ac luxus, vid. ib. c. II: 11. III: 12.) et *ſi quis illis non det in ore* (h. e. nihil mordendum praebeat, quin eos ſpernat) *contra eum ſanctificent bellum*, ſcilicet, Sacrum, ſtudio gloriae Dei vel eo praetextu gerendum, tanquam in adverſarium et hoſtem Dei ac religionis.) Chriſtus quoque Phariſaeis inputavit, Matth. XXIII: 14. quod *domos viduarum devorent*, *praetextu longarum precum*. 7. Quae eo ipſo ſeſe verum praeſtat *Satanae mancipium*, cuique praeeſt *Angelus abyſſi*, *vaſtator ille*. Hujus utique ordinis viris, non tamen omnibus, quippe inter quos eruditione, virtute et moribus, ſpectabiles non defuerunt, ſed ſecundum noxias ejus regulas viventibus, recte illud adplicari poterit ſcitum, *intus* ſunt *Nerones*, *extus Catones*, *toti horrenda monſtra*. In ſpecie vero ſtatus et ſocietatis *civilis*

 hominum

hominum, quem conſpectum gerunt *tubicinia*, reſpectu, vitio creata, et pro tremendo judicio Divino habenda, cenſeri poteſt haec terribilis, et civitatibus perniciosa, ſocietas: qualem ipſi Catholici eam, quaſi agmine facto, depinxerunt; et in eam irruerunt. Catalogum illorum autorum et ſcriptorum, ſatis prolixum, contexuit Cl. Hottinger. Hiſt. Eccleſ. ſec. XVI. p. V. p. 495. Legi in primis quoque merentur *les provinciales*, ſeu *Lettres ecrites* par L. de Montalte &c. qui liber a Paſchalio ſcriptus, ſed illuſtratus eſt a Nicolio ſub Wandrukii nomine: praeterea *la morale des Jeſuites* &c. A. de Vargas *Stratagemata Jeſuitica*; denique Oratio a viro Catholico in Senatu Polonorum Sec. XVI habita, quam recenſuit Lyſerus in praef. apologet. Hiſt. Jeſuit. Haſenmulleri, quamque ob cauſam tandem proxime aboleverunt.

§. CLXI. Juſtitiam utique, fidem, pacem et ſecuritatem, ſocietatis vinculum et praeſidium, multis modis infringunt, quin deſtruunt per doctrinas et regulas ſuas, *ante* ſpecioſas et adfectibus gratas, ſed *poſt*, et a tergo, ſcorpionis inſtar pernicioſas, et lethales. Quales, ex gr., ſunt 1. de Regibus et Principibus, modo *tyrannis* viſis, a quocunque licite occidendis, haereticis, ſic dictis, infamandis, bonis ſpoliandis, torquendis, incarcerandis, inmurandis, et ad deſperationem redigendis, denique, non a ſe quidem, aut Eccleſia, ſcilicet, ſed judicio ſeculari occidendis, comburendis etc. 2. de *reſervationibus* mentalibus ſeu *aequivocationibus* licitis, in ipſo quoque Judicio, confeſſione, quin juramento. 3. de ſola *probabilitate*, ſufficiente actionum moralium regula, 4. de fide *haereticis* data, etiam juramento ſancita, non obligante. Praeterea, ſpecie quidem devoti et honeſti, artem ſimulandi ac diſſimulandi egregie callent et exercent, opibus et divitiis per fas et nefas corradendis toti intenti, negotia aulica et politica ambitioſe adfectantes et tractantes, ita ut ex eorum conclavi, Romae erecto et reſidente, *totum terrarum orbem eo, quo nemo intelligat, modo gubernari*, dixerit aliquando Generalis eorum Gallo alicui, ipſum viſitanti, uti autor practic. moral. Jeſuit. refert.

refert. (a) Denique, quas dederit haec ſocietas turbas, ſeditionesque, quas Principum caedes procuraverit, quot bellorum incendia ſuſcitaverit, quantas quoque vexationes, aut carnificinas, per tribunalia quoque Inquiſitionis, quibus fere praeſident, effecerit, quantas intulerit populis, regnis, familiis, perſonis ſingularibus, miſerias, nemini non ex hiſtoria conſtat. Legi hic, ne alios memorem, meretur Cl. Heideggerus (b), ubi Jeſuiticae crudelitatis ſeriem paucis pertexuit, nec non Haſenmullerus (c) ipſe primum Jeſuita, dein Lutheranus Sec. XVI.


§. CLXII. Neſcio, num addere liceat, *militarem* ſpecie tenus *habitum*, qui *locuſtis* datur, ad militares et hoſtiles expeditiones referri poſſe, quas hic ordo inprimis vel produxit, vel promovit, ſub quibus quaſi latuit; quae ſicut ubique antea, in primis in Polonia, ut autor Catholicus multis expoſuit in oratione, modo citata, quam nemo ſine horrore legerit, et in qua Jeſuitas, earum autores, tanquam *locuſtas* haſce ad vivum videbit expreſſas, ita Sec. XVII in primis Europam continuo infeſtarunt, in horribilem conjecerunt confuſionem, et miſeriam, tot vaſtationes terrarum, ſpoliationes bonorum, aliaque mala multiplicia procurarunt, ut mors vita multis potuerit viſa potior. Accedit, eas expeditiones, *locuſtarum* inſtar, vaſtationes quidem et miſerias quaquaverſum circumtuliſſe, ſed ipſas regiones illas in perpetuam poſſeſſionem non redegiſſe. Verum ab ulteriore deductione abſtineo, ne quidem in data locuſtarum adplicatione plene acquieſco. Verſamur utique in hac periodo adhuc, nec praeſciri poteſt quid in poſterum ex orco prodire poſſit, quod has locuſtas clarius ac certius definiat.

§. CLXIII. Nihil reſtat, quam ut Harmoniam Fatorum V. et N. T. perſequar. Aliae enim Prophetiae ad Periodum hanc in ſpecie referendae occurrerunt mihi nullae: quae a nonnullis applicari huc ſolent, ſupra ſuis locis jam explicatae ſunt.

(a) Vol. II. (b) Myſter Babyl. tom. II. p. 222. (c) Hiſt. Jeſuit. modo citata p. 137 et 212 &c.

Reliqui Israelem in Assyriaco, et Judam in Babylonico Exilio; cui duplici exilio respondet status Christianorum Orientalium sub Turcis, et Occidentalium sub Antichristo. Israele autem in eo statu manente, sicut adhuc manet Ecclesia Christiana in Oriente; liberatus est Juda, et pristinus Libertatis status ei aliquo modo restitutus est. Quod ipsum contigit Christianis in Occidente per Reformationem, ut e dictis supra constat. Ut autem haec liberatio primum facta est per Regni Babylonici destructionem, sed Babelis semiplenam tantum ruinam, sic Reformatio cum primo Antichristi lapsu fuit conjuncta Apoc. XIV. *2do* Sacrorum liberum exercitium secundum Verbum Dei produxit, quod hujus Verbi Studium cum maxime fuit renovatum: sic et tempore Reformationis. *3tio* Inter multas hostium vexationes, nec sine variis impedimentis: quae omnia quoque conspicua in Historia Reformationis. *4to* Ecclesia Judaica sensim prolapsa est ad studia remissiora Religionis; simul multiplici corruptione est infecta: quibus factum est, ut Preces et Jejunia, aliaque media ad Ecclesiam consummandam, et promissorum implementum consequendum, ceciderint frustra. Quae ipsa quoque Reformatis acciderunt et adhuc durant. Reliqua huc pertinentia ad sequentem Periodum pertractabo.

PERIODUS



PERIODUS SEXTA,

Quae est incertorum terminorum, et a quo, et ad quem.

§. CLXIV. Ullus hic est locus Tractationi Historicae, adeoque de Charactere hujus Periodi ex sola Apocal. judicandum est, et inprimis ex Sigillo VI. secundum Hypothesin nostram supra jactam, et per singula Sigilla huc usque confirmatam. Cum hoc autem Sigillo VI. comparandum est Tubicinium VI. Cap. IX: 13--14. Cap. XI. Et Vaticinium Cap. XIV: 9---ad fin. Dein VII Phiolae Cap. XVI. Et tandem Judicium in Bestiam Cap. XVII---XIX. Haec omnia Vaticinia sunt ex mea opinione ad hanc Periodum referenda: quod, si VII Phiolas exceperis, quoque a Cl. Vitringa recte explicatum et evictum est; praeterquam quod ille primam partem Cap. XI. cum Regno Bestiae inde a Seculo XII connectat, et Cap. XVII., ubi Bestiae et Mulieris insidentis est descriptio, eo quoque referat. Sed licet Capite XVII. praecedentia Gesta Bestiae non excludam, scopum tamen Capitis esse puto, Bestiam depingere, qualem se hac Periodo VI. inprimis praestaret; quod non est difficile perspicere: de quo plura in *oratione* subjuncta *de ultima persecutione*. Haec omnia Vaticinia ad Futurum tempus respiciunt, et Periodi nostrae Characteristicos Casus exponunt: quos nunc in genere exhibebo; cum specialia suo demum tempore sint per implementum illustranda.

§. CLXV. I*mus* Casus Characteristicus est gravioris Judicii in Christianos, Idololatricae superstitionis, et sanguinis innocui reos; quod executioni dandum est per Populos remotiores, ut ex mentione Euphratis elucet Apocal. IX: 14. Prima quoque Tubicinii VIti pars Cap. IX: 13---ad fin. huc pertinet.

IIdus Casus est oppressionis et Subjectionis multarum Ecclesiarum Protestantium per Antichristum, qui denuo Imperium per aliquam Terrarum Protestantium partem extendet: quo refero Apoc. XI: 1, 2. respicitur ibi ad Hierosolymam ab Antiocho Epiphane, qui fuit Bestiae Emblema, occupatam.

IIItius Casus est illustrium aliquot Virorum, qui se ingravescenti Antichristianismo ingente cum studio opponent, et ad quorum preces magna mala infligentur Antichristo: quae partim habentur Cap. XI: 3---6. partim in Phiolis Cap. XVI. quarum aliquae huc pertinent, repraesentantur: de quibus ante eventum tutius est silere. Ceterum quod plures Phiolas Periodo hac statuam effundendas, partim ideo fit, quod Testes illi Cap. XI. potestatem habere dicantur quaevis mala Regno Bestiae infligendi; partim quod Persecutio ultima dicitur cum interitu Bestiae connexa Cap. XV. Accedit, ad vindicandum sanguinem Martyrum Judicium Dei in Bestiam ad id tempus differri in Sigillo Vto; donec denuo inciperet grassari hac Periodo: Phiolae ergo, quae hoc Judicium in Bestiam per varios gradus infligendum continent, altius repeti non possunt.

§. CLXVI. IVtus Casus est novae et ultimae, sed omnium atrocissimae Persecutionis ab Antichristo instituendae, cum animi ejus et subditorum per liberas testium illorum voces, et mala per illos inflicta, irritati essent, ut ex gaudio liquet, quod mors testium illorum attulit, Cap. XI: 10. Hanc autem Persecutionem circa finem Periodi futuram esse, elucescit ex Cap. XI: 6. ubi Testes prius dicuntur testimonium suum completuri. De hac autem Persecutione tum l. c. tum Cap. XIV: 9---13. tum Cap. XVII. agitur, in descriptione Bestiae et Meretricis: imo v. 14. ipsis verbis proponitur: hoc enim est, ut ibi dicitur, *cum Agno pugnare.* Denique Cap. VII: 9, 14. ut a Cl. Vitringa evictum est. Ceterum de hac ultima persecutione fusius in *sermone* Academico, ad calcem hujus tractatus, egi.


Vtus

V*tus* Casus est, quod, cum saeviente persecutione illa ultima, videri possit de vera Ecclesia actum esse; Heroës suscitandi sunt, qui armata manu impetum Antichristi saevientis reprimient, ingente ipsi inflicta clade. Et hic primus gradus est Resuscitationis testium veritatis, Cap. XI: 11. De qua clade quoque agi videtur Cap. XIV: 15, 16. Imo et, quod probabile fecit Cl. Vitr. Cap. XVI: 12. in Phiola VIta.


VI*tus* Casus est, quod hanc Cladem exceptura sit longe gravior Antichristianismo infligenda; tum per Reges, qui Meretricem deserent, Cap. XVII: 16. tum per Judicia alia divina, quibus prosternetur, et totum id Regnum Tyrannicum destruetur, ut evanescat: uti VIIma Phiola declarat Cap. XVI: 17 seqq. ut et Cap. XVIII et XIX.

§. CLXVII. Hos Casus si quis ad animum revocaverit, in Charactere Periodi VI definiendo haerere non potest: elucet ex dictis, Characterem Periodi fore ultimum Bestiae conatum in Ecclesia Christi destruenda, vindicandum per multa Judicia divina, quae totalem Antichristi ruinam secum ferent; viamque parabunt ad longe prosperrimum et gloriosissimum Ecclesiae statum: quod Sigillum VItum quoque extra dubium collocat; de quo vid. Cl. Vitringa.

Huc etiam sensu secundario et penitiore referendae sunt Prophetiae V. T. quae vel in genere de hostibus Ecclesiae exstirpandis, vel in specie de Syris et Ægyptiis reprimendis et delendis clare vaticinatae sunt: de quibus antea suo loco egi. Respondent enim tempora Epiphanica et Maccabaica huic nostrae Periodo, convenientia satis exacta: de quo leg. Cl. Vitringa ad Jes. XXIV et XXV. cujus Comment. nil addendum habeo.



PERIODUS SEPTIMA.

§. CLXVIII. Eriodi ſeptimae Characterem, ſi Sigillum VII conſulamus, conſtituere debemus in *ſilentio*, quod evicit Cl. Vitringa: quo putem ſignificari, Eccleſiam in perfecto ſtatu, naturae Eccleſiae Chriſti congruo, futuram, absque ut aliquis Caſus exſtantior in illa Eccleſia notari poſſit, qui eam prae aliis characterizat aut diſtinguit. Omnia erunt tum in Eccleſia conſummata, nulla fatorum viciſſitudo, nulli Caſus characteriſtici; adeoque Sigillum nil praeferre potuit praeter *ſilentium;* cum ſcopus eorum ſit, Caſus Eccleſiae Characteriſticos definire; omnia tum erunt tranquilla et proſpera, ſcandalis eliminatis, et hoſtibus Eccleſiae deſtructis: inprimis Pace fruiturae ſunt, oppoſite ad ſuperiores Antichriſti Perſecutiones. Hanc eſſe *Silentii* ſignificationem, confirmatur quoque ex praecedentis Sigilli ultima parte, quae hanc proſperitatem et Pacem verbis Fut. temporis deſcripſit; indicio, ad hanc Periodum, quae ſuperiorem mox excepit, pertinere. Eandem Eccleſiae Imaginem depingit Prophetia de Regno 1000 ann. Cap. XX. et Hieroſolyma nova, Cap. XXI et XXII. ut a Cl. Vitringa egregie eſt demonſtratum: ut et hic nihil addendum habeam, niſi forte ſimul c. XXI et XXII lineas ſtatus coeleſtis poſt ultimum et univerſale judicium duci. De quo fuſius nunc agere non licet; monuiſſe ſuffecerit. Sed de Judicio VII. Tubicinii habeo quid monendum, Cap. XI: 15 ſeqq. quod de ira Gentium a Deo repreſſa, et Judicio, v. 18. habetur, non ad hoſtium Eccle-

Ecclesiae superioris Periodi, sed hujus ipsius Judicium referendum esse existimem: adeoque, tum Judicium Dei in Gog et Magog Cap. XX: 9. tum ultimum id et universale, de quo ib. v. 11 seqq. agitur, hic intelligi puto: secus ac interpretibus visum. Hoc enim nisi statuas, (1) a Tubiciniorum conspectu nimis receditur; nam illa describunt Judicia Dei: nullum autem aliud Judicium in hanc Periodum incidit, praeter illud in Gog et Magog. (2) Ratio nulla dari poterit gravioris *Væ* hujus Tubicinii v. 14. Accedit (3) comparatio cum Judicio Cap. XX. memorato. (4) Judicii universalis criterium est in universalitate Judicii; dicitur enim *merces danda parvis et magnis*.

§. CLXIX. Ex his Prophetiis facile elucet, 1*mo* Ecclesiam gavisuram esse Pace Politica et Ecclesiastica, nulla re amplius turbandam. 2*do* Libertate perfecta gavisuram sine ulla Servitute spirituali, solo Domino regnante, et Spiritu ac Verbo suo fideles agente. Ipsi quoque *reges terrae gloriam et honorem suum in eam ferent Ap. XXI:* 23. quatenus Majestati et potestati suae in Ecclesia regenda et tuenda, qua antea fuerunt usi, saepe etiam abusi, renunciaturi sint, seseque una cum reliquis membris Ecclesiae, sibi in Christo aequalibus, supremo Ecclesiae regi subjecturi. 3*tio* Bonis spiritualibus, et donis cognitionis, Sapientiae, Sanctitatis, et Laetitiae, summo gradu abundaturam esse. 4*to* Alas longe lateque expansuram esse per totam Orbis latitudinem, hostibus ad angulos rejectis, et ibi se continentibus. In specie, 5*to*. Judaeorum universali accessu ditandam esse Ecclesiam: de quo egi in pecul. Dissert. in Libr. Diss. S. Addatur, *plenitudinem gentium* tum intraturam esse secundum Pauli adsertum Rom. XI. nec non utrumque hunc singularem casum, scilicet Judaeorum et gentium universalis conversionis, intendi et describi Apoc. VII. quippe quo judicium Dei ultimo Ecclesiae tempore in mundum, conversio Judaeorum et Gentium ad Ecclesiam, denique Ecclesiae, ex utrisque compositae status felix ac prosper, post ultimam persecutionem Antichristianam depingitur, ex mea, quam nunc fo-

veo, opinione; quam facile foret adstruere, si necesse foret. *Judaei* utique, hic memorati, sunt proprie intelligendi, cum quod *tribus* speciatim recenseantur, tum a *gentibus* mox distinguantur. Haec sunt praecipua hujus Periodi criteria. Chiliastarum commenta de Regno Christi terreno, carnali martyrum Resurrectione, aliisque deliriis non curo. Vid. Cl. Vitr. ad Apoc. XX. et Jes. LX: 22.

§. CLXX. Illud addendum est, in sola mystica resurrectione Martyrum illorum non videri acquiescendum, sed una comprehendi posse proprie sic dictam, non in *carne* et *sanguine* praeditis corporibus, vitae terrestri et animali propriis, sed gloriosis ac coelestibus, uti in resurrectione universali, 1 Cor. XV. descriptis, et glorioso Christi corpori similibus Phil. III: 21. quibus vestiti martyres per anticipationem *regnabunt cum Christo*, *sedentes cum ipso in throno* ejus Apoc. III: 21. Quae opinio sicut nihil habet, quod crasso chiliasmo favet, aut ultimo Christi regno glorioso in terra, quippe spirituali et coelesti, adversum, ita, *cum* ex *testium* resuscitatione ac in coelum adsumtione, Ap. XI: 11, 12. *tum* ex comparatione cum universali resurrectione, quae mox c. XX: 5. tanquam ab ea distincta memoratur, robur acquirit. Praeterea illustratur ac commendatur ex *sanctorum multorum* resuscitatione, anticipata quoque, tempore mortis et resurrectionis Christi Matth. XXVII: 52, 53. cui recte respondet illa Martyrum. Carnalis enim nec illa fuit, sed gloriosa ac coelestis, nec terrae resuscitatos reddidit, sed coelo adseruit, ita ut cum Christo in *sanctam* illam *civitatem*, seu coelum *intraverint*, et Christus cum hac *nube testium* coelum conscenderit Heb. XII: 1. Quae hypothesis sicut a multis libera est difficultatibus, variasque praecidit quaestiones, ita verbis, ut quod *multi sanctorum* adpellentur, *adparuisse* tantum aliis in terra, et hoc facto *urbem sanctam*, *coelestem* scilicet et non *terrestrem*, cui hoc epitheton nunc non convenit amplius, intrasse dicantur *post Christi resurrectionem*. Concinunt alia Script. S. loca, quibus ad hanc anticipatam resuscitationem et glorificationem respicitur: quae,

brevi-

brevitatis ergo, tantum citabo, et aliorum conſiderationi ac meditationi exhibebo, Joh. V: 25. coll. Matth. XXVII: 50. Heb. II: 10. XII: 1. et 2 Tim. I: 10. ubi Paulus cenſeri poteſt digitum ad hanc ipſam reſuſcitationem Matth. XXVII. intendiſſe, tanquam illuſtre exemplum futurae reſurrectionis. Denique 1 Pet. III: 19. *Quo ſpiritu etiam* (ſcilicet divino ſuo) *ſpiritibus in cuſtodia* (ſeu mortuis, et in inferis cuſtoditis) *profectus* (ſcilicet dum mortem ſuſcipiebat, ſeu ad *inferos* deſcendebat Pſ. XVI.) *promulgavit praeconis inſtar* (ſcilicet liberationem ab inferis: quem uſum hic exſerit verbum κηρυσσεῖν) Reſpicitur, ut videtur, ad *clamorem* vehementem, quem moriens, aut *ſpiritum ſuum* emittens, edidit Chriſtus Matt. XXVII: 50. *quam vocem qui audituri eſſent*, uti Joh. V: 25. dixit, *mortui viverent.* Quae explicatio, quam nunc illuſtrare non licet, ſi admittatur, ſequens verſ. 20. a praecedente eſt divellendus, et novam conſtituit pericopam; qua inter infideles, aquis ſubmerſos, tempore Noae, paucis tantum per arcam ſervatis, ac credentes medio baptiſmi, non inmerſionis in *aquas*, qua ſordes carnis eluuntur, ſed in *adflictiones et mortem*, quae *bonae conſcientiae* cauſa fit, et ejus eſt ſignum ac effectum, tanquam ejus ἐπερωτημα non *ſtipulatio*, quae ἐπερωτησίς adpellatur, ſed ad eam reſponſio, ſeu *promiſſum*, quod eſt ἐπερώτημα, verb. paſſiv., ipſo facto demonſtratum, per et propter Chriſtum ſervandos, inſtituitur comparatio. Quod nunc tantum monuiſſe ſuffecerit. Quae ut clarius eluceſcant, pro ὅτε verſ. 20. leg. ὡς *ſicut*, et pro ᾧ verſ. 21. οὕτως ita, vel καὶ ibi erit οὕτως *ſic*: uti alibi.


§. CLXXI. Tantum de V. T. Prophetiis aliquid ſubnectam: notabilia hanc in rem ſunt verba Angeli Apoc, X: 7. quibus ait, *diebus Septimi Angeli, quando ille clanget, conſummatum iri myſterium Dei, quod evangelizavit Prophetis.* Quorum ſenſus eſt; Prophetias, quae de Regno Chriſti vaticinatae ſunt, hoc demum tempore perfectum implementum conſecuturas eſſe. Unde clare liquet, quod ſupra ſaepe obſervavi, Prophetas Regnum Chriſti deſcribére in vera indole, gloria et

 amplitu-


amplitudine, prout ultimo tempore futurum eſt, Fatorum intermediorum nulla facta mentione.

Ceterum Judicia, quae in hanc Periodum incidunt, ſunt duo: alterum in Gog et Magog; alterum univerſale, in quo Periodus terminabitur: de quibus ſatis egit Cl. Vitringa ad Apocal. XX.

F I N I S.



SERMO



SERMO ACADEMICUS PRIMUS.



DE CHARACTERE ANTICHRISTI.

§. I.

EX multis materiis, quae nimia sua copia verius quam inopia difficilem fecerunt electionem, ea tandem, qua annuum Magistratum more majorum solemniter deponerem, mihi arrisit, quae, licet nec a persona mea, nec a temporibus nostris abhorreat, ut vestrum mereatur calculum, benevolo vestro affectu magis quam judicio mihi opus esse, cogitatio de frequentiore ejus tractatione, quae ex verbis primum auditis vobis oborietur, facit ut verear. Vos enim, cum Antichristi vox ad aures vestras fuerit delapsa, tacite mihi esse regessuros, cui non *dictus Hylas!*

cramben centies recoctam! nullo negotio praevideo; sed de universo orationis argumento enunciato, vel me omnia fallunt, vel aliud longe feretis judicium. Si tritissimam de Papa Antichristo quaestionem, qua jam per sex secula orbis Christianus circumsonuit, ventilandam sumsissem, ne a summa quidem vestra benevolentia faciles et attentos animos expetere, aut exspectare, ausus fuissem. At enim utilissimum de *vero Antichristi charactere* quaesitum, unde aliud de *tempore*, quo exortus est, dependet, estne tritum? estne tactum? nedum absolutum?

§. II. Multa oppido sunt, quae in Antichristum, ejusque corpus, confluunt. Quot enim Christi sunt munera, quot Ecclesiae partes, tot Antichristi, et Ecclesiae Falsae dari possunt *partes* contrariae. Incrementum aut decrementum, pacem aut bellum cum haereticis aut infidelibus, quae *accidentales* Ecclesiae partes sunt, cum Christiana et Antichristiana Ecclesia communia habere possunt: in *doctrina*, *cultu*, *regimine ac moribus*, quae essentiales partes sunt, sive omnibus simul, sive una alterave illarum, discrimen quaerendum est. Veritatis et verae fidei confessio, quemadmodum *puram* dat Ecclesiam, sic capitum fidei et errorum mixtura *impuram*, et graviores errores, qui Haeresios nomen merentur, *falsam* praestant. Cultus religiosus, qui *pura* in Ecclesia a Christi et Apostolorum praescripto nihil abit, et de externis ritibus parum habet, *mixtam* exhibet Ecclesiam, si hominum institutis nimium aggravetur, sed *falsam*, si in superstitionem et idololatriam, plus minusve directam, degeneraverit. *Regimen*, quo *Disciplina* comprehenditur, quanto a *regendi* et imperandi potestate longius, et a docendi, ac suadendi conspectu propius abest, tanto puriorem, et ministris Christi convenientiorem, hac parte constituit Ecclesiam: quae regni hujus mundi induit faciem, si *pastores* fiant *rectores*, et doctores leges ferendi potestatem, populo Christiano minime tolerandam, ambiant: cui si cogendi, et inobedientes, caetera bonos et pios, igni ferroque persequendi vim adjunxeris, regimen evadet *Tyrannicum*, et

qui

qui pastores et doctores audire debebant, primum Domini, dein *Tyranni* erunt. Mores membrorum Ecclesiae quo sunt puriores et sanctiores, eo purior erit Ecclesia, quae per vitia et crimina magis minusve deturpatur, sique ea fuerint graviora, pluribus communia, maxime si impune patrentur vel principiis religionis, exemplis, aliisve mediis corroborentur, Ecclesia erit corrupta, *mortuum* verius *cadaver*, quam Christi corpus.

§. III. Controversia, quam de *Antichristi charactere* moveo, non est, num cunctis hisce partibus *Antichristi* Ecclesia non sit *falsa*, sed num illae simul sumtae, an *una* tantum pars, et *quae*, illam hoc nomine dignam reddat? Sit Ecclesia doctrinae ratione *Haeretica*, cultus *superstitiosa* et idololatrica, *regiminis* tyrannica, *morum* impura, quid quaeso horum eam *Antichristianam* facit? sive, quod eodem redit, quid illud est, quod Antichristi notam proprie inurit, quod distinguens ejus criterium? quod, ut ab eo separari nequit, sic cum eo *converti* potest; quo, licet reliqua adsint, negato, ipse negatur; posito, etsi reliquorum nihil adsit, ipse ponitur. Quaero, quae ejus sit *definitio*? sitne *haereticus*, vel *idololatra*, aut *Tyrannus*, sive *Sceleratus*? an hi omnes simul? ita ut in his omnibus ejus character sit situs.

§. IV. Quaesitum sitne vulgatum nec ne, judicent, qui in nostra hospites non sunt scientia: mea num sit persona, et vestra attentione indignum, vos compello judices, A. H. Quod si ea dexteritate, eaque cum gratia, in eo versari liceret, quam, cum materia, tum doctae vestrae aures postulant; quin secundum me sitis pronunciaturi confido. Quod etsi a rigidis mihi promittere non ausim judicibus; a vestra tamen id audeo aequitate et benevolentia. Quod enim orationis flumini deerit, materia, ejusque praestantia et utilitas, apud aequos rerum arbitros supplebit. Utilitas vero, quam notitia Antichristi cum in historia prophetica, tum Theologica scientia, tum religione dirigenda ac Ecclesia, praestat, praestat autem maximam, ea praecipue ab Antichristi *cha-*

ractere est derivanda. Romam, non paganam sed Christianam, esse Antichristi sedem, adeoque Papam Rom. esse Antichristum, si forte determinari posset, sciri tamen eo sine charactere nequit, *quare* sit Antichristus? quando ortus? sintne omnes Papae, an aliqui, et qui? denique num in solos Pontifices Rom., an praeter ipsos in alios, illud quadret nomen?

§. V. Antichristus, ut, aliorum missis opinionibus, in caussam mox ingrediar, si vel Haereticus, Idololatra, impius, mihi propterea, et qua talis, non est Antichristus, sed, si verbo vultis, propter *Dominium* et *Tyrannidem*, qua *Tyrannus Ecclesiasticus Christianus*. Professionis et nominis ergo eum appello *Christianum*, qui Christianae religionis partes, ut ipse eas intelligit et confitetur, tueri se et defendere, ac a contemtu vindicare, prae se fert: qui, etsi vere sit Christi *adversarius*, a se tamen et aliis pro ejus *Vicario* habetur, vim nominis *Antichristi*, quod de ancipiti quid trahit, et aeque *vice*, ac *contra* signat, utroque modo praestans. Huc porro facit, quod in *Templo Dei*, h. e. Ecclesia, ut nostrorum communis fert opinio, *sedere* dicatur 1 Thess. II., huc denique *Pseudo-prophetae* nomen, quo *Bestia ex Terra* prodiens, Ap. XIII. vel ipsa *meretrix*, Bestiae rufae insidens, Ap. XVII, insignitur c. XIX: 20, manifeste collineat.

§. VI. *Tyrannum* cum auditis, de supereminente tantum ne cogitetis *persona*, nequidem de *Domino*, licet fastoso, quod tamen excludendum non est: sed *illegitimum* et *saevum* vobis ob oculos sistatis Dominum, qui, legitimo Domino sede deturbato, imperium in liberum populum, vero Domino subductum, arripit, eumque sibi contra jus et fas reddit obnoxium, leges migrat, libertatem pedibus conculcat, jussa et decreta pro auctoritate praescribit, summa cum severitate exsequitur, eos, qui vel dictis et jussis, vel ejus Tyrannidi sese opponunt, quique agere nolunt obnoxiose, caetera nullius criminis, nisi libertatis et veritatis studii, reos, crudeliter vexat, sive fama et bonis spoliando, sive exterminando, sive mala morte mulctando, sive aliis modis cruciando, ut nihil miseris relin-

relinquat, quam ut ad solum se alligent destituti moerorem. Is est Tyrannus, qui, ut Bonifacii VIII epitaphium habebat, *intrat ut vulpes, et regnat ut Leo.* Alexandros intelligo, Julios et Leones, quae nomina, ut Papis fuerunt in deliciis, sic raptum dominium, et crudele imperium, non inepte exprimunt.

§. VII. *Ecclesiastici* Tyranni nomen, quo ipsum insignivi, intra Ecclesiasticarum rerum limites ejus dominium non constringit, sed *titulum* designat, quo, qua rex et caput Ecclesiae, sese *supereminentem*, ut sic dicam, orbis jactat Dominum, eoque praetextu, ne quid detrimenti capiat Ecclesia, omnia jura divina et humana confundit, summa imis miscet, et sinister fideï ac devius aequi, foedera demergit ponto. Rex sc. *Regum*, *Dominus dominantium*, *Jesus Christus*, verba sunt *Innocentii III.* in litteris ad Angliae regem, (a) *sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchizedec*, *ita regnum et sacerdotium in Ecclesia stabilivit*, *ut sacerdotale sit regnum*, *et sacerdotium sit regale*, *unum praesiciens universis*, *quem unum in terris vicarium ordinavit*, *ut*, *sicut ei flectitur omne genu coelestium*, *terrestrium et inferorum*, *ita illi omnes obediant*, *et intendant*, *ut sit unum ovile et unus pastor.* Ipse ergo leges *canonum* nomine fert, iisque mox *dispensationum* titulo obrogat. Reges per *excommunicationes*, ut dicitur, deponit, et haeresios praetextu in homines saevit per *brachium saeculare.* Ipse denique, ut verbo absolvam, non est *Rex*, sed *reges* ejus sunt *cornua*, quibus innocuos impetit et prosternit, ut bestia Apocalypt. X cornibus ornata, vel armata expingit, vel, ut alterum emblema habet, iis, ut superba *meretrix* amasiis, dominatur, qui circeo ejus poculo dementati in ejus amplexus praecipites ruerunt. Ap. 17.

§. VIII. Atenim, cum *Ecclesiasticus* proprie sit *Tyrannus*, qui in Templo Dei, seu Ecclesia, sedet et dominatur, ejus lineae clarius et accuratius sunt ducendae, ut quid, quis-

a In Specileg. Dacheriano tom. V. p. 573.

ve ſit, nemini non ſit exploratiſſimum. *Tyrannus* eſt, licet nomine papa et paſtor, ſervus etiam ſultis ſervorum, qui non tam docet et hortatur, quam jubet, ſuaque dicta vim *legum* vult obtinere, quibus ordo non tantum ſartus tectus conſervatur, ſed et obligantur conſcientiae: *legum* dico, non quae ab aequitate et juſtitia ſeſe commendant, ſed a *dictatoris* beneplacito auctoritatem derivant, quaeque nullis fere rationibus firmatae populo obſervandae et credendae obtruduntur. *Tyrannus* eſt, qui doctrinas et leges praeſcribit novas a ſupremo Domino non latas, graviſſima onera, eo invito, humeris Christianorum imponit, fundamentales e contra Eccleſiae doctrinas et leges ſubvertit, et falſas, quas ratio et conſcientia reſpuit, ſancit. *Tyrannus* eſt, qui per caedes et vexationes graſſatur, innocentes opprimendo, et per omnes leti vias interficiendo, hoc ſolo nomine, quod Deo magis quam homini obedire geſtiant, Deo hominem aequare, utriusque nomen ac auctoritatem eodem loco habere, vel quod ut libertatem, ſeu ſe, exuant, et beſtiae fiant ex hominibus, a ſe impetrare non poſſunt. *Tyrannum et ille ſeſe* dat, qui occultas nequidem cogitationes et mentis opiniones aliis relinquit integras, ſed eas artibus Diabolicis per exquiſitiſſima tormenta, publice erecto inquiſitionis tribunali, vel invitis extorquet, et ne amicum ſinit ab amico tutum; nec ſacra permittit eſſe parentum nomina. *Tyrannus* ergo eſt, qui in Templum thronumque legitimi regis involat, eo loco moto, aliis legibus et modis populum gubernat, vel iisdem inſtitutis ſuum nomen praefigit. *Tyrannus* denique audire meretur, qui a ſuo ore Chriſti populum vult ſuſpenſum, a ſe leges vult et doctrinam repeti, qui, Chriſti cathedram occupans, quicquid dicit, docet et jubet, cum religioſa vult accipi et obſervari reverentia et obſequio, quique inobedientes multis minis ac cruciatibus eo compellit, aut flammis tradit abſumendos.

§. IX. Talem Tyrannum cum *Antichristum* eſſe teneo, eum ab Haereſi non abſolvo, Haereticum eſſe minime nego, ſed eo nomine et titulo eſſe Antichriſtum inficias eo: nec

nec enim omnis haereticus est Antichristus, nec vice versa, licet quis uterque esse queat. Haereticus Tyrannum induit, cum suas opiniones aliis per fas et nefas obtrudit, alios auctoritati suae vult assurgere, aliorum imperat animis, et libertati manus injicit, denique illos ob dissensum odit, vexat et occidit. In Tyrannidem vergit haereticorum coetus, cum salvo honore, salvis bonis, salva vita et pace, nemini in eo dissentire liceat, cum confessiones eorum faciem praeferunt legum, earumque diris carminibus sancitarum. Haereticum itaque inter et Tyrannum videtis, ni fallor, quid distet: unde quid inter Antichristum et idololatram sit discriminis sua luce effulget.

§. X. Sit Roma Christiana eo sensu *Haeretica*, quatenus fundamento stipulam et foenum, et alia superaedificat, quibus verum illud in obscurum mittitur et subvertitur. Sit *idololatrica*, vel *superstitiosa*, qua praeter Deum Angeli et sancti religiose coluntur, idque, per imagines, cruces, panes, reliquias, quae *superstitio* audit, maxime cum prora et puppis religionis in iis collocetur, et externis cum ritibus interna gratia conjuncta credatur. Faciant ibi in bonos mores publice impetus vitia magno comitatu venientia, Simonia, nundinatio, spiritualis avaritia, superbia, luxus, et libidines. Nihil horum, sola Tyrannis eam *Antichristianam* facit. Haeresios respectu Antichristus appelletur, per me licet, *Pseudo-propheta*, idololatricae superstitionis ratione habita, *Babylonis* emblema ei aptetur, Sodomae imago vitae impuritatem expingat. Solus *Antichristi* titulus, ut Ægypti et Bestiae similitudo *Tyrannicum* regimen et dominium exprimit.

§. XI. Licet sententiam ita mihi videar explicuisse, in quo hactenus fui, ut vobis in eam pronis uti liceat, (quis enim est, qui in hanc ductus cogitationem, inter haereticum, idololatram et Antichristum non mox distinguat, nisi, quod absurdum, quot haereticos, idololatras et impios, tot velit esse Antichristos;) attamen, si vel mea demonstratione minime opus habeatis, me judicii mei rationes explicare, ne quaeso aegre

 feratis,

feratis, nec eos, qui Antichristi jugum feliciter excusserunt, in hac opinione nostra confirmari, nullius quaeso faciatis; nec scio facietis. Erigite ergo mentes, auresque vestras, et me dicentem attendite, dabo operam, quam maxime potero, ut orationem compellam in angustias.

§. XII. Nomen *Antichristi*, a quo primum merito peto argumentum, quo jam Johannis tempore, tanquam signo distinguente, innotuit 1 Joh. 2: 18. qualem quaeso vera sua potestate signat hominem? num qualemcunque haereticum, an talem, qui vim nominis praestat? Johannem eos in genere hoc insignire nomine, qui *Jesum negant esse Christum*, vel *eum in carnem venisse*, qui alias *Gnostici* audiunt, Doctiorum interpretum haud improbabilem ais esse opinionem. Certe, sed quid inde? hinc collegeris Antichristum et *Haereticum* esse eundem? haudquaquam. Concludas, age sane, ergo Antichristus est Haereticus. Sed minime, *unus idemque est*: aliud est, quod ipsum *haereticum*, aliud, quod *Antichristum* reddit. Hoc quid sit, haeres? consule Johannem, et nullo deprehendes negotio, ipsi tales haereticos fuisse in oculis, qui *unctionem* Christi, ad omnia ejus membra defluentem, qua sine Doctore, autoritate praedito, *cuncta* norunt, ad se in specie attrahebant, sibique vindicabant: ideo enim mox subjungit II: 20. *et vos unctionem habetis a sancto:* praeterea, qui se per *Spiritum* loqui jactabant, ut ex IV: 2. altero loco, quo ejus meminit, clarescit, *ne credite*, inquit, *cuivis spiritui* &c. Erant itaque *Pseudo-apostoli*, quo nomine notantur Ap. II: 2. qui Christi aut Apostolorum, adeoque prae reliquis, sibi arrogabant auctoritatem, revelationem praetendebant peculiarem, per quam, quod per rationes non poterant, suam fidem aliis imperabant: ideo ὁ ψεύστης, *mendax ille*, vocatur, idem qui Antichristus 1 Joh. II: 22. quia *Spiritum* falso praeferebat, se Christi vicarium, aut apostolum dicebat, *nec erat*, ut Ap. II: 12. exponitur. Videte, quis sit Antichristi character? quem quia haeretici ejus temporis cum famigeratissimo Antichristo, suo tempore revelando, communem habebant, eodem etiam

etiam nomine notantur, tanquam ejus *praecursores.* Vultis, Pauli verbis falsos illos operarios depingam? ecce ea 2 Cor. XI: 20. *Fertis enim,* ait, *si quis vos in servitutem redigat, vos exedat, sese efferat, vos in os caedat.* Quid plura?

§. XIII. Estne igitur *Antichristus* vi vocis alius, ac qui nomine *vice Christi,* re ipsius *adversarius* est? *Vice-Christi* est, qui se ejus gerit *vicarium* in terris, eandem sibi sumit auctoritatem et potestatem, infallibilis scilicet, vel supremi saltem doctoris et legislatoris, qui sibi loquenti vult credi, et jubenti praestari coecam obedientiam: sed eo ipso, quo hoc prae se fert, se Christo, unico Doctori et Legislatori, qui rivalem non patitur, opponit, maxime cum non Christi, sed sua introducit placita, nec blande et humaniter, ut Christus, sed imperiose et crudeliter cum aliis, qui eidem Domino stant vel cadunt, agit. Hic cum vocis virtute sit *Antichristus,* an alium signare possit, ac cujus lineas supra duxi, ipsi judicate. Sentio enim mihi festinandum esse.

§. XIV. Ingens huic interpretationi momentum addit Paulina descriptio, qua Antichristus tanquam digito monstratur 2 Thess. II: 4. *Adversarius ille,* inquit, *et qui se supra quicquid dicitur Deus aut numen extollit, adeo ut in Templo Dei tanquam Deus sedeat, sese Deum esse ostendens.* Ad quae verba nescio an planior dari possit commentarius, ac quem *dictatus* Gregorii VII, primi Antichristi, seu fundatoris omnipotentiae Pontificiae, ut ipsi loqui amant, suppeditat: ubi, inter alia, in haec verba os superbum erumpit. *Solus Romanus Pontifex dicitur universalis, illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare; solus uti potest imperialibus insigniis. Papae solius pedes omnes principes deosculantur. Illius solius nomen in Ecclesiis recitatur. Unicum est nomen in mundo, illi licet imperatores deponere; sententia illius a nullo debet retractari, et ipse omnium solus retractare potest; a nemine ipse judicari potest. Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura teste, errabit.* Succinit inscriptio Pauli V. quae ita habet. *Paulo V. vice Deo, Chris-*

tianae reipubl. Monarchae invictissimo, et Pontificiae omnipotentiae conservatori acerrimo. Plura similia, si illud nunc agerem, nullo labore proferri possent: sed, quod nostrum scopum ferit, ad illud animos adverti velim, omnes Antichristi characteres, quos Apost. hic signat, ad immensum nos ducere fastum, et hominem oculis subjicere, qui supremam supra omnes sibi adsciscit auctoritatem et potestatem, qua cunctis in terra dignitatibus et potestatibus superior, summus, universalis et αὐτοκρατορικὸς sit, censerive velit Doctor, legislator et Judex, eandemque sibi subjectionem praestari, quae soli Deo debetur. Homo depingitur, qui Deo nil, nisi quod natura humana respuit, relinquit, caetera omnia sibi arripit, titulos, auctoritatem, potestatem, adorationem et cultum. Ne autem quis falso opinaretur, eum Dei esse *vicarium*, a Deo in caput supra omnia evectum, et nomine Dei ea, quae *divina*, seu justa, aequa et bona sunt, agere, prohibet *adversarii* titulus: adeoque genuinus Antichristus est, qui, nomine Christi *vicarius*, re ipsius *adversarius* est, qui sibi, quod Christi est, asserit, quique *libertati*, *rationi*, *legibus*, ordinationibus Divinis, justitiae et humanitati, et quicquid Sanctum, et venerabile est, bellum indixit perpetuum.

§. XV. Nihil hic de haeresi, idololatria, et corruptis *moribus*, cuncta in fastum, elationem, auctoritatem et potestatem, exeunt, adeoque iis in rebus Antichristi characterem esse situm, sole meridiano clarius demonstrant; apud eos utique, qui Apostolum de Antichristo, et non de imperatore aliquo Rom., aut Pseudo-Messia zelotisve inter Judaeos capiunt, quibuscum mihi res est. Illustrior fiet demonstratio, cum observavero, tumidum hocce animal haud obscure a *defectione*, *homine peccati*, et *perdito*, h. e. haeretico, et luxus, ac scelerum plenissimo viro, distingui, ut ex vers. praecedente enitet: non acsi superbus ille *Tyrannus iis a* vitiis necessario esset immunis, e contra, nullus forte eximie sic dictus Antichristus fuit inter Papas, qui non simul sceleratus, sed ut primo verus ejus character in lucem produceretur, dein *temporis*,

poris; quo in scenam prodiret, nota figeretur, quod minus observatum tenebras offudit. Sedes Antichristi non nisi post *apostasiam* et *hominem peccati* erigeretur. Agmen duceret *defectio a* fide et puritate cultus; media incederet incredibilis vitae et morum *corruptio*; quando ex orco tandem prodiret ingens bellua, quae religionis sub praetextu Deo sese aequaret, et ipsum oppugnaret. Recolite nunc mecum historias, et hac cogitatione nihil esse verius deprehendetis. Post V*tum* saec. puritas fidei et religionis contaminari, et cum superstitione commutari coepit. Saeculo VI. ut pauca speciminis ergo attingam, purgatorium, VIII*to imagines* cum sanctorum, reliquiarum, aliarumque rerum superstitioso cultu, vel introductae sunt, vel sancitae. Saeculum IX peperit *Transubstantiationem.* Hanc apostasiam scelerata Pontificum vita excepit. Saeculum enim X papas sistit, omnium consensu, flagitiosissime corruptos. *Per annos fere* 150, inquit Genebrardus, *pontifices circiter* 50 *a virtute majorum prorsus defecerunt.* Audite Aventinum l. IV. et exhorrescite. *Venter, et illa, quae sub ventre, illis Deus erat, vino, otio, veneri et cereri dediti; sacras et profanas litteras juxta contemnebant. Virgines sacratae passim incestu polluebantur. Adulterio nihil communius erat. Arrogantia, superbia, luxus, libido, avaritia, communia sacerdotum mala, invaluerant.* Post hunc hominem *peccati*, ut cum Ap. loquar, sidera sublimi vertice ferire coepit *omnipotentiae Pontificiae fundator*, Hildebrandus, alias Gregor. VII. circa finem Saec. XI. ipseque primus sese, supra omnia efferens, in Templo Dei sedem, tanquam Deus, capessivit. Quis quaeso est, qui ad hanc prophetiae et historiae concentum adverterit, quem lateat, quid causae fuerit Apostolo, in haec tempora a Spiritu translato, Papas iis coloribus depingendi, qui ipsis, sibi ordine succedentibus, competerent; quis qui characterem Antichristi, supra datum, in dubium vocaverit?

§. XVI. Nondum dimitto Paulum, etsi sententiam satis clare dixerit, ut eam undiquaque confirmari elucescat; vers. 7*mo* rationem temporis redditurus, quo in orbem intraret

Antichriſtus, in haec verba loquitur. *Inquitatis myſterium jam agitur, ſupereſt tantum, ut qui nunc tenet, ê medio tollatur.* Sit *ille, qui nunc tenet*, ut communis fert noſtrorum opinio, *imperium Caeſareum.* Si alius ſit Antichriſtus, ac, qualem definivi, *tyrannus Eccleſiaſticus*, ſi ſit *Haereticus*, *idololatra &c.* quae quaeſo *ortus* ejus connexio erit cum abolito *imperio?* quare, hoc ſtante et ſummas in Occidente tenente, emergere non potuit? quot non fuerunt haeretici &c. inter Epiſcopos? quanta non in Eccleſias invaſit ſuperſtitio et corruptio ſub Caeſarum imperio? Concede in meam opinionem, et validiſſimam eſſe *rationem* mox perſpicies. Qui quaeſo Papis ad univerſalem dominatum adſpirantibus obicem poſuerunt? Caeſares orientis, occidentis jam deleto imperio. Ex quo magnis ad illud faſtigium paſſibus gradiri coeperunt? nonne quando ipſis Imperatorum Exarchis faſces deſierunt ſubmittere? Quis tantus in hiſtoria hoſpes eſt, ut illud ignoret? Quid ergo illud eſt, quod quo minus erumpat obſtiterunt Caeſares? quid, quod imperii ruinis ſuperſtructum eſt? nihil praeter *Paparum dominatum.* Ille itaque Antichriſti characterem abſolvat neceſſe eſt. Advertite denique, quaeſo, ad *myſterii*, et quidem *iniquitatis* phraſin. *Myſterium* cum tale quid denotare ſoleat, quod non niſi ex revelatione praeſciri, nec niſi, cum adparuerit, recte intelligi aut credi poſſit, tale quid vix aliud hic eſſe poterit, ac dominium faſtoſum et tyrannicum. Tale quid ſolum eſt, quod a nemine praeſciri poſſit in regno Chriſti oriri potuiſſe, nec antequam in oculos incurrerit, capi, aut pro vero haberi. Non enim in haereſes, ſuperſtitionem, aut corruptos mores, quadrat: cum tale quid oriri poſſe in Eccleſia, pro *myſterio* haberi nequit. Ceterum concinit nomen *myſterii*, fronti meretricis inſcriptum Ap. XVII.

§. XVII. Ad illud obhaereſcis, quod *myſterium* jam Apoſtoli tempore *agi* coeperit? ſed hoc quid quaeſo aliud dicit, ac quod ſupra Johannem audivimus affirmantem, *plures jam tum fuiſſe Antichriſtos* id eſt, fidei dominos, conſcientiarum carnifices, opinionum violentos et furioſos propugnatores,

res, Divinae illuminationis extraordinariae jactatores, et superioris auctoritatis raptores. Tales nec eo tempore, nec postea, defuerunt humani generis pestes, et regni Christi *incubatores*, ut ex supra dictis et historia constat. Et cui demum ignotum esse potest, quid a primis Ecclesiae initiis clanculum machinati sint Romani Pontifices, sedis praerogativa elati; nisi qui ne de nomine quidem norit *Victores*, *Stephanos*, *Cornelios*, *&c.* Quid de dissentientium dicere necesse habeo vexationibus et persecutionibus, quae neminem habent auctorem, nisi Antichristi colore tinctum? Quot enim in mundo sunt, fueruntque, ante vel post famosum Antichristum, vere sic dicti persecutores inter Christianos, tot si majore minoreve emphasi Antichristos dixeris, veritatis et pietatis non fucatae hostes, eos tantum offendes, qui, dum Spiritum Christi cum persecutionibus consistere posse censent, eum ne de facie quidem se nosse ostendunt. Quae tetigisse suffecerit.

§. XVIII. Vocat enim nos *Apocalypsis*, quae duo exhibet *Antichristi* emblemata, alterum Bestiae *septicipitis* et *decicornis* cap. XIII, alterum *Mulieris* ejusmodi bestiae insidentis cap. XVII. Assumamus, licet, ex communi Protestantium fide, a multis adfirmata, has Antichristi esse imagines, quibus Papae depicti sunt, cum nostris enim nunc mihi magis, quam cum Pontificiis intercedit disputatio, qui in quaestionem miserim, *quid*, et non *quis*, sit Antichristus; non *num* Papae Romani, sed *quare* et *qui* ex ipsis sint? Novi equidem, per *Bestiam* cap. 13. intelligi solere ipsum *populum*, et per ejus *capita* Pontifices, sed cum et populus, eam *adoraturus*, eique subjiciendus, ab ea distinguatur, et capita cum *bestia* unum subjectum constituant, diversas haud meliore jure personas bestia cum capitibus expinget, quam corpus *agni* cum capite. Ut enim Christus figurate *agnus*, sic Antichristus *bestia* dicitur in Apocal. ut utriusque oppositae qualitates magis elucescerent.

§. XIX. Hac imbuti opinione, quid illud in Papis sit, quod eos in hanc *Bestiam* verterit, aliunde rectius dijudicari

 nequit,

nequit, quam ex ejus *corpore*, *throno*, *imagine* et *gestis*. *Corpus* ex tribus bestiis erat conflatum: ipsa erat *pardali* similis, pedes ipsi aptantur *ursi*, *os* praeferebat *Leonis*, cap. XIII: 2. Hae bestiae, quae omnes ut sunt *terribiles*, sic humanum sanguinem sitiunt, et in homines irruunt, nescio an alios in Theologia emblematica expingant, si in malum sumantur, ac terrae hominumque vastatores, Ecclesiae persecutores. Sint Haeretici, si velis, *vulpes* et *serpentes*, impuri audiant *sues* et *canes*, etc. *pardi*, ni fallor, *ursi* et *leones* sistunt saevos et crudeles Dominos ac Tyrannos, quorum res igne aguntur et ferro; qui terrorem circumducunt, et quos omnes odio habent et fugiunt. Interpretes, etiam Doctiores, in *Pardo* ad ejus *maculas varias* oculos flectunt; sed si ejus *ferociam*, qua nulli secundus est, ad animum revocassent, rectius sine dubio fecissent: prius enim illud levius est, quam ut hic locum reperire possit. Ferocissimum itaque hocce animal, saevum et crudele, a quo nil nisi *terror* et *caedes*; quo quaeso fini Antichristo aptatur, nisi ut ejus *character* inde eniteat? Ecquid enim rei figuratae *naturam* definiat, si ipsum emblematis *corpus*, ut sic dicam, illud non faciet? poteritne alius *imaginis*, alius *rei expictae* esse character? Qualis itaque *bestia*, talis ipse Antichristus, ipsa tota est *fera* et *saeva*. *Caput Leoninum* in specie superbum et crudelem exhibet principem, sese in caput et regem super omnes efferentem, et in quoscunque, qui obstiterint, sine discrimine saevientem. In *ore Leonis* ad *vocem* bestiae respici, qua cum blasphema et grandia eloqueretur, tum *sanguinaria* promulgaret decreta, et ferret sententias, mihi quidem a vero prope abesse videtur: sed dicta nunc sufficiunt.

§. XX. Eodem collineat *thronus*, et origo potestatis hujus bestiae. *Draco* enim ipsi *dedisse* dicitur *suum solium*, *suamque potestatem*, vs. 2. Satanas itaque, qui *Draco* est, ê coelo praecipitatus, cum in bello per Caesares Romanos cum Christianis, a medio circiter Saec. III. agi coepto, inferior *regnum* perdiderat, Christiana religione primas tenente in orbe Romano,

Romano, hic in *Bestia* revixisse censetur, cum *solium* et *potestatem* suam ad ipsam transtulerit. Quae vera clavis est, ut id obiter moneam, aenigmatis Bestiae, quae *mulierem* portavit cap. XVII. quo bestia dicitur *fuisse*, *et non esse*, *licet sit*, quod maximis interpretibus inacessum fuit, reserandi. Bestiae illa est ipsissimus hicce *Draco*, seu Satanas, sicut *mulier*, ab ipsa vecta, Antichristus et Pseudo propheta, quod Interpretes fugit. Satanas *fuit*, cum per Ethnicos Romanos nomen Christianorum *deletum* vellet, et *non est*, *licet sit*, ita nunc non est imperio Romano Christiano facto ê pagano, sed mutato nomine eadem luditur fabula, eadem scena: quod enim tunc per Caesares paganos, id nunc per Tyrannos Christianos agit. Unde, ni fallor, videtis, *thronum* Satanae esse *persecutionem*, et *potestatem* ejus *tyrannidem*. Huc *Draconis* nomen, huc bellum ejus cum sanctis cap. XII, huc *throni* ejus intellectus emblematicus in Apoc. nos vocat: illustris in hanc rem locus est Ap. II: 13. *novi tua facta*, inquit Dominus in ep. ad Pergamenos, *et ubi habitas*, *ubi Satanae solium est*. Quantam crucem hic locus etiam doctis fixerit, dici nequit, quod, *Satanae thronum* nil nisi *persecutiones* delineare, non fuerint odorati, licet sequentia verba nihil *aliud* spirent: *Antipas fidus testis*, *apud eos dicitur interfectus*, *ubi Satanas habitat*, Et quid eo facilius? ubi fidei causa instituitur persecutio, ibi *Satanae thronus* erigitur, sive inter Paganos, sive Christianos. Alium enim non habet *auctorem* persecutio ac Diabolum, nec alius praefert imaginem, ac ejus, qui *instar Leonis circumcursat*, *ut videat quem devoret*, quique *homicida fuit ab initio* (a) Divina veritatis propagandae media sunt *spiritualia*, *rationalia*, *libertati* et *rationi* nostrae congrua, et *religioni*, quae sine interna persuasione et amore veritatis ac pietatis inane nomen est, unice amica: sed violenta media, quae fidem vel invitis obtrudunt, et confessionem volentibus nolentibus extorquent, vere *diabolica* sunt, quae praeter *hypocrisin*, *perjuria*, *odia* nihil producunt, veram religionem omniaque ejus semina exstirpant.

(a) Disserui ea de re in *Sermone tertio* uberius.

ſtirpant. Perſecutores recte dixeris *Diabolos* in terris, vel qui cunctas diaboli *iras* induunt, quibusque ipſe mentem dat. Denique, addam et illud, thronum Satanae tenere, qui ſibi id, quod ſolius Dei eſt, blaſpheme arrogat, auctoritatem animos ligandi, leges fidei praeſcribendi, nec non *cultum* et *adorationem*. Draco enim et hic ut *Deus* introducitur, ut ex cap. XII. manifeſtum eſt.

§. XXI. Age, ſis nunc, oculos defigamus in *imaginem Beſtiae*, cap. XIII: 14, 15. quam altera illa beſtia, quae, *duobus* licet *agni cornibus praedita*, tamen ut *Draco loquebatur*, effingeret; quippe quae, ſi archetypo ſit reſponſura, *beſtiae* characterem omnium optime exprimere poterit. *Imago* enim Beſtiae ejus eſt repraeſentamen, quod ipſam eam ob oculos ſiſtit, in quo conſpicitur ejus indoles, et ex quo dignoſcitur. Quid nunc haec erit *imago*? animatum aliquod ſimulacrum, *quod loquitur*, quodque, ut qui *imaginem beſtiae*, ſeu beſtiam, cujus eſt imago, v. 12. non *adoraverint*, *occidantur*, efficit, ut vs. 15. traditur. Illud quid ſit, ante eventum fere myſterium fuit; ſed, eo cum hac prophetia collato, quin *Tribunal inquiſitionis* per hoc emblema fuerit expictum, quae Cl. Commentatoris docta eſt cogitatio, vix dubitari poterit. Luculentius utique et exactius auctoritatis et poteſtatis Papalis, ſeu beſtiae Pontificiae, *repraeſentamen* nullum vel fingi poteſt aliud. Eſt enim, ut omnes, qui libertatis et humanitatis nondum ejurarunt ſenſum, conſentiunt, *dominationis* et *tyrannidis* Pontificiae apex. Infernalis autem hicce ſenatus, qui Papae perſonam repraeſentat, ejusque excercet poteſtatem, cui Papalis furor rabiem addit in Eccleſiam, cum *inquiſitionis* ſit tribunal, concilium horrendum, quo conſcientiae equuleo imponuntur, haeretici, ut dicuntur, vere paſſim veritatis et pietatis ſtudioſi, et libertatis vindices, igni addicuntur et flammis, quam quaeſo ipſius *beſtiae* praebebit ſpeciem? aliumne beſtiae ſiſtet *characterem*, ac *dominatum* et tyrannidem ſpiritualem? Ex hoc enim ſacerrimo tribunali, ſi de beſtia judicium ſit ferendum, quod *imaginis* conſpectus omnino requirit, nil niſi *ſaeva* et *fera* ſit bellua, neceſſe eſt.

§. XXII. Testentur denique de Bestiae natura et indole ejus *acta* et *gesta*, quae quin pro ejus signis recte habeantur, quis est, qui dubitare ausit? illa nunc omnia in vexationes, et caedes innocuorum, qui Christo et veritati sacramentum dixerunt, exeunt, easque non laeves, sed dirissimas et atrocissimas, nec occultas sed publicas, non paucas sed innumeras. *Bellum* enim *gereret cum sanctis* c. XIII: 7. et, quotquot ipsius tyrannidi colla subdere recusarent, pedibus traheret et discerperet vs. 15. testes veritatis, et *aeterni euangelii* praecones bello vinceret et *interficeret* c. XI: 7. idque publice in magnae civitatis foro, in omnium oculis. Meretrix Johanni visa est *sanguine sanctorum et testium Jesu ebria* XVII: 6. et *sanctorum vatumque sanguinem effudisse* dicitur XVI: 6. Illud peculiarem meretur animadversionem, quod *os* ipsi dicatur datum *magna* et *nefanda* sonans, quod resolveret in blasphemiam adversus *nomen Dei*, *tabernaculum et coelicolas*, XIII: 5, 6. nec haereticam intellexerim cum Interpretibus *doctrinam*, nec *idololatriam*, licet hanc *blasphemationis* nomine apud Hebr. venire non nesciam, quia aliud est, Deum *cultu* suo diffamare, aliud *os* in blasphemiam aperire, deinde *magna* et *nefanda* loqui conjungitur, denique *sanctos* non nisi remote is *blasphemiis* dicitur proscindere, qui eos religiose colit. Quid itaque? *Os* magna et contumeliosa loquens mihi est os superbum, sibi, quod Dei est, impie rapiens, os imperiosum et arrogans, os tyrannicum. Is itaque notatur, qui summam sibi et divinam in alios vindicat auctoritatem et potestatem, dominium in hominum animos, quod Dei solius est, denique, qui decreta condit et effert Deo injuriosa, et hominibus perniciosa, decreta sanguinaria et tyrannica. Is itaque, cujus *os* magna et nefanda effutit, non est *haereticus* et *idololatra*, sed qui haeresin cum imperio docet, et idololatriam ut legem, non sine vitae dispendio negligendam, praescribit. In specie *os* blasphemum dicitur in *Dei nomen*, h. e. auctoritatem et cultum, cum quis in ea, quae Dei propria sunt, manus injicit: in *Tabernaculum* h. e. Ecclesiam, cum in ejus probra linguam agitat, falsa ei im-

putat crimina, male *ominata dicta* in eam projicit, denique eam honore et bonis suis privat, eam sibi in servitutem subjiciendo. In *Coelicolas* h. e. proceres et rectores, in primis Ecclesiasticos, qui exercitus *coelorum* dicuntur Dan. VIII. et *altum incolere* Jes. XXIV: 21. quo sensu idem fere erit, ac quod in haereticis sui temporis, licet molliore sensu, Apost. reprehendit, *eos dignitatibus maledicere*, Jud. vs. 8.

§. XXIII. Alterum Romae Christianae emblema, a *muliere libidinosa*, et *meretrice Babylonica* petitum Ap. XVII. etsi prima specie nihil praeter superstitionem, idololatriam et luxum, expingere videatur, longe aliud tamen in recessu habere, et eodem, quo superiorem *bestiae* imaginem, tendere, luce meridiana clarius ei apparebit, qui, ad illud accuratius attendens, picturam non esse *mulieris* observaverit, quae, legitimo sese subducens marito, falsis sese subjicit numinibus, sed quae *scortationis* medio amasios, in potestatem suam redigit, et naso quasi ducit; quae illos, poculo amatorio dementatos, et in sui amplexibus irretitos, tanquam mancipia tractat, imperiose nimirum et tyrannice. Roma itaque Pontificia non est *meretrix*, qua *idololatrica* simpliciter et *corrupta*, non est hic ejus character; sed quae saevi et superbi prostibuli instar populos per libidinem decipit, sibi devincit et subjicit; aliosque, qui vinci nequeunt, crudeliter vexat. Quo emblemate tantum abest ut nostra de Antichristi charactere opinio labefactetur, ut haud levi argumento corroboretur: modo hunc verum ejus esse conspectum certum sit: est autem nihil certius. Mulier in multis *aquis sedere* dicitur instar reginae, imperium in multos populos obtinens, ipso Angelo interprete, vs. 15. cum ea *reges terrae* dicuntur *scortati* vs. 2. quod vs. 18. per *regnum in reges terrae* exponitur, qui eam ob caussam cum ipsa muliere illa *idololatriam* committere, et se ipsius *libidini* tradere dicuntur. Poculum *amatorium* significat superstitionem idololatricam, cujus medio reges et populi huic *mulieri*, seu Romae devinciuntur, quod probe notandum, vs. 4. aliud ergo cum *ea scortari*, aliud *idololatriam* exercere, cum haec philtri et poculi

circei

circei specimen praeferat. Praeterea insidet meretrix *bestiae coccineae* h. e. draconi rufo cap. XII. seu Diabolo, a quo regitur et ducitur; haec enim bestia ab ea, quae cap. XIII. depingitur, omnino est distinguenda, ut ex utriusque descriptione liquet. Quae latius exequi nequeo. Denique, quod *Sanctorum sanguine* dicatur ebria, vs. 7. eodem manifeste tendit.


§. XXIV. Hactenus disputata de dominio et tyrannide, charactere Antichristi et Bestiae, etsi omnium calculo hanc caussam reddiderint dignam, firmissimum adhuc robur ei addit *periodus* Ecclesiae, in qua caput exereret secundum *Prophetias*, et extulit secundum *historiam*: et haec et illae in eundem characterem conspirant. Ex prophetiis nobis nunc quintum sufficit *sigillum*; quod cum *animas occisorum* propter *testimonium* Christi exhibeat, hunc tyrannidis caracterem vel solis radiis conscribit. Ap. VI: 9. Historia Ecclesiae a Saec. XII, quo Antichristus dominari coepit in Ecclesia, nihil suppeditat, quod magis in oculos incurrit, praeter *papalem dominatum*. Quae si fusius et pro rei merito enarrare vellem, et vestra abuterer patientia, et me *temporis* ac *diei* nullam habere rationem patefacerem, quare aliae id reservabimus occasioni, si vobis ingratum non fuisse hoc argumentum intellexero.

§. XXV. Eant nunc Pontificii, et inter Papas Romanos Antichristum quaerendum esse inficiari desinant, cum Paparum hic character vel invitis in oculos se ingerat: sed et nobis caveamus, ne Papas atro hoc carbone sine discrimine notemus. Sint nobis praeterea tot *Antichristi*, quot in orbe Domini fidei, et libertatis conculcatores, fidei et opinionum caussa persecutores. Tales ne inter Reformatos, qui per summam Dei benignitatem Antichristi dominio colla subtraxerunt, capita extollant, ardentibus a Deo contendamus votis. Nos utique, Deo Domino nostro omnia committentes, nemini nos servos aut tyrannos exhibeamus, ut salutare Marci Impatoris monitum nostrum faciamus. Calces ne illidamus stimulis; ne quod ex Deo est oppugnemus, pro Deo ne *litigemus*; certi, quod

Deum non habet auctorem, nostro non indigere impetu ut ruat. Sed *innocentiam per gradus certos*, ut Quinctil. ait, *ab homine discedere, et ne in maximis trepidet audacia, diu vires in minimis colligere*, simul cogitemus.

Conserva hunc animum, summe Deus! in Patriae Proceribus, Magnificentissimo hujus Athenaei Curatore, reliquisque Quatuorviris: spirent Ecclesiarum Antistites divinam hanc virtutem. Bella ne ferantur in juvenilibus pectoribus in Academiis. Floreat inter nos veritas, pietas et concordia, in longa saecula. Amen.

D I X I.



SERMO

SERMO ACADEMICUS SECUNDUS.

DE METHODO QUAESTIONIS DE ANTICHRISTO TRACTANDAE, ET PERIODO ANTICHRISTIANA.

§. I.

AD illustrem dicam, an famosam de *Antichristo*, et *Bestia decicorne* ac *septicipite*, regno Papali, nec ne? controversiam, quae Christianos, maxime a tempore Reformationis, secum commisit, tantosque animorum fluctus concivit, illis hanc notam Romanae Ecclesiae inurentibus, his haud minore molimine foedam hanc maculam sibi et capiti Ecclesiae suae abstergentibus; et ubicunque potius, quam in sui gremio tam truculentum Christi adversarium quaerentibus, quoties mentem adplico; toties succurrit, quid causae sit, quare tot libris, magno cum labore, multoque eruditionis adparatu,

utrinque conſcriptis, tam parum profectum ſit? cur Pontificiae ſectae viri aeque, ac cum haec ſerra reciprocari coepit, ab hac opinione abhorreant? Eſtne illud verbi Prophetici, aut obſcuritati, aut defectui, vitio vertendum? nihil minus. Licet enim nonnulla involutius, tanquam Oracula, in eo fuerint prolata, quae haud vulgari inſtructum eruditione, et anteceptis, ac male conſultis, opinionibus cum vulgo non laborantem, requirunt Interpretem: tantum abeſt, ut in vaticinia de Antichriſto haec quaerela cadat, ut nihil ſit in toto verbo Prophetico aut clarius aut uberius repraeſentatum. Quod cavete de aliis partibus, ac 2 Theſſ. II. et Apocal. dictum putetis. Aliis enim in locis qui hujus Beſtiae lineas quaeſiverit, niſi ſenſu forte penitiore et indirecto, quo apud me loco ſit dicerem, niſi magna me deterrerent nomina. Sed in locis modo ſignatis tam copioſe, tantisque coloribus depingitur, ut, qui in eorum conſpectu collocatus eſt, Antichriſtum, cum in publicum prodierit, vel digito monſtrare debeat. Quod non ita velim acceptum, acſi in tota illa pictura Apocalyptica ſeſe nihil obſcuri offerat: nodos enim, quos qui ſolverit mihi magnus erit Apollo, agnoſco, et ubi reſident probe novi; atenim, qui eſſentiales Antichriſtianae periodi lineas obſcurius dixerit ductas, ei vel lumen ademptum crederem.

§. II. Penes quos itaque culpa reſidet? Pontificios, an Proteſtantes? His qui ſolis dicam ſcripſerit, nae is vel in eorum ſcriptis, tanta copia emiſſis, tam exquiſite et erudite elaboratis, hoſpes, vel iniquus admodum cenſor ſit, neceſſe eſt. Pontificii itaque nihilne excuſationis, ſi non plenae, illius ſaltem, quae prorſus improbari nequeat, habent? hoc ut credam, amor non tantum proximi, ſed et illud vetat, quod haud ſine ratione errent. Itane, dicet Zelota aliquis, Tu inſulſis eorum argumentis, quibus aut jam dudum diſparuiſſe, aut nondum adparuiſſe Antichriſtum adfirmant, aliquid roboris ineſſe fatebaris? in horum enim alterutrum pedibus eunt Pontificiae ſectae addicti; dum alii imperium Romano-paganum, quod ante Conſtant. M. nihil non egit, ut nomen ſuum per Chriſtianiſmi

mi sepulchrum aedificaret, in scenam producunt; alii, communem Ecclesiae suae viam magnifice incedentes, in Antichristum aliquem Judaeum offendunt, qui, ex tribu Dan haud diu ante mundi finem oriturus, in Christianos qua arte qua marte per tres annos et dimidium immaniter saeviturus, Henochum et Eliam, denuo in mundo comparituros, occisurus, et per mille strages in propriam perniciem iturus est, a Christo miraculose prosternendus. Rationes, quibus haec commenta innituntur, ne quidem cum antiquissima Patrum traditione conjunctas, tanti valere censeo, ut animis, veri studiosis, convincendis pares sint. Sed hoc ipsum est, quod mentem identidem ferit, cum in illud quaesitum defigitur, quid tandem sit, quod viros, nec eruditione destitutos, nec perditi animi, quales inter eos esse, quis tam imperitus aut inhumanus est, ut infitiari ausit, transversos rapit. Imago Antichristi, quae ad vivum exstat expressa in Scriptura, regnum Papale exacte refert; Pontificii coecutiunt in eo monstrando; nec tamen aut caeci sunt, aut stupidi, aut lucifugae et veritatis hostes jurati. Quid itaque impedit, quo minus Antichristo, ut a Protestantibus depingitur, locum inter Papas dent? maxime, cum inter eos neque haereticos, neque profanae vitae et diabolicis artibus deditos, defuisse, nonnulli cordatiores ex ipsis non diffiteantur: quid rei, quod ab Antichristis inter eos admittendis tantopere alienos se praebeant.

§. III. Has rationes sedulo investiganti, ex illis, quae sub manus venerunt, *prima* sit, quae aut falsos, aut minus essentiales complectitur Antichristi characteres; qui, si obtineant, totius religionis Pontificiae ruinam secum trahunt. Unde oritur, tum quod disputatio de Papis Antichristis cum ea de ipsa religione commutetur, et infinitas pariat quaestiones, quae exitum non reperiunt; tum quod vel nec solos Papas, vel nec illos, hac infamia laborare, hinc haud sine ratione colligendum videatur. Hunc in censum veniunt, ut aliquas earum notarum commemorem, 1. falsae doctrinae Papatus, ut de satisfactionibus propriis, de meritis bonorum operum,

de corporali Christi praesentia in coena, de efficacia sacramentorum, de purgatorio, de traditionibus, 2. cultus superstitiosus sanctorum, reliquiarum, imaginum, crucis, et panis missatici, 3. abstinentia a carne, 4. Clericorum ordines, et in specie supremus et universalis Episcopatus, 5. denique *coelibatus* Clericorum, et confessio auricularis. Haec, et horum similia, inter Antichristianismi notas relata, quid quaeso aliud producent ac 1. immensam quaestionum sylvam, prolixas, ad ipsam religionis animam pertingentes, disputationes. 2. Varia, nec facile evellenda, contra Protestantium opinionem de Antichristo, praejudicia, quae vel clarissimae demonstrationis vim retundunt. Haeccine Antichristi criteria, clamabit Pontificius, quae tanquam fidei et religionis meae capita toto animo amplector? quae continua traditione, ab antiquissimis ducta temporibus, ad nos manarunt, et per tot saecula a quibusvis piis et sanctis viris, ipsis Protestantibus non negare ausis, credita et exercita; haeccine, quorum praecipua habemus cum Graeca Ecclesia communia? quid itaque prohibet, quo minus omnium fere seculorum per orbem Christianae Ecclesiae sint, et adpellentur Antichristianae? Haeresis si Antichristum definiat, tot sint Antichristi, quot haeretici oportet; adeoque ut nos Protestantibus, sic illi nobis erunt, et quo plures inter eos, eo certius *bestia* multorum capitum inter eos quaeritur. Denique, si conjugia prohibere, et carnis esu interdicere, sit character Antichristi, ut Protestantes contendunt, Romana utique Ecclesia ab ea labe erit immunis pronuncianda. Conjugia tantum abest, ut tanquam quid impuri damnemus, ut pro re sacra habeamus, nec alia de ratione clero coelibatum injungamus, nisi ut sacris eo liberius defungantur, et perfectius degant vitae institutum, plane ut Apostolus Paulus vitam coelibem eam ob causam praetulit. Ciborum vero abstinentiam cum jejunii et ἀσκήσεως tantum gratia inperemus, quid hoc cum iis, qui cibos nonnullos ut mali creatoris opus adspernati sunt, de quibus loquitur Ap. 1 Tim. IV. commune habet?

§. IV. Longum foret per singula ire, et quid haud sine

sine specie ab ipsis regeri possit, recensere. Aliud est, haud levioris ponderis praejudicium, quod ipsos impeditos tenet, ex diversis non tantum, sed nonnullis valde paradoxis Protestantium opinionibus de *tempore* orti Antichristi, natum. Hoc enim de quaesito si ad Protestantium Senatum retuleris; tot tamque diversa feres responsa, ut incertior abeas quam veneris, nec ubi pedem fixeris invenias. Alii, (ut Coccejus,) ab exitu seculi III repetunt, quo Constantius Chlorus se Christianorum professus est patronum; ut terminum Antichristianismi, quem 1260 annorum esse autumant, figere queant in Transactione Passaviensi, a. 1552. Alii, (ut Brigtmannus,) epocham ponunt in anno 306, quo Diocletianus et Herculeus se imperio abdicarunt, et per X cornua totidem Imperatores a Const. M. ad Theodosium intelligunt. Alii, (ut auctor *Vti* imperii) ad initium Seculi V te mittent, et primum Antichristum Innocentium I monstrabunt. Alii a medio, alii a fine Seculi V (ut Gurtlerus,) derivabunt, quando X illa regna originem coeperunt, quae bestiae cornua censentur. Nec desunt, (ut Launaeus ad tubicinium III) qui Gregorium M., qui exeunte Sec. VI sedem tenuit, ipsum eum, qui in titulum Episcopi Oecumenici, tanquam notam Antichristi, debacchatus est, in Antichristum transformant. Communior denique opinio, quam

Defendit numerus, junctaeque umbone phalanges,

fert, Antichristiani regni fundamenta in titulo Episcopi Universalis, quem Phocas Imperator in Bonifacium VIII contulisse traditur, Sec. VII esse jacta.

§. V. Hanc Protestantium fluctuationem, has tam alte repetitas Antichristi origines, quibus quaeso animis accipient Pontificii? *primo*, ni fallor, tanquam admirabundi rogabunt, unde, cum Antichristus tam perito et adcurato penicillo est effictus, ut, ubi in scenam se produxerit, digito monstrari possit, et dicier hic est, tantum opinionum divortium? quin etiam, cum hoc clarae ejus descriptioni repugnet, Papas temere tanquam Antichristos traduci, hinc colligent. *Secundo*, Papalis

 sedis,

ſedis, quae ad hoc usque tempus ſe tuetur, tam longa duratio, per tot ſecula continuata, ſi ea ſit Antichriſtiana, cui bilem non moveat? *Tertio*, qui fieri queat, ut, qui millenarium ſanctorum regnum, de quo Ap. XX. et ligati Satanae periodum per eadem ſecula decurrere ſtatuunt, quod iidem faciunt Theologi, in manifeſtae et turpis contradictionis notam non incurrant? Quid enim? et beſtiae et Chriſti regna uno eodemque tempore ſecum conſiſtent? ligati et in Antichriſto ſoluti Satanae eadem jam erit periodus? *Quarto*, ea per ſecula, in quibus tot Concilia Oecumenica, illibatae apud ipſos Proteſtantes auctoritatis, ſunt celebrata, tot ſancti et illuſtres floruerunt Doctores, tot bonae leges in uſum Eccleſiae latae ſunt, tanto denique ſtudio et paganismus eſt debellatus, et euangelium per populos ſeptentrionales in primis diſſeminatum, Antichriſtum primas tenuiſſe, qui ſceptra duro ſaevus imperio regit, quis ſine indignatione et horrore audiat? *Quinto*, Antichriſtum, quo tempore ex cubili proſilierit, quin prudentes et pii viri ſint notaturi, cum fieri nequeat: quis quaeſo eſt, qui Papas per ea ſecula hac infami nota adfecit? nonne tanquam primae ſedis, principis loci praeſules ab universa Eccleſia conſulti ſunt? *Sexto*, character Antichriſti ſi, ut ipſis illis auctoribus placet, ſit, haereticas opiniones et idololatricum cultum in Eccleſias invehere; quid vel in cauſa fidei definitum eſt, quod haereſin ſapit, vel in cultu eſt innovatum, quod Eccleſiae communi conſilio non fecerunt? ipſe imaginum cultus nonne Orientalibus ſuos debet natales?

§. VI. *Septimo*, denique, ut arcem cauſae invadam, quid Primatus Paparum, quid oecumenici titulus habet, quod Antichriſti infamiam mereatur? ecquis enim tantus eſt in historia hoſpes, ut hunc titulum et Patriarchis Conſtantin., et aliis fuiſſe communem, neſciat? Quid, ſi primatus facit, ut homo in beſtiam tranſeat, quid inquam, Patriarchis, Metropolitanis, imo Epiſcopis, fiet? Isne, qui univerſalis eſt, omnium dioeceſium Epiſcopus, majore jure audiet Antichriſtus, quam qui

aliquas tantum aut Provincias, aut dioeceses, pastorali curae habet subjectas? Quid hic admodum discriminis, quam in majore minoreque Ecclesiarum numero? isne tanta virtute magica pollebit, ut hominem ex homine tollat? et qui modo verus erat Episcopus, cum ditionis pomoeria erant reductiora, mox, illis dilatatis, Antichristus ex Christi vicario fiat? Dicamus, quod res est, vel omnes Patriarchae et Episcopi hoc nomine infames eant, vel Papae, qua universales Episcopi, ad belluas ne ablegentur. Regimen si Ecclesia Christi non respuit, in hac illave regiminis forma, modo absit tyrannis, ne quaeramus tam terribilem bestiam.

§. VII. Novi equidem, quod per omnium ora volitat, Gregorium M. in hunc titulum, quo tempore Patriarchae Constantinop. in eo nimis arroganter se jactarunt, hostilem fecisse impetum, eumque, tanquam Antichristi insigne, severo stylo perstrinxisse: verum, licet unius, ejusque modestissimi Domini, seu Ecclesiae ejus, ministris, quales omnes sunt Ecclesiae praesules, nihil minus convenire, imo esse superbiae alendae ac tyrannidi producendae, in primis si ad nomen *res* accedat, quam aptissimum, non abnuerim; illud observari velim, nec hanc ejus tituli hoc tempore fuisse potestatem, nec Gregorium jure merito tanta cum vehementia in eum fuisse invectum, sed invidia tactum et aemulationis oestro percitum rem exaggerasse, et invidiose traduxisse; ne nunc dicam, Gregorio ne per somnium quidem in mentem venisse Antichristum, qualis postea ex orco erupit. In ejus itaque declamationibus qui tanti momenti rem, ut est Antichristi, fundaverit, is profecto nec quid sit saevus hic hostis, nec cujus indolis, quae nullum scivit modum, fuerit Gregorius, qui primus se pro adfectata et inepta sua modestia *servum servorum* inscripsit, nec quae duas inter sedes, Romanam et Constantin., intercesserit aemulatio, aut perspexerit, aut ad animum revocaverit.

§. VIII. Sed, ut liberalis sim, praeferat hic titulus Antichristi tenuem aliquam speciem, quis, *primo*, veritatem fac-

ti, quo titulus ſuprema Imperatoris auctoritate in Bonifacium ſolemniter eſt translatus, praeſtabit? ne nunc dicam, nullam fingi poſſe rationem, quae Phocam ad Papas Patriarchis Conſt. praeferendum movere potuit, nec ullam eſſe prolatam, quae ſe tueri queat; quis Graecorum ejus rei unquam meminit? cedo vel unum ex Latinis ejus ſeculi. Eſtne ex Papis ſequentis temporis aliquis, qui in contentionibus de primatu cum Orientalibus ad hoc decretum provocavit? Verum, quod certius ferit, quis ante Gregorium VII. Sec. XI. ex Papis hunc titulum geſſit? quid? quod Leo IX, Gregorio paulo antiquior, neminem Paparum ad ſuum usque tempus eo prorupiſſe ſuperbiae teſtatur, ut reliquis titulis hunc adjunxerit: accedit, *ſecundo*, tum Papas ſeſe neque jactaſſe hoc tempore, neque habitos fuiſſe Epiſcopos Univerſales, qui *rem*, titulo ſubjectam, exercent; tum Patriarchis Conſtant. et eodem titulo, et eadem poteſtate, fuiſſe gaviſos, ac antea, utriusque ſedis, Romanae et Conſt., dignitate et auctoritate, ipſo hoc Sec. VII., in Synodo Quini-ſexta aequata.

§. IX. Papas, jugo Graecorum excuſſo, et Longobardorum dominio ereptos, criſtas progreſſu temporis erexiſſe, ſibique, qua Chriſti vicariis primis, (et hoc enim nomen cum aliis Epiſcopis habuerunt commune,) praecipuam rerum Eccleſiaſticarum curam et ordinationem, prae reliquis totius Orbis Epiſcopis, adrogaſſe, me non latet; ſed nec illud; eos et Synodorum generalium decretis fuiſſe adſtrictos, et Regibus Francorum multis modis obnoxios; utpote penes quos erat ſuprema poteſtas canones Eccleſiaſticos condendi, Synodos cogendi, electiones Epiſcoporum aut faciendi aut confirmandi. Fuerint itaque Papae Epiſcopi Oecumenici, et vicarii Petri, nec tamen ſoli aut nomen, aut rem, tenuerunt; adeoque eo non magis nomine Antichriſti, quam reliqui Patriarchae et reges Francorum. Agnoſco, poſtremo, ne aliquid reticeam, Papas dominium aliquod temporale, ut dicitur, variarum terrarum et regionum poſſeſſionibus per Pipinum et Carolum ipſis conceſſis, acquiſiviſſe Sec. VIII, imo, fultis, reip. Romanae

nae vel Urbis Romae veros et proprios fuisse dominos, de quo tamen disputari potest. Sed hincne, Papas esse alteram illam Bestiam Apocalypticam, duobus agni cornibus praeditam, cum Docto aliquo Interprete (Brigtman.) extundendum est? Quid tot territoriorum Dominis Episcopis, Sec. X. per Ottonem introduci coeptis, tunc facias? Tantum refert, sive ab Ecclesia alantur, sive proprias possessiones, Episcopatui adnexas, teneant, ut mox monstra fiant, qui antea legitimi audiebant Episcopi? quod nec terrarum Domini nec Episcopi sejuncti merentur, illud utraque dignitas in uno conjuncta faciet? Reges, si suprema in rebus Ecclesiae curandis auctoritate, sine hac contumelia, utantur, Episcopi res civiles in suo territorio ea cum potestate non poterunt administrare, quin mox Antichristi sint?

§. X. Videtis, ni me omnia fallant, et, ne in vobis ad id, quod in hoc sermone directius intendo, praeparandis, longiores moras traham; videtis, vel omnem spem gravissimae quaestionis finiendae decolasse, vel in aliam esse conjiciendam formam, et alia methodo ventilandam. Quam dum coram oculis vestris explicare adgredior, vos favete, aequisque et animis et auribus adeste; ut quid hac in causa recte sit peractum, quidve restet, dijudicetis ipsi. *Primum*, et ante omnia velim, ut mox in rem veniam, ambagibus praecisis, inter Antichristi characteres negantes et adfirmantes, rite distingui: deinde essentialia ejus *criteria* clare definiri, et demonstrari: denique ex historia Ecclesiae illud hominum genus in lucem edi, quod characteres illos ita expressit, ut et eorum temporum homines illud viderint, et nemo nisi aut historiae imperitus, aut Pyrrhonista, nunc negare queat. Characteres *negantes*, quorum ea est natura, ut, si in aliquo requirantur, eum negent esse Antichristum Apocalypticum, si vero in aliquo sint, eum nondum evincant esse, ad locum, tempus, religionem, aliasque circumstantias pertinent, suntque ex gr. sedem Antichristi esse *Romam*, professurum eum esse religionem Christianam, sed superstitione multiplici violaturum, non

nisi post imperium Romanum eversum esse in lucem publicam proditurum. In his et horum similibus adstruendis id operae collocarunt Protestantes, ut, si nihil obstitisset, Pontificiis os fuisset occlusum.

§. XI. Hac de characteribus negantibus disputatione ad finem perducta, mox alia de *essentialibus* et *adfirmantibus*, succedat, quorum ea est virtus, ut Antichristum, tanquam propria ejus criteria, constituant et distinguant. Hos characteres nec in *haeresi*, nec *superstitione*, nec *morum* corruptione, nec denique in hac illave regiminis forma, sive presbyteriali, sive Episcopali, sive Primatu; sed in tyrannico conscientiarum dominio, quo religio, tanquam lex a suprema auctoritate, non tantum praescribitur, sed et vi obtruditur, et, si qui obedientiam aut adsensum denegant, diris devoventur, ipsis aqua et igni interdicitur, imo ex hominum societate expelluntur, flammis, ferroque traduntur: in hac inquam, animorum carnificina et tyrannide si coire demonstretur, ut proxima oratione factum esse praefiscine dixerim; illud *primo* inde nascetur commodi, quod, quaestionibus de religione et Antichristo diductis, et seorsim tractatis, cuncta, quae Pontificiis supra in ore dedi, uno ictu concidant; tum quod salva eorum religione Antichristus in eorum medio esse et abesse possit, tum quod forma regiminis eorum, exstirpato eo, nihil detrimenti capiat. Profiteantur fidem suam, ritibus religionis defungantur, primatus intra justos se teneat limites, modo nullas formidines ostentent, ab omni violentia abstineant, in dissentientes furere desinant; Antichristi regnum et *bestiam* in medio ipsorum evanuisse, ne graventur agnoscere Protestantes. Sitne vero, hac peste exstincta, fides eorum haeretica, religio superstitiosa, regimen a natura Ecclesiae Christi alienum, nec ne? habeant hae disputationes sedes suas distinctas.

§. XII. Deinde non tantum nihil habet haec opinio, quod Pontificios, religionis suae studio ductos, offendere, iisque stomachum movere potest, sed e contra multum, quo, ut in ejusmodi Antichristum consentiant, permoveantur. Quaestione

ne enim hac in locum de *Tyrannide* in caussa fidei et religionis deducta, in quo totius controversiae cardo versabitur, quid facilius, quam eam, tanquam Christo, euangelio, religioni et societati, inimicam, et genuinum Satanae productum, in omnium oculos et animos defigere, et superiorem discedere, cum in manibus sit victoria. Haec enim Tyrannis adeo ab humanitate, hominumque, qui *ratione* bestiis antecellunt, natura et aequalitate abhorret, adeo in ipsas conscientiae notiones incurrit, religionemque veram, quae sine intima convictione inane nomen est, adeo in clara Christi praecepta fronte adversa arietat, adeo denique societatum vincula dirumpit, ut, si vel aliquid bonae mentis supersit, vix fieri queat, quin haec ad animum revocantes, vel solas complicatas animi notiones evolventes, tyrannidem si non detestentur, utique tanquam insignem regiminis abusum condemnent. Sed et eo facilius in hanc opinionem descendent, quo et sanctius honorant martyrio pro religione Christiana per Gentiles coronatos, et sibi ipsi Antichristum pingunt, qui, gente et religione Judaeus, fulmineis, instar apri, in Christianos veniet dentibus, eosque horrendo impetu tanquam Leo adfliget. Hosce persecutores qui ferae haud absimiles dixerint, ut dicunt Romanenses, quid quaeso, quo Christianos, eodem crimine se obstringentes, absolvant, cum vel minima specie adferent? quid, quam iis os obstruere, promtius? Haeccine, proh dolor! Christianae religionis praerogativa, ut, quod in Gentilibus et Judaeis injustum fuit, crudele et saevum, idem illud a Christianis patratum fiat justum, aequum et humanum? Estne itaque sanctissima religio eo scopo è coelo demissa, ut aeternas justi et injusti regulas, ipsam Dei legem, ipsa conscientiae dictata, et boni malique discrimen è medio tollat? Itane? Christiana religio, omnis virtutis perfecta magistra, quae nihil magis, ac modestiam, charitatem omnium erga omnes, pacem inculcat, odia, caedes, bella, vivicomburia, et quae alia sunt Satanae opera, quibus innocentes, et veritatis studiosi, opprimuntur, tanquam laudabilia, et Deo grata, adprobabit, et exiget? an,

velut ſigno dato ad fas nefasque miſcendum coïre faciet? Haeccine humana, nedum Chriſtiana ſocietas? an ferarum potius conventus, et improborum factio? Eritne igitur verum, quod ne hominum animis obrepat tantopere religionis intereſt, ſocietatibus hominum religione hac nihil eſſe magis contrarium; illudque poëtae eſſe aptum dictum;

Humana ante oculos foede cum vita jaceret
In terris oppreſſa gravi ſub relligione,
Quae caput a coeli regionibus oſtendebat,
Horribili ſuper adſpectu mortalibus inſtans

quod veriſſimum ſit oportet, ſi Chriſtianis mutuum ſanguinem fidei et religionis cauſa haurire liceat. Quid? humanitatem et rectam rationem adeo in Pontificiae ſectae viris arbitrabimur exſtirpatam, ut nihil non humani a ſe alienum putent? quod ſi credere nefas ſit, difficilis utique operae non erit, eos ad ſe reducendo convincere beſtiae ſaevae nomen demereri, qui in hominum figura immanitatem exercent, adeoque et Chriſtianos, ſi tyrannica hac parte agunt, tantum abeſſe ut foeda Antichriſti nota non, ut prae reliquis digni ſint. Major etiam hoc tempore illud omnibus Chriſtianis perſuadendi ſpes adfulget, quo multi per omnes ſocietates, Chriſti nomen profeſſas, ſive Philoſophi, ſive ICti, ſive etiam ipſi Theologi, *perſecutiones* fidei cauſa qualescunque inprobant non ſolum, ſed et quam ſolidiſſime refutarunt, ac proſtituerunt. Quorum inſignem, ſi neceſſe aut ignotum foret, contexere posſem catalogum.

§. XIII. Sed illud fortaſſe *vera* a *falſa* diſtat religio, ut, qui ad hanc obtorto collo quem trahunt, ſint tyranni, ferae et Antichriſti: qui vero per *illam* graſſantur, ut verae fidei confeſſionem vel invitis extorqueant, Zelotae religionis, gloriae Dei et ſalutis animorum ſtudioſi, verbo Vicarii Chriſti, jure meritiſſimo adpellentur. Praejudicium, alte licet infixum, et inveteratum, haud difficili opera eximendum cenſeo, niſi qui omne foedus, ſeu jus humanum, animis ejecerint, et mentis ſint emotae. Quid? illos ſtudio religionis et gloriae Dei inflammatos

matos dicemus? qui verae pietatis et virtutis se juratos profitentur hostes, et in Satanae, non Dei, castris militant. Ecquid aliud agunt, qui et quicquid justum ac sanctum est, Dei hominumque jura, pedibus conculcant, et aut religionem omnem in animis destruunt, aut histrioniam exercere, fictasque personas praeferre cogunt, ut aliud mente tectum habeant, aliud ore proferant homines. Quae certa et sola sunt persecutionis effecta, tot exemplis comprobata. Eosne dixeritis *gloriae* Dei studiosos, qui, quod Dei solius est, sibique, tanquam unico cordium scrutatori et judici, reservavit, ipsi eripiunt, et sibi audacter sumunt. Ecquid aliud faciunt, qui secundum fidei normas, quas ipsi fixerunt, de proximi vita et salute sententiam imprudenter et temerario ausu ferunt? Quid est unicum Patrem, Doctorem et legislatorem, abnegare, si hoc non est? Veritatis amore eos creditis accensos, qui insano studio, tanquam tempestate correpti, non eunt, sed aguntur, furentique malo serviunt? qui, cujus sunt spiritus, ipsi nesciunt, utique non divini, qui non perniciem, sed vitam proximi intendit, sed impuri, quo feruntur, qui, *ranarum* Apocalypticarum instar, orbis reges et supremas potestates ad proelium cum sanctis congregant. Et qui quaeso veritatis rationem haberent ullam, quos *sectae* suae placita unice delectant, eorumque studium inpellit. Veritas si ipsis curae cordique esset, aliisne armis, ac rationibus, sine quibus nulla est animorum convictio, quae sola veritatis regnum condit, eam defenderent et promoverent? Veritas an per strages hominum ad dominium tendit? per fraudes, convitia, exilia, et supplicia de animis, in quibus unice residet, triumphabit? Cujus itaque veritatis stimulo irritantur? illius credo, quam satius fuisset puteo demersam in perpetuum jacuisse, quam tot saevis satellitibus stipatam caput extulisse inter homines; illius, cui illud poëtae convenit,

Tantum potuit relligio suadere malorum.

Veritatis amor si animos ipsorum occupasset, fieri non posset, quin *sapientiam* superne ortam, quae, teste Jacobo, est *pacifi-*

ca,

ca, *aequa*, *obſequioſa*, *pietate boniſque referta fructibus*, ore et opere ſpirarent, et infernalem faetorem non redolerent. Denique illis inter regni Chriſti defenſores et propagatores locum dabimus, qui modeſtiae, juſtitiae et caritatis, officia, ſine quibus non Chriſtus ſed Satanas regnat, ex hominum ſocietate eliminant, et ſuperbiam, odia, ſaevitiam aliaque deteſtanda vitia in throno collocant? Vos itaque, qui non rationibus, ſed ferro decernere ſoletis, tam inſanos putatis eſſe homines, ut pro veritatis patronis ab iis habendos vos eſſe arbitremini? Monumenta hiſtorica, quae prudentes viri per omnia tempora condiderunt, conſulite, et monſtrorum, peſtium, ferarum, ſimiliumque elogiis vos ornari, an infamari? dicam, cum pudore, niſi omnem decoxeritis, legite, nec memoria dignos, niſi quam per ſcelera meruiſtis, cenſeri advertite.

§. XIV. Praeterea ſi hoſce religionis ſacerdotes, qui innocentes, fidei ſuae cauſa, ad naecem perſequendo, non trucidant, ſed immolant, rogaveritis, unde ipſi id juris in proximum? quid reſpondebunt, quod non aura levius eſt? dicentne a Deo et Domino noſtro? ubi clara teſtimonia? ubi litterae, ut ajunt, credentiales? ubi ſigna et ſigilla? quid? ab eone aliquid juris habebunt, quod nec ipſe exercuit, nec ab ullo exerceri voluit? an itaque a munere *paſtorali?* a quo aeque alienum eſt, ac a bono paſtore deglubere pecus; fures et lupi ſunt, qui gregem devorant et diſſipant, non paſtores. Officium paſtorale, quod totum eſt miniſteriale, ſecum non habet *dominium* conjunctum: paſtores ſunt, *non qui gregibus imperant*, ſed *qui exemplo ſunt*, teſte Petro, cujus vicarios ſe jactant, quibuſcum mihi hic res eſt. An itaque ab ipſis *fidelibus*, qui Eccleſiam conſtituunt, et ex ſui medio aliquos eligunt, ut doceant et ducant? qui verus eſt paſtorum conſpectus. Sed eſtne quisquam ſanae mentis homo, qui ſibi lumen adimat, ut manu ducatur ab alio? qui, cum ipſe ſit fidei et vitae ſuae rationem redditurus ſupremo judici, illarum rerum arbitrium aliis commiſerit? ut ad aliorum opiniones actum vitae flectat. Quis, cui Deus animum dedit, quo

nihil

nihil est in homine praestantius, sic se ipse abjiciet et prosternet, ut nihil inter se ac quadrupedem aliquam, quae ductorem sequitur, interesse velit? Veritas forte salutaris, quam tanquam talentum sudario inclusum tenetis, et solos vos possidere praesumitis, huic juri fundando sufficit? Hoc si verum, quid ergo Gentiles persecutores eadem persuasione imbutos, acsi injuste egissent, damnatis? quid Haereticos, ut eos adpellatis, quibus idem jus, et eodem superstructum fundamento, vexatis? sed quam alienum hoc sit a *veritate*, et genuino ejus fautore, qui se ei advocatum dedit, ex modo dictis sponte sua elucescit. Veritas nulla, nisi spiritualia, suppeditat arma; nulla, nisi quibus apud conscientias commendatur, et animos sibi subjicere valet. Non vera, sed falsa est religio, quae ferinam rabiem parit, et abjecto homine in sylvestre animal abire cogit. Quid? verane erit religio? cui humano sanguine litandum est. *Quae* porro haec *pietas*, ut sublimis poëtae *Italici* verbis utar,

Quae porro haec pietas, delubra adspergere tabo?
Heu primae scelerum causae mortalibus aegris
Naturam nescire Deum: justa ite precati
Ture pio, caediumque feros avertite ritus.

vera itaque erit religio, qui funestas et cruore innocuorum perfusas manus ad Deum tollere patitur?

§. XV. Dicentne postremo, actum esse de veritate et religione, si eam cuivis impune examinare et oppugnare liceat, nisi hostibus lingua exscindatur. Miseram profecto veritatem, quae tunc solum se tueri potest, si ---- *hasteis*, ut Ennii versum huc transferam, *Horret ager*, *campeique armeis sublimibus ardent*, quae fraudibus, vitiis et criminibus se in clientelam demittere necesse habet, quae hominum rogis, ut illustretur, indiget, et humani generis ruinae superaedificari debet. Itane? luci quid cum tenebris, Christo cum Belial commune? quid itaque? utriusque regnum iisdem armis propagatur? quid castissima et pulcherrima virgo veritas meretricio habitu vestitur? Quid in veritatem, quae sua luce fulget, et in

 oculos

oculos omnium, qui eos obstinate non claudunt, sese ingerit, injuriosius? quid de falsa doctrina, de traditionibus humanis, de superstitione verius? Harum patronis opus sit strictis gla diis, ad exemplum famosissimi Inquisitoris et persecutoris Dominici, qui, ut verba habent *Francisci Mennenii*, (a) *in adjutorium sumsit quasdam devotas personas, quae corporaliter illos haereticos gladio materiali expugnarent, quos ipse gladio Dei amputare non posset.* Stet veritas nuda, et nullo colore fucata, nullis armis horrida, suis tantum, quae *rationes* sunt, munita; minae ne circumstrepant, innocentia ne sub ictu stet, partium studia nulla sint, sit cuique libera facultas eam adeundi et contemplandi; tantum abesse confido, ut veritas quid detrimenti patiatur, ut brevi primas obtineat in mundo. Possem ad experientiam provocare, quae eorum fidem semper crevisse demonstrat, quae sanguine Martyrum fuit irrigata, si id nunc agerem.

§. XVI. Hic aures quidem vellicat tumidus *Infallibilitatis* titulus, quo vel universalia concilia, vel Papae in Ecclesia Pontificia superbiunt; qui facere videtur, ut, quotquot eorum decretis adsurgere nolunt, rebelles et veritatis, imo Dei, hostes habeantur, eoque nomine *puniendi*, et exterminandi. Viros, qui opinione sua delusi se erroribus intactos putant, si fidei leges posuerint, cum ratione insanire, adeoque insanissimis illis, qui se aeque ac alios ad lapsum pronos, et erroribus obnoxios profitentur, si decretis suis idem, quod infallibilium dictatis, adtribui velint, esse sapientiores dicam an astutiores, non diffiteor: attamen si vel infallibilitatis suae dogma vi obtrudere vel apud eos, qui hanc ipsis praerogativam nullo modo concedunt, eam auctoritatem sibi sumere et exercere, instituant, aeque inique et injuste agunt, ac si fallibiles essent Doctores: ipsum autem illud privilegium quam sit a conciliis et Papis, cunctisque Doctoribus et rectoribus, alienum, quod a Protestantibus egregie et certissime est extra dubitationis aleam positum, quid hic dixisse adtinet? Quid, quod ipsi Ponti-

(a) Apud Usser. Success. Eccles. cap. IX.

Pontificii, acriter secum pugnantes, sitne illa praetensa *infallibilitas* Papis, an conciliis universalibus, ut adpellari solent, tribuenda, hisce suis litibus, dum *illi* Papas, *hi* concilia sine Papis, hoc privilegio non gaudere solide disputarunt, nec illis, nec hisce competere, ut prudentiores, et saniores judicii homines, concluserint, effecerunt. Sed sis habearisve doctor Infallibilis, quid Tibi inde vel in ipsos illos, quorum oculos hoc fulgore praestrinxisti, juris natum esse arbitraris? an animis et conscientiis leges praescribere? qui poteris, si repugnent? ne vel ipsa infallibilitas Tua potis est efficere, ut tenebrae pro luce habeantur, et animus in eo, quod conscientiae rationibus directe adversatur, acquiescat. An in eos, qui in verba Tua jurare recusant, tanquam in mortis reos, animadvertere? nihil minus, cum Judex controversiarum esse posses, absque ut errantes duro imperio obteras, et poenas aut statuendi, aut infligendi, jus habeas; quidni enim Judex supremus illud sibi reservare potuit? ut fecit. Christus et Apostoli, infallibiles utique Doctores, eamne tenuerunt viam? itane cum hominibus egerunt? nonne contraria instituerunt methodo regnum veritatis et pietatis erigere et propagare?

§. XVII. Secundum has lineas, quas primas tantum r diter duxi, si disputetur, nonnihil spei est, ut Protestantes inter et Pontificios, nisi nescio quis eos fascinaverit oculus, de charactere Antichristi in genere conveniat; nihilque quaerendum restet, quam *ubi* et *quando* caput inter Christianos extulerit? aut nondum infernales sedes deseruerit, sed ex orco adhuc erupturus sit? Quae quaestio, cum sit *facti*, ut dicitur, ex historia Ecclesiae unice finienda, Protestantibus multum negotii non facesset, modo status controversiae recte figatur. Quaesitum enim non est hac forma percutiendum, *ubi*, et *quando*, in filo stare, et quasi ad certos numeros saltare, unde vel transversum unguem discedere nefas est, coeptum sit? nec, ubi et quando in rixas procurrerunt, et non opinionum dissensione, sed animorum contentione ita litigare coeperunt, ut, gravissimis inde motibus ortis, Ecclesia in horribilem praeci-

 pitata

pitata ſit confuſionem, cum multorum etiam exſiliis, et caedibus conjunctam; nec denique, ubi et quando fidei et religionis cauſa fuerint aliqui male mulctati, aut graviſſimis ſuppliciis adflicti? etiam capite plexi? ſed, *ubi* et *quando* canones fidei, cultus vel regiminis, eum in modum vi ac ferro fuerint defenſi et vindicati, ut nihil magis hoc ipſo fuerit in Eccleſia conſpicuum, nihil in quo magis deſudatum, aut majore impetu actitatum; nihil denique, ut rem verbo complectar, quod *periodi* characterem figere queat? Etſi enim aliqua Antichriſti facinora hic illic, diverſis ſeculis, fuerunt perpetrata: illud nihil aliud evincit, ac *myſterium iniquitatis* ante coepiſſe, quam Antichriſtus in lucem eſt editus, ut Paulus loquitur, vel ut Johannes, *multos fuiſſe Antichriſtos*, qui proprie ſic dicto Antichriſto viam praeiverunt. Ipſe vero Antichriſtus ante imperium obtinere ſtatui nequit, quam cum Perſona aliqua, ſuprema in Eccleſia auctoritate et poteſtate, quae limites non novit, veſtita, id ſumma opum vi adnititur, ut religionem ſuam armata manu tueatur, et in diſſentientes, tanquam rebelles et devota capita, hoſtiliter irruit, nihilque non ſibi licere putat. Prorſus, quemadmodum periodum perſecutionum per Romanos gentiles cucurriſſe prudentes rerum aeſtimatores infitiantur, licet frequenter ſaevierint tumultuariae et particulares perſecutiones, antequam Romani Imperatores Chriſtianiſmo delendo, et religioni patriae ſtatuminandae, omnem operam impenderunt; quod a medio Sec. III. vel a Decio ad Conſt. M. uſque duravit, ita, licet et ante et poſt Antichriſtum ſeſe ſimilium commiſſorum reos egerint, illi ejus Praecurſores audiant, hi ejus veſtigia premant, et characterem ejus fronti ac manibus impreſſum gerant; *Antichriſtus* ipſe non erit, niſi ubi dominatur, graſſatur et furit; niſi ubi *thronum* Satanae per Eccleſias erigit, et bellum gerit cum ſanctis et innocuis. Hoc cum agitur, *periodus Antichriſtiana* in curſu eſt, cujus termini, a *quo* et ad *quem*, ut dicitur, ſecundum hanc normam figendi ſunt.

§. XVIII. Hiſce limitibus, quos ſive ex Apocalypſi, ſive

ve aliunde, petitis rationibus adfirmare, si res vel dubia foret, vel in dubium ab aliquo vocandam existimarem, in promptu foret, quaestione circumscripta, et via sic strata, campum historiae aperiamus, eumque ingrediamur, ut *ubi* et *quando* Antichristi regnum viguerit, luce meridiana clarius elucescat. Ita enim habeatis, velim, *periodum* Antichristianam, et quo tempore fluxit, fuisse publice notam, et nunc nemini, nisi historiarum imperitissimo, esse in obscuro positam: quae criteria si desiderentur, pro Antichristiana periodo non habeatur, equidem nullus intercedo. Quid enim? tam immanis bellua quaquaversum ruet, et terrores ac caedes circumferet, et in omnium oculos non incurret? quis est, qui, ut id credat, a se impetrat? Non nimis fidenter loquor, adversariis latus nudum non praebeo, nec eos, quibuscum nobis haec controversia intercedit, sperno: sed causae luce sua fulgenti quin fidam, non possum. Ipsi, velim, judicetis, nec vel severissimos refugio judices.

§. XIX. Quis, quaeso, primus est, qui se supra quicquid sanctum et sublime est in civitate et Ecclesia, elevavit? quis qui praetensa Ecclesiae jura hostili manu adgressus est vindicare? cui, nisi qui de haeresi Hildebrandina ne fando audivit, Gregorius VII, alias Hildebrandus, non mox in mentem venit; papa superbus, et terribilis, ab a. 1073 ad 1086. utique ipse primus, ut nomina *Papae* et *Episcopi Universalis*, ad solos Episcopos Romanos restrinxit; sic supremum et αὐτοκρατορικὸν in temporalibus et spiritualibus imperium sibi adseruit, et exercuit; fundavitque primatum, dicam, an *Totatum*, sedis Papalis, eo etiam usque, ut, quicquid ipse definiverit, quicquid *judicaverit*, pro jure et lege habeatur, ne exceptis *libris canonicis*, non nisi accedente auctoritate ejus regulae ac normae vim habituris. Praeterea inobedientiam sedi Apostolicae nihil minus esse quam *scelus idololatriae*, sancivit primus; ipse regum et principum exauctorandorum, et subditos a juramento fidelitatis absolvendi, potestatem sibi primus adrogavit. Denique ad jura sua, sub specioso libertatis Ec-

clesiasticae praetextu tutanda, *Investituras* vi hostili Imperatori eripuit primus, bella propterea concitavit, subditos in Henricum IV, vinculo juramenti solutos, armavit, orbem totum conturbavit, omniaque sceleribus, rapinis et caedibus, foedavit: idque reapse praestitit, quod per somnium ipsi narratur visum; *ignem sc. ex ore ejus exiturum, qui totum mundum igniret.*

§. XX. Hujus qui est animi, haec qui molitur, illene negabitur sese *supra quicquid dicitur Deus aut numen efferre? et in Templo Dei sedere instar Dei alicujus*, sive, quod idem est, *oracula* fundere divina in Ecclesia: respicitur enim, ut id obiter observem, 2 Thess. II. ad inhabitationem Dei supra arcam in Templo, et summo sacerdoti, Urim et Tummim vestito, respondentis, eumque instruentis, &c. seseque bestiae similem praebere, cujus insigne est, *magna et nefanda loqui, et cum sanctis*, sive religionis causa, *bellum gerere?* Quid hic deficit? quid ergo impedit, quo minus *Antichristi* titulo inustus incedat? Suntne, quae perstrinxi, falsa, aut dubia? quis, qui *Dictatum* ejus, *regestis* ejus insertum, et capita 27. complexum, legit, qui ad litem ejus cum Henrico animum advertit, cujus ad aures quid de Haeresi Hildebrandina pervenit, hoc adserere ausit? Detur mihi ante hunc vel unus, qui in haec superba et nefaria prorupit, qui ad simile quid audendum se adplicuit; Antichristum ante fuisse, fatebor. Sed desunt fortasse vel aequalium, vel haud longe remotorum testimonia, quae, jam eo tempore hanc ipsi notam fuisse adfixam, evincant? nihil minus, cum publica hoc tempore tulerit fama, et communis circumsonuerit vox, Antichristum esse natum, et Satanam solutum: ut multis ab Usserio et Mornaeo est comprobatum testimoniis; *Venericus*, Ep. Vercellensis, ex gr. scriptor aequalis, id, quod Jes. XIV: 13. de Monarchis Assyriis et Babyloniis profert, *tu dixeras animo tuo, conscendam coelos, supra stellas Dei omnipotentis efferam solium meum ---- adsimilabor altissimo*, ad hunc Papam transfert. Ipse *Gerochus*, factionis Hildebrandinae, pronunciare non veretur, *Romanos* sibi

Divinum

Divinum usurpare honorem. Alia mitto, sed quid vetat, ipsum Gregorium, ut de se testimonium dicat, citare? quippe sub vitae finem, si vera narrat *Sigebertus*, confessum, *se suadente Diabolo contra humanum genus odium et iram concitasse:* quid hoc aliud est, ac se esse *Antichristum?* Habemus itaque regni Antichristi et Bestiae epocham; ex sola historia eductam; quam et aliunde petitis argumentis firmare, in facili foret, ut, ex gr. quod post *hominem peccati* h. e. luxu et libidine diffluentem, qui Paparum character fuit Sec. X et XI. usque ad Gregorium fere, sit, teste Paulo, manifestandus, quod characteres periodorum, historia et libro sigillorum concinentibus, nec citius nec tardius Antichristum quaerere permittant: sed, ne limites mihi positos migrem; in historiae filo pertexendo, et Antichristis in lucem proferendis, pergamus.

§. XXI. Quid quaeso sequentibus seculis, a XII ad medium XVI, quamdiu Periodus Antichristiana ex mea opinione duravit, vehementiore studio et majore molimine factitatum est in Ecclesia Papali, quam per anathemata, bella, et publicas persecutiones, cum Imperatoribus, Regibus et Haereticis de summa religionis et regiminis decertare: in vulgus notae sunt funestae admodum collisiones Paschalis II. et Callisti II. cum Henrico V. Hadriani IV et Alexandri III. cum Frederico Barbarossa, Sec. XII. Quid vulgatius bello Innocentii IV. cum Philippo Suevo, et Gregorii IX. cum Frederico II. Sec. XIII? nec minus famosum est Sec. XIV. per gravissimas concertationes Bonifacii VIII. cum Philippo Pulchro, Clementis V. cum Henrico VII. trium denique Paparum, Joh. XVII. Benedicti XII. et Clementis VI. cum Ludovico Bavaro. Haereticorum, ut audiunt, dicamus veritatis studiosorum, et nihil aliud merentium, ac quod societatis dominantis mendacibus oraculis conscientiam praetulerint, persecutiones adeo fuerunt saevae, continuae et publicae, ut et tunc horrorem incusserint, et nunc a nemine, nisi totus intremiscat, recoli possint. Seculo XII. ut singula secula tantummodo percurramus, cum *Waldenses*, et *Albigenses*, grassanti superstitioni

et corruptioni, quae Ecclesiam inundaverat, capita objicerent; mox sanguinaria in eos sunt cusa decreta Synodalia et Papalia; quae rigide mandata executioni infinitas dederunt strages: ex gr. Oxoniae a. 1160 in eos lata est sententia, *ut ferro candenti notarentur in fronte, et urbe expulsis nemo hospitium vel cibum praeberet &c.* Unde factum est, ut partim urente frigore, partim fame dira, perierint ad unum omnes, nemine eorum miserto. Synodus Turonensis in Gallia a. 1163. sub Alex. III. omnibus interdixit, *receptaculum aut praesidium ipsis praebere, aut in emtione et venditione aliquid cum iis habere commercii*, quo vel ad litteram est impletum, quod Ap. XIII: 17. habetur. Synodus Laterana III., quae *Oecumenicis* solet adnumerari, eodem Papa ad clavum sedente, fidelibus injunxit, ut in Waldenses et Albigenses, indulgentia ipsis aeque ac Cruciatis promissa, *arma* sumant, praeterea omne cum iis praecludit commercium; imo ipsos *fautores* eorum esse bonorum confiscatione et servitute plectendos statuit. Quid nunc de *Bruisiis*, Petro et Henrico, illo ignis supplicio adfecto, hoc vel perpetuo carceri mancipato, vel clam interemto? quid de Synodi Tolosanae a. 1119. praeside Callisto II. decreto, sectatores eorum per potestates exteras esse coërcendos? quid de Arnoldo Brixiensi, Hadriani IV. jussu ad rogum damnato, et combusto, cineribus in Tiberim sparsis? quid de innumeris aliis dicam? tempus deficeret, si cuncta vellem coacervare Martyria.

§. XXII. Et haec tamen initia tantum malorum fuerunt, si cum Sec. XIII. comparentur: hoc enim seculo adeo inmaniter saeviit furibunda bestia, ut, unde trium annorum et dimidii spatium, quod bestiae datur, si totidem annorum centuriae vel secula intelligantur, quod tamen non adfirmo, repeti possit, habeant qui conjecturis indulgere gestiunt. Hoc enim Seculo 1. Publicum bellum a Cruce signatis est cum Tolosanis, aliisque Albigensium fautoribus, jussu Innocent. III. iniquissime et crudelissime gestum, ab a. 1209 ad 1227. in quo immanes stragis acervos fecerunt hostes, in sola Bituren-

si

ſi urbe 60 millibus plusquam ferina ſaevitia trucidatis, et per ſolam Galliam purioris confeſſionis hominibus ad *decies centena millia*, (a) 2. Horrenda et plusquam barbara condita ſunt et ab Eccleſiaſticis et a Politicis, beſtiae ſeſe ſubmittentibus ad omnem ſaevitiam, decreta, et publica ſancita eſt perſecutio. Infame illud concilium Lateranenſ. IV. ſub Innocent. III. haereticos *damnatos* et *excommunicatos*, ſi Clerici fuerint, etiam *degradatos*, decrevit *ſecularibus poteſtatibus*, ut poenis temporalibus adfligerentur, tradendos, praeterea, ut poteſtates illae, ni excommunicari et exauctorari velint, ſe adcingant ad haereticos in terris ſuis exſtirpandos, conſtituit: denique, ne aliquid ſaevitiae praetermittere videatur, catholicis, qui crucis ſigno ſumto ſeſe ad haereticorum excidium paraverint, eandem, quae omnium erat liberaliſſima, promittit indulgentiam, quae cruce ſignatis in terrae ſanctae ſubſidium concedi ſolebat: quinimo, *fautores*, *receptores* et *defenſores* haereticorum, vel qui iis delendis minus invigilant, ſeveriſſimae cenſurae addixit. Quid demum eſt *belluam* agere, ſi hoc non eſt? Subacto Comite Toloſano, ut ad Principum edicta ſanguine tincta veniam, ipſe Raymundus Comes, ut fidem Papae, dum abſolvebatur, datam praeſtaret, praecepit, ut *omnes in comitatu ſuo haeretici caperentur:* nec ſacro huic officio defuit Ludovicus, Galliae rex; ſed omnibus hac parte palmam praeripuit Fredericus II. Imperator; qui ſe adeo dedit Papae, ut execrabile in hiſtoria nomen acceperit. Quatuor ab ipſo emanarunt conſtitutiones contra haereticos, quibus praecipuas poenas, in Tribunali inquiſitionis uſitatas, haereticis impoſuit, et *vivicomburium* primus, quanta infamia! lege lata ſancivit. Recepit inſuper Inquiſitores, et, ut Magiſtratus ac Judices ab eorum nutu penderent, juſſit. Denique, cum per Inſubriam in primis floreret haereſis, *omnes criminis illius convictos flammis tradi, vel, ſi ad aliorum terrorem vitae viderentur reſervandi, linguas, quibus blaſphema evomuiſſent, amputari voluit.*

(a) Vid. Uſſerius de Succeſſ. Eccleſ. c. X. et Medus ad Ap. XIII.

§. XXIII. 3. Vidit hoc ipsum seculum Inquisitores extraordinaria cum potestate canum instar haereticos investigandi, e latebris educendi et dilacerandi, a Papis collata, per totam terram, instar Satanae, gradientes: quorum primus fuit Rainerius, insignis apostata Waldensium, ab Innocentio III. delegatus, quem excepit famosus ille *Dominicus*, ab eodem Papa missus, idem ipse, qui truculentum ordinem ex orco protulit, eum in finem institutum, ut *haereticos retundat*, et *perdat*; qualem ordinem Ecclesia nunc demum vidit, ut diserte tradit *Thomas Bozius* de signis Ecclesiae (a): a quo tempore varias in terras introducta est Inquisitio, donec separatum illud *Tribunal* sacrum ex inferis erupit, Papa Innocentio IV. obstetricante a. 1251. Hoc autem Concilium quam sit horrendum, saevum et immane, quanta omnis iniquitatis officina; quam dira humani generis pestis, verissima Satanae imago, cujus est instar Leonis rugientis circumire, ut ventrem latrantem repleat, quid dixisse et demonstrasse adtinet? Quid etiam necesse fuerit, vos in conspectu tot malorum, quibus innocui fidei suae confessores, per proscriptiones, exilia, carceres, tormenta, caedes et vivicomburia, sunt per totum Occidentem pressi, et tantum quod oppressi, collocasse? ubi enim inciperem, ubi desinerem? si vel indicare vellem, oratio in immensum extraheretur.

§. XXIV. Haec si vera, si testatissima sint, apud omnes in confesso, ut sunt, quis, cui de charactere Antichristi mecum convenit, vel de tempore, quo tyrannidem exercuit, vel de charactere periodi, in persecutionibus sito, amplius dubitaverit? Estne etiam, qui homines hujus temporis tantam bestiam latuisse, praesumat? utique nihil hisce seculis fuit vulgatius, nihil quod orbem magis personuit, quam Antichristum in Ecclesia dominari. Ne nunc Waldenses et Albigenses, quorum haec constans et recepta fuit doctrina, ad partes vocem; *Aventinus in annalibus* testatur; *plerosque omnes bonos, apertos, justos, ingenuos, simplices esse professos*, Sec. XII. *Antichristi*

(a) Apud Usserium l. c. cap. IX.

tichristi Imperium coepisse: sic *Fluentius*, vel Florentinus, Episcopus fertur circa a. 1106. *publicis concionibus docuisse, jam natum esse Antichristum.* Norbertus, celebris nominis vir, professus est, teste ipso Bernardo, qui se id ex ore ejus audisse adserit, *ea aetate revelandum esse Antichristum, et generalem in Ecclesia futuram persecutionem.* Joachimus Calaber, abbas Florensis, *Antichristi jam nati, et in Ecclesia Apostolica sublimandi*, characteres ex Apocalypsi jam eruit. Imo exstat luculentus tractatus de Antichristo, qui a. 1120 censetur scriptus, quem publicavit *Perrinus* in hist. *Waldensium.* Ipse Gulielmus Malmesburiensis, Bedae continuator, in carmine Jambico, historiae ejus inserto, canit.

A modo siquidem possum adserere,
Quia Antichristus creditur vivere.

§. XXV.. Sec. XIII. in aulam Pontificiam, ut profligate depravatam et tyrannicam, tantus undiquaque clamor insurrexit, ut exitum non reperiret oratio, si ea, quibus Petrus de Vineis, Abbas Urspergensis, Johannes Semeca, Nicolaus de Bibrach, Gulielmus et Johannes Parisienses, Gulielmus de S. Amore, celebris auctor *libri de periculis novissimorum temporum*, Petrus Joh. Olivus, Robertus Grosseteſt, Matth. Parisiensis, aliique, in Ecclesiam Romanam tanquam Antichristianam, meretricem Apocalypticam, Babylonem, detonuerunt, proferre vellem. Nec silentio esset premendus *Germanus*, Patriarcha Constantinop., qui in epistola ad Gregor. IX. et Cardinales sedis Papalis tribunal Tyrannicum diserte notavit. Quid, quod ipsos Papas sententiam contra se dicentes citare in promtu foret. Innocentius III. in sermone panegyrico se jactavit, *Vicarium regis regum, et se solum retinere plenitudinem potestatis, ut de ipso post Deum alii dicere possint, et nos de plenitudine ejus accepimus &c.* sic alibi sese supra *hominem* efferens, se Deum inter et hominem esse medium, illo minorem, sed hoc majorem. Paschalis II. Sec. XII. eo arrogantiae venit, ut in haec verba os impendens resolvere non erubuerit:

Spiritus et corpus mihi ſunt ſubjecta potenter,
Corpore terrena teneo, coeleſtia mente.
Unde tenendo Polum, ſolvo ligoque ſolum.

§. XXVI. Seculo XIV, quemadmodum per humanas ſtrages inhumano inceſſit animo Antichriſtus, et ferinam plane potentiam exſeruit in *Fratricellos*, Minoritarum ſectam, *Lollardos* et *Turlupinos*, Waldenſium propagines, ac *Wicleſitas*, Martyrum ſanguine plenis alveis fluente: ſic Minoritae non tantum, et reliqui modo memorati, ſed et alii in Eccleſia Antichriſtiana depingenda operam poſuerunt. Litterae Eduardi III. Angliae regis, ex communi regni conſilio ſcriptae ad Clementem VI. inter alia habent, *vineae progeniem degeneraſſe in labruſcas, et ſingulares feras eam depaſcere.* Longum foret, ſi viros ſingulares, ut ſunt, Dantes Aligerius, Fr. Petrarcha, Gul. Ockam, Nic. Oresmius, Joh. de Rupercisſa, Arnoldus Villanovanus, Matth. de Cracovia, aliosque ad teſtimonia dicenda vocare inſtituerem: quare edicti Ludovici Bavari, comitiorum Reginoburgenſium conſenſu publicati, meminiſſe ſuffecerit, in quo inter alia de Joh. XXII. dicitur, *ipſum Satanae ſpiritum ſibi ſumere, ſe ſimilem Altiſſimo facere &c.* Quam truculenta fuerit bellua, ut geſta, ſic teſtimonium, quod vitae ejus a Veneto aliquo conſcriptae, additum eſt ab anonymo apud Baluzium teſtatur; illud enim ita incipit. *Iſte Venetus adulator nihil dicit de Tyrannide geſta per Papam iſtum, de trucidatione Chriſtianorum facta ſuo juſſu &c.*

§. XXVII. Seculo XV. ſicut Tribunal Inquiſitionis in Polonia confirmatum, in regno Valentino et per totam Hiſpaniam erectum eſt, ita et per totum Occidentem immaniter faeviit, in Delphinatu in Waldenſes, in Flandria et Arteſia in Magiae et occulti cum Satanae foederis temere accuſatos, in Gallia in Picardos, et Waldenſium reliquias, in Germania et Bohemia in Huſſitas et fratres Bohemos, poſteaquam duo teſtes Joh. Hus, et Hieron. Pragenſis, in *platea magnae civitatis* eſſent flammis traditi, univerſali concilio Conſtantienſe jubente, et hoc ſpectaculo ſe oblectante, nec non per bellum Huſſi-

Hussiticum ingentes essent strages factae: ne de Burgino aliquo Beguino, circa tempus Synodi Pisanae combusto, Hieronymo Savonarola, in foro Florentino primum strangulato, dein in flammas immisso, jussu Alex. VI. aliisque dicam. Seculo XVI. Reformatis sese majore studio, et successu, opponentibus, verum esse poëtae dictum adparuit,

-------- *Bacchae bacchanti si velis adversarier?*
Ex insana insaniorem reddes, feriet saepius.

quoque propius ab eo aberat, ut nihil reliqui habeat, nisi sine viribus iram, eo magis feritatem exasperavit, et, cum propediem tanquam foeta canis sine dentibus latraret; omnem suam rabiem induit, et, acsi sitim sanguinis humani explere vellet, largissime bibit. Dies deficeret, si omnem saevitiam, si vivicomburia, si lanienas, si carnificinas, per *Angliam*, *Scotiam*, *Galliam*, *Belgium*, *Bohemiam*, aliasque terras vel indicare adgrederer. Lanienas Merindolensium et Cabrierensium, Parisiensem et Hibernicam, qui vel solas ad animum retulerit, Antichristum et Bestiam quaerere non habuerit opus.

§. XXVIII. Nullum praeterea fuit seculum, quo Papae in titulis et epithetis, quae Divinam spirant majestatem et auctoritatem, sumendis, et Catholici, qui ambitiosae majestati quicquid potuerunt titulorum congesserunt, in dandis, fuerunt impudentiores; acsi Antichristi notam vel solis radiis Paparum frontibus inscribere voluerint. Quis non stupore corripitur, qui ex. gr. audit: *Paulo III. Optimo Maximo in terris Deo. Paulo V. vice Deo, Christianae reip. Monarchae invictissimo, et Pontificiae omnipotentiae conservatori acerrimo.* Julio II. *altero in terris Deo, universis populis adorando.* Quid? quod, ne alia, quae possem, adferam, Papales Casuistae non fuerint veriti definire; *honorem, qui debetur Christo, secundum quod Deus est, deberi Papae; quia honor debetur potestati; sed unā est potestas Christi, secundum quod Deus est, et Papae.* Sic Leoni X. adplicatur illud Ps. 72. *omnes reges terrae adorabunt eum, et servient ei; omnes reges terrae sciunt, quaenam potestas Tibi data sit in coelo et terra.* Ad haec accedat,

infallibilitatem, antea ignotam, hoc demum seculo Papis fuisse vindicatam, quod verbo tetigisse suffecerit.

§. XXIX. Quid ad haec omnia, quae tantum levidensi brachio perstrinxi, reponent Pontificiae Sectae addicti? facta negabunt? qui salva historiae fide poterunt? dicentne, *haereticos* fuisse, in quos illa fulmina deciderunt? sed, ne hoc ipsum esse regeram, in quo character Antichristi positus est, quales quaeso haereticos? nonne, qui summi Pastoris vocem audire, eamque vita et moribus exprimere maluerunt, quam in hominum placita sacramento dicere, nullius criminis, ac humanarum traditionum et definitionum verbo Dei postpositarum, reos. Quibus praeterea illi haeresios dicam scribunt, illi et sibi et aliis veritatis audiunt testes et praecones. An denique telum in Protestantes retorquebunt, ut aliquando faciunt, eosque et Pontificiae sectae hominibus violentas manus injecisse, et singulas sectas suos haereticos haud absimili modo tractasse clamabunt? sed, quid passi sunt Pontificii, nisi cum vel imminerent, vel bellum indixerunt *libertati* religionis, et Protestantes, ut se in libertatem vindicent, vel eam sartam tectam conservent, ad arma provocarunt? Ubi et quando Protestantes propria viscera dilaniarunt, et haereticorum suorum sanguine manus foedarunt, quod vel minima cum specie cum Pontificiis comparetur? Rara sunt, nisi in perturbata civitate, persecutionum fidei causa exempla, rarissima ad mortem. Verum enim vero, quod vel solum os Pontificiis obstruat, ubi *doctrinae* illae sanguinariae, tanquam leges et canones fidei, vigent inter Protestantes, quae inter Pontificios? Canon Ecclesiasticus, qui, ut Leonis Allatii (a) os, hac utique parte impudens, eum effudit, habet: *haeretici proscribendi sunt, exterminandi sunt, puniendi sunt, et pertinaces occidendi, cremandi*, apud quam Protestantium sectam est receptus, cui non est horrori? quod si Zelotae aliqui sint, fuerintve, quorum pectus sacer hic ignis hausit, aut sub eo coquit; si in primordiis reformationis, cum tempora erant turbulenta, tenebrae omnes

(a) De Consensu Or. et Occid. II: 13.

omnes nondum discussae, leges publicae contra haereticos, una cum longa consuetudine, oculos adhuc nonnullorum fascinaverint, quid hoc ad ipsas societates? quid ad Protestantium principia, ad fundamenta reformationis, quae convellunt? relegentur itaque ad Antichristi gregem, si qui adhuc sub ejus signis militare gestiant, et bestiae signum in frontibus ac manibus recipiant.

§. XXX. At enim, licet causa Protestantium sese hac ratione bene tueatur, et inconcussa consistat: vellem tamen, A., quid ni fatear? me huic objectionis ne speciem quidem relinquere necesse habere, adeoque fundamenta, quibus innixa est Reformatio, ita integre semper et sancte fuisse conservata, ut ne vel minimum impetum fuissent passa. Quid enim indignius, quam ut Protestantes Martyres suos, ex quorum rogis modo capita allevarunt, quibusque libertatem fidei, inaestimabile bonum, acceptam ferunt, jure a Pontificiis esse concrematos exemplis suis, vel ad speciem, confiteantur? imo hostibus fidei suae arma in manus dent, quibus fratres sui, sub eorum jugo adhuc gementes, legitime opprimantur? Estne ferendum, eos propria vineta caedere, et principia sua, tot libris ab ipsis defensa et demonstrata, quod Pontificii nullo modo per argumenta possunt, proprio exemplo destruere? quid turpius, quam trito hoc dicto a Pontificiis, non sine dedecore, repelli,

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes.

Mala itaque grassentur extrinsecus, ne in visceribus ardeant;


Procul a mea tuus sit furor omnis domo.

Inquisitio et persecutio quid sit, non nisi ex Antichristi schola addiscatur; apud Protestantes, meliora edoctos, inauditum sit nomen.

§. XXXI. Sed, ut in viam redeam, est aliud, illudque solum, quod ne Antichristi titulus Ecclesiae Papali imprimatur, impedire videtur; rei nimirum *Incredibilitas*, ex duplici fonte educta, quippe quam et *duratio* sedis Papalis, et religionis Christianae indoles, quae, ut talis hostis in ea se ostentet, pati non posse videtur, suppeditat. Ea enim sedes a Sec.

XI. jam Antichriſtiana, cum ad hoc usque tempus firmo ſteterit talo, nec everſionis ſpes adfulgeat; cui non portenti inſtar videatur tantum temporis ſpatium? ſed haec difficultas non eſt ex maximis, quin facile evaneſcet, cum obſervavero, periodum Antichriſtianam inter et ſedem Papalem probe eſſe diſtinguendum: haec quidem perſeverat etiamnum; ſed illa in reformatis Eccleſiis, ſtabilem ſedem nactis, finita eſt: unde nova initium ſumſit periodus, quae libertatem fidei et religionis reſtitutam, et vim Antichriſti repreſſam, pro charactere dominante habet; periodus eſt, qua martyres vindictam clamant, et requieſcunt ſtolis albis amicti, in ſignum triumphi, vel impetratae libertatis, pro qua certarunt, et ſanguinem fuderunt; ut *quintum* habet Sigillum. Periodus viget, in qua *eſt*, et *non eſt* Antichriſtus, ut ejus aenigma tenet Ap. XVII. qua finita denuo ex abyſſo prorumpet, ut ib. dicitur: de quo plura vetat tempus proferre. Altera difficultas, quae, ſi ad Chriſtianae religionis naturam referatur, prorſus eſt inſolubilis, multum imminuetur, ſi principia, ex quibus orta eſt ſub religionis praetextu tyrannis, eorumque principiorum progreſſus per omnia ſecula, ad animum revocentur: in quem campum ſi vos immittere vellem, excuſatio *prolixae* orationis, quam ne nunc quidem ab aequitate veſtra mihi promittere auſim, plane ridicula fieret et odioſa. Sit itaque haec *novae Orationis* materies; et loco *Perorationis*, ſi taedii deprecationem, quod incomtus et longe protractus ſermo vobis peperit, aequis animis acceperitis, praeclare mecum cenſeo actum, et laetus ac alacer ad ſolemnitatem hujus diei progredior; eoque etiam alacrior, quod faſces, de quibus quod dicitur, *faſces ſunt faſces*, in me verum non fuit, cum ne leviter quidem ſtrinxerint manus, deponere liceat: quod in veſtram laudem dictum accipite, optimi juvenes! quorum diligentiae et compoſitis moribus hoc otium, quo me in magiſtratu fungendo frui licuit, acceptum fero. Id agite in poſterum, ut ſucceſſor meus in easdem laudes veſtras deſinere queat; ſi de vobis ipſis, quid enim de nobis dixerim? bene mereri velitis.

D I X I.



SERMO ACADEMICUS TERTIUS.

DE FRAUDULENTA ET VIOLENTA RELIGIONIS TUENDAE VEL PROPAGANDAE METHODO, VERO CHARACTERE SATANAE.

§. I.

ANtichristum et communem humani generis hostem, *Satanam* et *Diabolum* dictum, nec non utriusque *Regnum*, Scriptura tam arcto copulat nexu, ut utriusque *characteres* iidem plane sint oporteat. Praeterquam enim, quod Antichristi adparitio *efficaci Satanae operationi* adtribuatur a Paulo 2 Thess. II. *Draco*, ipsissimus Diabolus, Johanni, Ap. XIII, visus est *suum solium*, *suamque potestatem* dedisse Bestiae, alias Antichristo. Bellum quoque, quod, ut ibid. occurrit, *Bestia cum sanctis* gerit, illud ipsum est, quod Draco, coelo dejectus, ani-

mo volviſſe dicitur Ap. XII. Quid? quod ipſa illa *Beſtia*, quam magna meretrix, ſeu Pſeudo-Propheta Antichriſtianus, inequitavit, Ap. XVII, ipſiſſimus ſit *Draco* et Satanas. Quae et quorum ſimilia licet de Antichriſto Diabolum, ſive incarnatum, ſive ſpecie humana indutum, quod nonnulli Veterum opinati ſunt, non faciant; *Satanae* tamen imaginem in ipſo refulgeſcere, huncque ejus eſſe vivum ſimulacrum, organum et in terris *Vicarium*, unum idemque eſſe illorum criterium, *Antichriſtianamque* ſocietatem pro regno Satanae eſſe habendam, extra controverſiam ponunt.

§. II. Cum autem Antichriſtum, vero ſuo conſpectu, Eccleſiaſticum vel Religioſum eſſe Tyrannum, eumque initio ab Hildebrando, alias Gregorio VII, circa fin. Sec. XI. ſumto, per *quinque* fere ſecula fuiſſe in Eccleſia, variis vicibus licet ſubinde interceptis, graſſatum, duobus praecedentibus *Sermonibus* demonſtraverim: in Satanae et Satanici regni religioſi genuinum characterem et propriam faciem inquiſiviſſe, ejusdemque plane eſſe naturae eviciſſe, abs re minime fore viſum fuit, cum ut Antichriſti characteriſtica qualitas Tyrannica in clariore luce collocetur, tum ut ad *originem* et *principia*, ex quibus natus eſt, planior ſternatur via. Quae diſquiſitio ſicut ad pleniorem Antichriſtianismi intellectum, ita ad fidem meam liberandam supereſt. Memini enim, et vos forte mecum, A. me, ubi de *tempore* orti Antichriſti, ejusque *periodo Hiſtorica*, verba noviſſime feci, hanc ipſam tractationem de *origine* et *principiis* ejus vobis ſolenniter promiſiſſe. Benigna praeterea eorum de ſuperioribus orationibus judicia, quibus vel *verbi Prophetici*, aut *Hiſtoriae* Eccleſ. notitia adcuratior, vel veritas, libertasque debita, curae cordique eſt, me, quidni verum fatear? haud parum accenderunt, ut ſerena conſcientia fretus in opere ſuſcepto pergerem. Quod hac ipſa hora, Vobis, A. H., vacivas aures praebentibus, quod etiam atque etiam peto, inſtituo; *de fraudulenta et violenta Religionis tuendae aut propagandae methodo, vero charactere Satanae*, dicturus, eoque ſermone faſces Academicos, licet vix ſtrinxerint manus, laete tamen depoſiturus.

§. III.

§. III. *Satanas*, cujus characterem animus est in lucem proferre, quis, quidve sit, quid, quove modo, in hominibus et inter eos operetur? ut exponam, et in communem, eumque, post tot de nobilissimo hocce spiritu conscriptos libros, jam taediosum locum excurram, nemo vestrum, scio, a me exspectat; nemo etiam tantus est in Script. hospes, qui nequissimum hunc, simul potentia vel super ipsos sui generis Spiritus eminentem, Principem potestatis aëris, et hujus seculi, sive spiritualium nequitiarum caput, qui cum incredibili sociorum turba domicilium reliquit, Dei et hominum seu *veritatis*, in qua non perstitit, *virtutisque* professum et terribilem hostem, *Diabolum* et *Satanam* adpellari solitum, ignorat. Illud tamen ne vos lateat, mea interest, me hic non de Daemonibus, quorum diversi sunt characteres, qualitates variae, sed de *uno* illo, quem designavi, quemque Script. singulari semper numero *unum* esse studiose inculcat, agere; praeterea me distinguentem ejus qualitatem, quam definire adgredior, non *absolute* sed *restricte*, et ad Religionem, religiosamque societatem relate, intellectam velle. In quaestionem itaque mitto, quid *illud sit in Religione, quod Satanas in primis intendit, agitque?* Quid illud in re Religionis sit Diabolicum, quod eam ad Satanae imaginem conformat, et ejus subjicit dominio? quid, quod regnum Satanae in societatem religiosam introducit? quid, quo posito, ponitur, sublato, tollitur Satanae dominium? denique, ut verbo absolvam, quae qualisve sit dominans societatis Ecclesiasticae qualitas, in qua *thronus Satanae* est *erectus*? ut stylo Apoc. utar.

§. IV. Satanicum esse Divino oppositum, adeoque in eo quaerendum, quod nec Deo, tanquam autori, acceptum ferendum, nec voluntati ejus manifestatae congruum est, sponte sua in oculos quidem sese ingerit, nec in conjectura positum est. At enim sitne illud, quod non est in Religione Divinum, eo ipso Diabolicum, et aliquo si sit dicique queat sensu, sitne *tale*, quod Diaboli, ejusque Regni veras lineas ducat? id ipsum est, quod determinari velim. Deum inter et Satanam,

nam, Divinum inter et Diabolicum, cum medium quid ſeſe offerat, ex hominum vel infirmitate vel cupidine oriundum, *humanum* verius et mundanum, quam *Diabolicum* adpellandum, Satanam quoque cum multum redoleat, quod ipſi volupe eſt, et ad quod ſuam confert operam, in quo tamen expreſſa ejus imago ſeſe conſpiciendam non praebeat; eminentibus et illuſtrioribus coloribus, qui ipſum diſtinguunt, et omnium oculis exponunt, nativis et ſuis coloribus, quid demum eſt, quod eum pingat?

§. V. Per partes quidem ire, et *doctrinam*, *cultum*, *regimen* et *mores*, ex quibus ſocietas Eccleſiaſtica conſtat, diſtincte contemplari, ut ad characteriſticum regni Satanici adtributum veniamus, in facili foret. *Errores*, etiam capitaliores, *ſuperſtitionem*, etiam idololatricam, *illegitimam* regiminis *formam*, *moresque* corruptos, de Satanae coloribus nihil ſaepe trahere, et in proprio inbecillis, vel depravatae, humanae naturae fundo naſci; *ſtudium* vero errandi, et odium veritatis, *deteſtandam* idololatriae ſpeciem, moresque quoscunque *inhumanos*, partem quidem imaginis hujus teterrimae facere, non tamen characteriſticam, adeoque in nullo eorum regni Satanici criterium eſſe ſitum, latius deducere, et clare adfirmare, quod non foret difficilioris operae, maximopere quidem vellem. Sed, cum haud uno nomine mihi operam eſſe dandam ſentiam, quam maxime potero, brevis ut faciam, in rem mox venio, *fraudulentam* et *violentam* religionis tutandae, et promovendae *methodum*, poſteaquam levidenſi brachio ejus *explicationem* perſtrinxero, exſtantius ejus eſſe criterium evicturus.

§. VI. *Fraudulenta* ratio religionem aliquam aliis perſuadendi, a *prudente*, quae nihil vitii, multum boni habet, probe diſtinguenda, ex multiplicibus fraudibus artibusque mendacibus contexta, ut rem in pauca contraham, et ornamentis oratoriis ſepoſitis nude proponam, *primo*, Divinae originis vel adprobationis ficta et falſa ſigna comprehendit, ſive ſint revelationes aut inſpirationes, in ſomniis viſionibusve praetenſae, ſive ſint miracula, aliave dona extraordinaria; vel ex-

cogitata,

cogitata, vel adulterina; *secundo*, varias artes *judicium* hominum corrumpendi, eique imponendi, sive Divinis autoribus spuria scripta inscribantur, sive *vera* vitientur data opera, sive *traditiones* a primis originibus alte repetitae fingantur, sive contortis interpretationibus, et subtiliter contextis ratiociniis, animi magna probabilitate fallantur, sive Divinae autoritatis praerogativae in rebus fidei aut religionis uni aut pluribus in Ecclesia adfingantur, sive grandisonis, sed vanis, verbis et titulis oculi praestringantur, sive, per sinistram aliquam *arcani* disciplinam, interiora religionis mysteria oculis subducantur, per falso et fucato colore illita dogmata oculi fascinentur, sive aliae sint fraudes vix enumerandae. *Tertio*, varia media, astute excogitata, *adfectus* hominum excitandi, et in favorem religionis flectendi, sive per fictam devotionis speciem fallant, sive per verba publica, intimi adfectus benevoli spuria signa, dictis verbisque phaleratis, ducant, sive per rationes moventes a multitudine, antiquitate, splendore societatis religiosae, a multivaria commoditate, utilitate, delectatione, a promissis, aliisque ex fontibus lutulentis et venenatis petitas, animi occupentur.

§. VII. Verum enim vero cum doctrinae alicujus propagatio oppositae destructionem secum trahat, ejusque ruinis sit superstruenda; et illae artes hic in censum veniunt, quae adversae religioni nervos succidunt, eo in primis collineantes, ut illa praejudiciis adgravetur, simul contemtui et odio una cum cultoribus ejus exponatur; sive *novitatis* nota inuratur, sive ab *hominibus* recentioris aevi, tanquam *autoribus*, denominetur, sive cum odiosa haeresi, antiqua vel nova, comparetur et confundatur, sive falsa ei imputentur dogmata, aut vera reticeantur, fucatoque colore obducantur, et sinistris interpretationibus pervertantur, sive invidiosis consequentiis maligne oneretur, sive varia crimina per eam committi improbe venditetur, et pravi rumores sedulo spargantur, sive cum Regum aut Principum edictis, saepe emendicatis, et Praelatorum decretis insidiose committantur, sive denique ridiculis,

odiosisve nominibus, ineptis narratiunculis, mordacibus dicteriis, aliisque modis fiat, ut hominum animi eam horrescant. Sed quis omnes fraudes enarraverit?

§. VIII. *Violenta* religionem defendendi et provehendi, diversamque subruendi, methodus, quae innumeris fraudibus quoque cômitata incedit, a legitima ejus tutela, cum damno licet violentorum hostium, qui in eam impetum faciunt, conjuncta, omnino separanda, omnes illas *injustitias*, quae debitae libertati, et verae conscientiae, vim inferunt, ambitu suo continet, quibus vel via ad veritatem cognoscendam unice apta obstruitur, *vel* ita difficilis et periculosa redditur, ut alii ab ea absterreantur, *vel* veritatis agnitae intimus vix sensus, nedum professio, relinquitur libere et impune, *vel* fidei denique et religionis, qua nec civitati nec ejus membris nocent, sive causa, sive praetextu, hostiliter invaduntur et opprimuntur, sive in fama et honore, sive bonis, sive personis suis per exilia, carceres, tormenta et caedes. In quibus enarrandis si versari vellem, vix exitum reperiret oratio. Nemo etiam vestrum, opinor, A. tantus est in Hist. Eccles. hospes, tam incredibili societatum persecutricium laborat ignorantia, jurium, privilegiorum, conscientiae et libertatis, quibus nec potest nec debet renunciare, adeo imperitus, tantove eorum contemtu ducitur, ut vel quid sit in re religionis violentia, vel quantum cum ejus studiosis gestum sit ab Antichristianis et Paganis bellum, ipsum fugiat. De quo alias.

§. IX. In hac fraudulenta et violenta cum hominibus agendi ratione ubi proprium Satanae hac parte characterem colloco, non illud tantum volo, nihil Divini humanive eam habere, Satanaeque indoli recte convenire, sed 1. nativam et characteristicam ejus qualitatem absolvere, eumque 2. id praecipue in religione intendere, id in primis moliri, non tam ut nulla vel falsa vigeat, quam ut ejus causa vel praetextu partim sese omni ejus fructu privent, omnem vim enervent, partim sese mutuis odiis, discidiis, vexationibus et caedibus discerpant, in propria viscera saeviant, et in exitium praecipitent

miseri

miseri mortales: adeoque 3. in ea societate Regnum Satanae et esse, et sese ostentare, in qua hae artes, hae violentiae, primas tenent; illamque Religionem, qualem qualem etiam alias, Diabolicam vibrare faciem, quae eas vel admittit, vel fovet, vel imperat. 4. Cum vero Divina religio ejusmodi mediis nec opus habeat, nec uti soleat, falsa, vel corrupta, ut inter homines sedem figat, omnem navat operam, eique patrocinatur. Quae quamdiu sese a fraudibus et violentiis in se tutanda et diffundenda abstinet; tantum abest ut in Diabolicam degenerasse haberi debeat, ut in vera alias et divina Ecclesia Satanas thronum suum erexisse censendus sit, si hanc viam insisteret.

§. X. In dominante hocce Diabolico charactere, cujus summas duxi lineas, demonstrando, vobisque de eo convincendis, ut rite et ordine verser, *primo* et ante omnia ad generalem Satanae qualitatem moralem, omnium ejus moliminum fontem et normam, quam cum nomina ejus et epitheta, tum evidentia Scripturae loca depingunt, animos adverti velim. Nomina, sive propria, sive figurata, quibus sacer hic spiritus in Script. venit, animum fraudibus et violentiis immersum, et in homines hominumque societates hostilem, exprimunt. Quid enim aliud *Satanae* et *Diaboli* nomina, illud Hebraeum, hoc Graecum, quibus nefandus hic spiritus solus, nullus alius, tanquam ipsi propriis, insignitur, sibi volunt? quid, nisi *fraudulentum* et *violentum* adversarium? Prius, שָׂטָן *Satan*, quod in *ferventissimo rancore* et *odio inusto* sedem habet, animo et vultu obstinatissimo adversari denotat. Posterius διαβολος *diabolus callidum luctatorem* simul, simul *calumniatorem* et *falsum* accusatorem signat. Utrumque Principem ob oculos ponit, qui fraudibus, calumniis, infestationibus et destructionibus hominum unice delectatur, et in iis totus est. Nec aliam suscitant ideam, quotquot occurrunt nomina emblematica, *Serpentis* antiqui, *Draconis*, *Leonis rugientis*, et quae sunt alia. Quid? quod ὁ πονηρὸς *malus ille* absolute et solus adpelletur.

§. XI. Consulite nunc mecum Script. loca, quae ge-

nuinas ejus qualitates repraesentant, et nullae fere praeter memoratas sub manus venient. Fraudibus et mendaciis totam imbutam indolem primum ejus elogium, quo *Serpens astutior* dicitur *omni bestia agri*, vividissime depingit, νοήματα, βαθη, μεθοδειαι, *excogitata consilia*, *profunda*, astutae artes, fraudulentae circumventiones, quae ei in Script. vindicantur, clare enunciant: sed quid clarius Domini nostri testimonio, quo, sicut a *veritate* desciviste; ita *nulla* in ipso esse dicitur *veritas*, adeo ut *mendax* et Pater *mendacii*, et *ubi mentitur*, ex *sua* propria *indole agere* declaretur. Ad *malitiam* et *malitiosam* ejus indolem pertinet, quod *peccatum* Diaboli, ejusque *opera* in ea ponantur a Johanne, *mendaces* et *osores* proximi *Filiorum Diaboli* titulo ornentur ab eodem; *Spirituales nequitiae* ei aptentur a Paulo, qui et eo digitum intendit, ubi monito de *ira*, vel non admittenda, vel mox deponenda, subjungit, *ne locum date Diabolo;* iram et odium constantem et proprium esse ejus characterem insinuans. Sed, quid multa? sententiam pronunciet, et litem finiat, idem ille magnus Apostolus, ubi *Elymae* Magi picturam fecit, ipsique in os dicit: *o omni fraude ac scelere referte, Diaboli fili, omnis justitiae hostis: non desines rectas Domini vias pervertere?* Vultisne adhuc ipsum Diabolum indolem et agendi rationem, quam in regnis mundi occupandis et sibi devinciendis tenere solet, prodentem? en verba; quibus Domino nostro viam ad supremam monarchiam in terra monstravit in historia tentationis ejus; *quod si Tu me coram adoraveris, erunt omnia Tua.* Sensus est, ni fallor, si meam placeat induere indolem, teque ad meum numen et placita componere, mendacia, fraudes, flagitia, caedes patrare, et per fas et nefas grassari; hanc Tibi certissimam spem facio, Te Regna mundi subjecta habiturum. Hac via ipse supremum inter homines dominium adeptus est; hac eadem ad ejus exemplum, et ejus ope, regnorum et populorum famosissimi, sed et injusti, debellatores.

§. XII. Haec cum sit Satanae indoles, propria et characteristica qualitas: *fraudulentam* et *violentam* religionem, seu

ſeu quicquid in quacunque religione ex fraudibus et mendaciis eſt complicatum, quicquid tyrannice agitur, veram ejus imaginem referre, ejusque genuinum eſſe foetum, facile cernitur. Quod illuſtrius ex *operum* et *moliminum* ejus notitia, quam Script. dedit, adparebit. Quod *ſecundo* ad animum revocari velim. Quemadmodum in primis mundi incunabulis primos homines *mendaciis* ſefellit; unde *Pater mendacii* adpellatur apud Joh. VIII. *Abelem* quoque naeci dedit per Cainum, unde *homicidae* nomen retulit ibid. *cui ſola fratris* juſtitia bilem moverat: ita continuam et apertam cum *ſemine mulieris*, teſte primo oraculo, perrexit gerere *inimicitiam*. Quicquid Lucifer, coelo deturbatus, in poſterum patraſſe legitur in Script. illud omne eo exiiſſe deprehendimus, ut homines ſeſe mutuis odiis et caedibus laceraverint, religio fraudibus et violentiis ſuperaedificata, vel oppugnata, veritas et virtus oppreſſa ſit, veri inprimis et probi ſtudioſi mille malis excruciati, et inſidiis petiti ſint. Satanas, a Deo rogatus, *unde advenerit?* reſpondit in libro Jobi, *a diſcurſando per terram, graſſandoque in ea.* Quod Petrus delineavit emblemate *Leonis rugientis, qui circumcurſat*, ut *aliquem devoret.* Ecce ſummam curarum, occupationum et moliminum ejus! Dominus noſter eundem plane characterem conſignavit, ſi vulgata interpretum opinio, quod non putem, vera foret, ubi Matth. XVI. *portas inferorum Eccleſiae non eſſe praevalituras*, promiſit, Satanae molimina eo tendere omnia ſignificans, ut Eccleſia qua arte qua marte expugnetur. Nec aliae ſunt callidae et hoſtiles adgreſſiones, quibuscum Credentes, ſpirituali armatura muniti, certandum habent, teſte Paulo Epheſ. VI. quam *Spirituales nequitiae* et *perſecutiones*, tela maligni Spiritus ignita; ut ex toto textu manifeſtum eſt: unde etiam vera pendet explicatio armaturae ſpiritualis, ibi memoratae. *Opera* quoque *Diaboli*, quae Chriſtus deſtructum venit, regnum juſtitiae, pacis et charitatis erigendo, teſte Johanne, ex lege oppoſitionis oportet ſint *injuſtitiae* et *oppreſſionum* facinora; quod Ap. ibid. egregie firmat, cum filiorum Diaboli hos ſolos ſignaverit charac-

teres, *non facere justitiam*, et *fratres* non *diligere*. Cui concinit, quod Christus in Ep. ad Hebr. cap. II. morte sua Diabolum abolevisse, *qui imperium mortis habet*, eosque *liberasse* legatur, *qui Mortis metu erant servituti obnoxii* id est, qui vi et metu suppliciorum, et mortis, in ejus servitute continebantur. Quod Satanae regnum religiosum luculenter pingit. Nescio an aliud quid Paulo in mente fuerit, ubi Timotheo vetat *novitium* ordinare Episcopum, *ne inflatus in crimen vel judicium Diaboli incidat*, id est, ut exemplo illustrem, ne alter *Diotrephes* fiat, de quo Johannes testatur eum *primatum adfectasse*, *Johannem ipsum recusasse*, *nec fratres admisisse*, *et ex Ecclesia ejecisse*.

§. XIII. Intuemini nunc, *tertio*, mecum in facinorum Satanae specimina, in Script. obvia, tanquam in totidem specula, quae faciem ejus conspiciendam praebent nativam; et ex ungue leonem, quod dicitur, recognoscite. Praeter vaferrimas artes, obtrectationes, oppressiones veritatis et virtutis, hominumque earum studio ductorum, nihil quod in nobilissimi hujus spiritus rationes eximie transcribitur, invenietis. De Protoplastis deceptis, Abele occiso, Jobo misere vastato, dicta ne repetam; quis *Achabum* in ruinam praecipitavit? *Spiritus mendax!* quis *Saulum* in Davidem incitavit? *Spiritus malus!* Cui Judaeorum, ab exilio Babylonico reducum, infestatio per vicinos populos imputanda est? nonne Satanae, qui Josuae Pontifici dexter adstitit, tanquam accusator, in viso Zachariae, cap. III. et ab Angelo Jehovae est increpitus? Qualem sese Christo praestitit? aliumne ac mendacem tentatorem et truculentum hostem? qui, quod arte non poterat, dein per carnifices id effecisse visus est, quare tunc *potestas* et *hora* tenebrarum vim suam exeruisse dicitur, quum Christus crucifixus est. In *Juda* quid operatus fuerit, quidve eum fecerit *Diabolum*, si quaesiveritis; quid, praeter Christum prodere, eum in manus persecutorum tradere, offendetis? Discipuli Christi, ubi igni coelesti, tanquam fulmine, ictos voluerunt Samaritanos, dubiumne reliquit, quo acti fuerint spiritu,

Dominus

Dominus, ubi, eos objurgans, eos nescire dicit, *quo impellantur?* Nec alium sese erga Discipulos gessit, ubi eos *vexare* et *discutere* quaesivit, tempore passionis, *instar granorum;* pro quibus Christus oravit, ut Deus eos *à malo illo liberaret, ne fides eorum deficiat.* Estne denique quid aliud ac *mendacium*, quod in Anania et Sapphira produxit, ubi *cor eorum implevit?*

§. XIV. Vertite quaeso mecum oculos, ut, *quarto*, ad populos persecutores Christi et Ecclesiae veniam, eosque in *parabolam* Christi, qua Judaeam gentem, antea idololatricam, tunc purgatam, vivis coloribus depingit, defigite. *Spiritus*, dicit, *impurus*, domo sua relicta, ad eam nitidatam rediit, septemque *malignioribus* spiritibus stipatus eam intravit et incoluit. *Impurus* ille est Idololatricus et carnalis, qui Judaeos ad exilium Babylonicum usque occupatos tenuit. Sed, illo expulso spiritu, progressu temporis a malignis arrepti Judaei, religionis suae tuendae ergo in Christum, ejusque Discipulos, minas caedemque spirantes, *eos* devastare adgressi sunt. *Maligniores* audiunt spiritus, ut de Satanae, qui κατ' ἐξοχὴν seu eximie *malus ille* adpellatur, satellibus cogitaremus. Judaeis utique notam *filiorum Diaboli* inussit studium Christum fraude circumretiendi et occidendi: ut ex Johannis Euangelio notum est. Quae mens quoque Paulo fuit, ubi, *Principem potestatis aëris nunc efficaciter operari in filiis inobedientiae*, adserit; illos contumaces a Satana actos indicans, qui, ut ipse antea fecerat, quod mox addit, Euangelio violenter repugnant; quos alibi, in Ep. ad Rom., *importunos* et *malos* vocat, et in Ep. ad Thessal. repraesentat tanquam qui *Dominum Jesum, suosque Vates, interfecerunt, Apostolos exagitant, et Euangelium Gentibus adnunciare* vetant. Quam ob causam *Satanae* mox adtribuit, quod sibi nondum Thessalonicenses adire licuerit.

§. XV. Eodem pede inter Gentiles incessit Satanas, Ecclesiam Christi partim calumniis obruendo, partim omne genus vexationibus et caedibus devastando, Gentilem vero religionem fraudibus et vi tuendo. Periodum persecutionum, quas

Christiani a Romanis passi sunt, adtendite quaeso, quibus verbis Dominus in Apoc. consignaverit. *Ecce*, verba Epistolae ad Smyrnenses auditis, cap. II. *daturus est Diabolus nonnullos vestrum in custodiam, ut exploremini, feretisque decem dierum adflictionem.* Quae cum in eos ingruit, *thronum Satanae* fuisse erectum, Dominus in sequente Ep. ad Pergamenos declarat, *novi tua facta*, dicens, *et ubi habitas, ubi Satanae solium* est. Cujus character ne in obscuro esset, in haec verba pergit: *tenesque nomen meum, nec fidem meam negasti, etiam iis temporibus, quibus Antipas, fidus ille testis meus*, apud *vos interfectus est, ubi Satanas habitat.* Quid regni Satanici in societate religiosa proprios vel solis radiis conscribit colores, si hoc non facit? Nec, minus in rem praesentem illustre est *bellum* Satanae, primum cum Michaele, Principe Angelorum, Johanni in *coelo* visum, quo coelo est deturbatus, dein mox cum *muliere* vel Ecclesia, quam, *fluvio* ex *ore emisso*, inundasset, ni *terra* succurrisset, et fluvium absorpsisset. Quid hoc emblemate, recte intellecto, elegantius, quid aptius? Cuncta enim Satanae in Ecclesiam molimina per *tria* priora secula, usque ad tempora Constantini M., ordine et clarissime repraesentat, nec tamen alia, ac *fraudulentam, violentamque* religionis receptae Gentilis defensionem, Christianaeque oppugnationem, comprehendit. Ferte quaeso me, A. luculentae hujus picturae intellectum tribus, ut ajunt, verbis pandentem. Satanas, qui, ne propriam, quam hic gerit, personam ignoraremus, partim a Serpentinis fraudibus, et diabolica malitia, nominibus *Serpentis* et *Draconis* describitur, partim in scenam prodit, *tertiam stellarum partem cauda* trahens, et in terram praecipitans, ne nos lateret, illum a destructa rep. et Ecclesia Judaica recentem esse, sive illam, proxime factam, pone se habere, quod ad ejus indolem cognoscendam et temporis notam figendam haud parum facit; Satanas, inquam, primum in Ecclesiam Christianam, in Romano Imperio, tanquam ejus respectu deserto, degentem, alasque suas indies extendentem, impetum fecit per *calumnias* in primis, et crimina falso impacta, per sacrificulorum

culorum et ſophiſtarum impoſturas. Quo *belli* cum Michaele in coelo tendit pictura. Figuratam enim hanc deſcriptionem ſi ad nudam redigas veritatem, pugnam religioſam et ſpiritualem inter Gentiles et Chriſtianos hoc velo involutam videbis, qua *illi* per fallacias et convitia, calumnias et delationes, hi per patientiam, virtutem, et apologias, veritatisque demonſtrationes, certarunt. Quae utriusque partis arma ipſo illo in cap. XII. haud obſcure exhibentur. Hujus pugnae eventus cum Satanae fuiſſet fatalis, religione Chriſtiana magis magisque proſerpente, et de imperio Romano brevi, ut videbatur, triumphatura, quod *Satanae* de *coelo in terram dejectio* expingit; ſerpentinam larvam exuit, et Diabolicam indolem palam oſtentavit. Draco enim, poſteaquam per *duo* et *dimidium* ſeculum, usque ad tempora Deciana, ſpirituales ſuas nequitias fruſtra exercuiſſet, Chriſtiana vero religio mirabiles et ſtupendos feciſſet progreſſus, quod ipſum eſt periodi usque ad medium Sec. III. dominans criterium, *fluvium* perſecutionum in eam evomuit, Eccleſiam aperto marte per publicas, edictisque Imperatorum munitas, perſecutiones adortus. Quod a Decio initium ſumſit, et ad Conſt. M. usque duravit, iſtiusque *ſecundae* periodi Eccleſiae characteriſticam notam figit. Quod ipſum quam male ipſi ſucceſſerit, ex hiſtoria liberationis Eccleſiae per Conſt. M. nemini non notum eſt. Tunc enim *terra* fluvium hauſit. Quae ſuſius explicuiſſe, nihil adtinet.

§. XVI. Nec alia deſunt loca, quae eandem Satanae, in Gentiliſmo dominantis, perſonam deformant, ante in medium proferenda, quam ad Eccleſiam Pſeudo Chriſtianam Satanicam pergam. Paganismum ubi Paulus *poteſtatem Satanae*, in Actis Ap., adpellat, has ipſas impoſturas, et vi armatas poteſtates, quibus, tanquam fundamentis, illa religio innixa fuit, vel vehementer fallor, vel praecipue in oculis habuit. Utique illud palam declarat Petrus Emblemate *Leonis rugientis, qui circumcurſat, ut quemvis devoret*, quod cum ex ipſa illa imagine, tum ex verſu ſeq. ubi *easdem adflictiones reliquis in mundo fratribus incumbere* dicit, extra controverſiam eſt. Quo

Paulus quoque respicit, ubi *se ex ore Leonis esse ereptum* refert 2 Tim. IV. Nec aliud *ipsi* animo fuit obversatum, cum *Deum pacis Satanam brevi sub pedibus eorum contriturum* esse, in eorum solatium, praenunciat, *pacem* et *persecutiones*, Deumque *pacis* et *Satanam*, egregie sibi invicem opponens. Eandem denique characteristicam Satanae qualitatem inculcat, quod tanquam *totius orbis deceptor*, dum inter Gentiles regnum obtinuit, describatur in Apoc. c. XII. quo quid intelligatur, ipsa alio loco dicat, Apoc. c. XX. ubi Satanas, tanquam tuba et signum belli Gogi et Magogi, hac ipsa phrasi notatur, *solvetur Satanas*, ita sonant verba, *exibit*, *ut decipiat Gentes---- ut congreget eos in proelium cum sanctis.*

§. XVII. Posteaquam Satanas, qui antiquam suam aulam doctis dolis, atrocibus astutiis, et potentissimo dominio, tanquam veterator, fortissimusque bellator, diu tenuisset tranquillam, ut est in parabola apud Luc. XI. quod ipsum ejus characterem confirmat, a potentiore oppugnatus esset in orbe Romano, et superatus, vasis ipsi ereptis: nihil de indole et proposito remisit, nec animo, vindictae cupido, et dominandi ardore flagrante, concidit. *Iratus* enim *mulieri Draco*, sic enim, bello cum Michaële et muliere narrato, pergit Apocalypsis, *ivit illatum bellum reliquis ejus seminis, qui Dei praeceptis obedirent.* Attamen aliam induit speciem, sese in *Angelum lucis*, quod de ipso adfirmat Paulus 2 Cor. XI. *transformando;* eaque sub persona, praetextu ipsius religionis Christianae, eandem fabulam alio nomine, magis etiam quam unquam antea, egit. Principiis enim jam ipso illo seculo *quarto* aliquatenus jactis, et progressu temporis firmatis et ampliatis, falsa quoque religionis specie externa in Ecclesiam inducta, ne materia flammae persecutionis suscitandae deesset; rem tandem eo adduxit, ut in ipsa Ecclesia Christiana Princeps exortus fuerit, aeque ac ipse superbus, ambitiosus, vafer et truculentus, cui ipse potentiam et regnum suum commisit, quemque direxit, vexit, et animavit. *Antichristum* innuo, *cujus adventus Satanae opera est cum omni falsorum prodigiorum*,

rum, portentorum, miraculorumque genere, cumque omni scelerum fraude conjunctus: ut Paulus 2 Theſſ. II. ipſis verbis praedixit. Qui in religione tutanda et propaganda ad vim adcommodatus in diſſentientes haud minore, ſi non majore, impetu quoque per multa ſecula irruit, et immanem in modum deſaeviit. De cujus charactere, et dominii periodo, duobus praecedentibus in ſermonibus fuſius dixi. Ad hos ipſos nomine, non re, Christianos, qui religionem Chriſti, varie contaminatam, improbis ſuis moribus et factis cum Satanica permiſcent, intus lupos, foris oves, non errabitis, ſi mecum adplicueritis parabolam Domini de *Zizaniis*, a malo illo in agro mundi ſeminatis, hic, dum excreverint, quidem, velint nolint veri Chriſtiani, ferendis, non violenter eradicandis, ſed ſuo tempore a Domino evellendis et in ignem conjiciendis. Ipſe enim ſupremus Doctor, *offendicula* regni ſui, et *operatores iniquitatis* repraeſentari, docet in explicatione ejus.

§. XVIII. Antichriſtianismi regno in obſcurum miſſo, et nova hac regni Satanici ſcena finita, Diabolus per *mille annos* legitur *ligandus, ne decipiat toto illo tempore gentes;* quando regnum *pacis*, quae vera eſt regni Chriſti indoles, et *charitatis*, fraudibus et violentiis omnibus ceſſantibus, in omni vigore ſuo florebit. Expletis vero mille annis, *ſolvetur Satanas e carcere ſuo, et exibit, ut ſeducat Gentes, quae ſunt in quatuor angulis terrae, Gogum et Magogum, ut congreget eas in proelium &c.* Quae eandem Satanae indolem ſpirant, et characteriſticam ejus, ubi dominatur, qualitatem ſtabiliunt, hic latius non deducenda.

§. XIX. Haec licet theſi, quam in principio poſui, abunde ſufficiant adſtruendae, multum tamen lucis infunderet et ingens momentum adderet ipſa *fraudulentae* et *violentae* methodi in re religionis contemplatio. Quae vel luce meridiana clarius patefaceret, tantum abeſſe, ut quid Divini humanive habeat, ut Dei Chriſtique naturae ac regno, hominumque conditioni, nihil magis adverſetur; adeoque ad omnis veri, juſti et aequi, Dei et hominum hoſtem furibundum, quem *Satanam*

nam adpellamus, nihil adcommodatius. Quam in rem si orationem defigere, si in ea multis commorari, et per singula ire vellem, ubi inciperem, ubi finirem? si necessariam judicarem tractationem, de vobis male opinandi a suspicione vix liberari possem. Res luce fulget nimis *clara*, vos rectius instructi, et superiorum temporum memoria, nimis adhuc recente, melius edocti estis, A., quam ut solo Satana dignum esse illud institutum, vel ignoraretis, vel dubii haereretis. Ad ipsam eorum, qui in hisce Satanae castris militant, provocare ausim conscientiam, ipsum eorum judicium, nihil dubitans, quin, si vel insitas animi notiones excutiant, vel impetus flagrantis animi ceciderit, vel et contra se adhiberi experiantur, secundum me sint pronunciaturi.

§. XX. *Deus*, ut carptim aliquid adstringam, ne sine peroratione cui nemo irascetur, nisi sui accusator, nimis abrupte et indecore finiam, cum ipsissima sit *veritas* et *justitia*, lux purissima, ipseque ex animo, in *spiritu* et *veritate*, coli velit, praecipua ejus cultus pars in imagine Dei exprimenda, et virtute colenda, sita sit, hominem praeterea ratione et libertate ornaverit, sibi quoque *credendorum* et *faciendorum* regulam conscientiis praescribendi, et de hominum judiciis et actionibus judicium ferendi, potestatem reservaverit, homines denique hac parte aequales fecerit, illique, ut amice et pacifice secum agant, et felices sint, pro summa sua bonitate voluerit: quid, quaeso, a natura Dei alienius, quid scopo et relationibus ejus ad nos magis contrarium, quid ad religionem veram, ad regnum Dei e medio tollendum aptius hac methodo excogitari potest?

§. XXI. Christianam religionem, et societatem, quam *Ecclesiam* vocamus, quacunque parte contemplemur; *sive* ad ejus Autorem, unicum ac supremum Caput, mitissimum et optimum Doctorem, simul benignissimum omnium servatorem et Dominum, ejusque agendi rationem, quam inter homines tenuit ipse, oculos vertamus; *sive* regiam et characteristicam civium et membrorum ejus legem *charitatem*, *ad ipsos hostes et perse-*

persecutores extendendam, quae ne laeso quidem genuinum dentem infigere permittit in laedentem, ad animum revocemus, *sive* omnium regni ejus subditorum aequalitatem, mutuas ad ipsum unicum magistrum et Judicem relationes, quae dominio aut imperio in se invicem nullum relinquunt locum, quas ipse Dominus Matt. XXIII: 1---12. luculenter exposuit, et discipulis suis tam studiose inculcavit, intueamur; *sive* scopum omnium ejus dictorum, et operum, regnum scilicet veritatis et virtutis in hominum animis erigere, ob oculos ponamus, *sive* ad viam reflectamus, qua per arma spiritualia, demonstrationem ad conscientiam, et patientiam, regnum ejus sicut propagatum est, ita ipse rex propagari voluit, et suis expresse injunxit; *sive* denique ad supremum et infallibile judicium, cui soli stamus, cadimusve, ab ipso solo, suo tempore habendum, animum adhibeamus; verbo, si Reguum Christi ab omni parte circumlustremus, nihil magis hac mendace et tyrannica methodo in illud adversis frontibus arietare, nihil acerrimo ejus inimico magis convenire, luminibus orbus sit, qui non perspiciat.

§. XXIII. Quid de *Veritate* et sana *fide*, qua quisque apud *animum suum persuasus* sit oportet, quae proram et puppim in regno Christi facit, dicam? cui fulciendae et dilatandae nihil ineptius, labefactandae et exstirpandae nihil est fraudibus et violentiis aptius. Praeterquam enim, quod sua lūce radiet, mendacio et vi non magis quam lux tenebris illustretur: summa non tantum ei, ejusque Auctori, quin et *homini*, ratione praedito, fit injuria, et insuperabile creatur praejudicium, ubi non suis, sed errori et mendacio propriis, mediis defenditur, hominesque obtorto collo in fictum ejus obsequium, qua arte, qua marte, trahi necesse habent. Quid? eam Divinam credam doctrinam, quae, ut vim et autoritatem habeat, ipsas boni et justi notiones insitas in me delere, divina humanaque jura conculcare opus habet, meque omni libertate, privilegiis, bonis et vita privat? Ecquam quaeso in me producet subjectionem, haec methodus? veramne, quae ex intima convictione oritur,

ſolaque valet, an potius fictam falſamque, quae in ore volitat, a corde aliena? Veritas denique iisdemne fulcris innixa ſtabit, quibus error? eodemne modo ſeſe commendabit, quo poteſt mendacium? Religio, ſi ejusmodi pro ea certandum ſit armis, primas teneat neceſſe eſt, ſive vera ſive falſa, ubi potentiores fuerint fraudes, violentiaeque, quae adhibentur.

§. XXIII. *Pietatis* et *virtutis*, ſine qua fides inane nomen, religio nulla eſt, ſi ratio habeatur, quid quaeſo ad eam funditus evellendam vel fingi poteſt validius? ſicut enim virtutes *veracitatis*, *juſtitiae* et *beneficentiae* per fraudes et vim directe violantur; ita Eccleſia, vel ſocietas, quae adprobat et adhibet, hypocritis et ſceleſtis hominibus ſcatebit tota, lataque aperietur quibusvis ſceleribus et facinoribus porta; ipſa religio, omni virtute caſſa, in puram degenerabit ſuperſtitionem, vel larvam, hominumque mutuam adferet perniciem. Religionis ſtudium ſi viam ad imperium et dominium ſternat, ſi alios circumveniendi, ſpoliandi, adfligendi et occidendi, jus faciat; ſi ſanctiſſimas aeterni juris leges migrandi, arctiſſimaque ſocietatum vincula rumpendi, in quoscunque diſſentientes graſſandi licentiam praebeat; ambitionis, avaritiae, odii, libidinis, crudelitatis, aliorumque vitiorum quam foecunda ſit officina, quid exponere adtinet?

§. XXIV. Ex quibus, quanta ſit humani generis, omniumque ſocietatum peſtis, quanta omnium artium clades, eruditionis et ſcientiarum obſtaculum, vel ruina, infernalis haec methodus, cui, niſi qui omnem ſenſum perdidit, et bonam mentem ejuravit, non patet? Hominum enim ſocietatibus quid, ea dominante, fiet? Homo homini erit lupus, nec hospes ab hoſpite tutus, *filius diſſociatur a Patre*, *filia a matre*, *et nurus a ſocru:* hominisque *inimici* ipſi *ejus domeſtici*, ut Dominus ipſe dixit; *nec credendum ſodali*, *nec fidendum duci*, *nec marito uxori*, *in ſinu ejus cubanti*, *optimus eſt inſtar ſpinae et rectiſſimus deterior dumo;* quae Michae c. VII. eſt deſcriptio; omnium manus contra omnes, nulla pax, nulla tranquillitas, nemo vitae poſſeſſionumque ſecurus, nulla benevolentia,

tia, nulla animorum nisi *factiosa conjunctio*; ubique metus, ubique lacrymae, ubique humanam vitam circumstrepentes minae, inter malleum et incudem, quod dicitur, semper esse, et multiplex mortis imago. Quo quis nequior, astutior, truculentior, potentior, eo melior, et religiosior. Probus quisque vel opprimetur, vel fugabitur, silentio et tenebris nisi sese involvat, sibi, musisque, canat prudenter, ne hoc semper sub tegmine tutus; nisi personam vulgatam induat, aliud pectore clausum, aliud ore promtum habens, et conscientiae carnifex fiat. Quid praeter ergastulum, ubi nulla libertas, praeter speluncam latronum, societas? ubi omne jus et fas religionis causa vel praetextu spernere licet: o miserum humani generis statum! genuinum non Dei, non hominis, sed Diaboli, ejusque filiorum, ferarum in hominum forma, regnum! ô servum pecus! sed quo me justa abripit indignatio?

§. XXV. Digitum adhuc intendamus ad *fontem*, ex quo fraudulenta haec et violenta methodus emanat. Quid quaeso planos hosce et hominum laniones agit? quo feruntur spiritu? Dei, putabimusne, et religionis, hominumque salutis studio? Praetexant, se Deo gratum facere officium, discipulos Christi, homines, nullo crimine, nisi veri rectique studio, notabiles, mactando; sibi fortasse et devotae plebi, sui similibus, et vel nullius virtutis sociis, fucum faciant: longe alia principia, quae nihil divini habent, *Satanica* verius, quod et ipsum cum orcitenente spiritu habent commune, lyncaeis haud opus est oculis, ut detegantur. Discipuli Christi, qui, ubi Samaritanos voluerunt sideratos, sese gloriae Divinae et pietati in Christum litare sibi videbantur, sese inveterato Judaeorum in Samaritanos odio, et vindictae ob denegatum hospitium, vere inservire non adtendentes, *quo spiritu* raperentur ignorarunt. Pejores longe sunt Zelotae Antichristiani, quos *vel ambitio*, qua *magistri* salutari, et numen suum ab omnibus adorari gestiunt, velut oestro exagitat, vel *dominandi*, aliisque inequitandi, legesque scribendi, libido inflammat, vel *sectae*, ad quam, tanquam ad saxum adhaerescunt, quae ut duret, caputque ad astra tollat, sua in-


tereſſe norunt, ſtudium dementat, *vel* avaritia, qua aliorum bonis inhiant, occoecat, vel *invidia*, *vindicta*, qua dolorem ſuum expiare, et aliorum ſplendori obſtruere, conantur, aut indolis auſteritas acuit ad crudelitatem; aut alia inhumana vitia praecipites agunt. Antichriſtus, qui in Templo Dei ſedere, ejusque cauſam, tanquam Chriſti vicarius, agere vel praetexit, vel ſibi videtur; qualis ſit, quibusque agitetur principiis, ſi perſpectum habere velitis, eum tanquam *flagitioſum*, *hominem perditum*, ad inſaniam usque ambitioſum et ſuperbum, qui ſeſe ſupra *quicquid Divinum et Auguſtum eſt* elevat, a Paulo depingi pectoribus hauriatis velim. Nec aliae ſunt lineae, quibus Satanam ejusque miniſtros, qui terram tremefaciunt, et regna concutiunt, ſuo penicillo adumbrat Jeſ. *Quomodo excidiſti coelo Lucifer*, *fili aurorae?* ita de Babylonio, ejusque exemplari Satana, Jeſ. *tu vero dixeras animo tuo*, *conſcendam coelos*, *ſupra ſtellas Dei omnipotentis efferam ſolium meum &c.*


§. XXVI. Infamem hanc et terribilem, orcinis incudibus formatam, ecquis noſtrum eſt, A. qui adtenderit methodum, qui ſummum Dei beneficium, quo, nos libertati adſerendo, et Satanam ſub pedibus noſtris conterendo, mactavit, grata dies noctesque non recoluerit mente, exoptatiſſima haec conditio ut perennet, ardentibus non contendat precibus? Quis etiam noſtrum eſt, qui Sirenum cantibus aures non obturet, et Diabolo non reſiſtere conetur, ne aut ipſi apud Sirenios ſcopulos conſeneſcamus, aut alios vel ſpecie tenus adhaereſcere, quantum pote, ſinamus. Sed ſi mala graſſentur extrinſecus, ne in viſceribus ardeant, ne laudi ducatur zeli praetextu humanitatis leges violare. Quod ſi qui ſint, qui puram noſtram fidem, ſanctamque religionem turbare, eique vel inſidias ſtruere, vel vim inferre, vel haereſes, ſed eo nomine dignas, contra jus et fas introducere manibus, quod dicitur, pedibusque laborant, eos ad exemplum Domini, inſtar Satanae, *poſt nos abire* cogamus. Utinam beata illa tempora adlucerent, *quibus lupus cohabitabit cum agno &c. nec nocebunt*, *neque injuriam inferent in toto monte Dei ſancto &c.*

Super-

Supereſt, ut ſolemnibus hujus diei pro more jam tandem defungar, faſcesque antea aliquando graves, nunc leves, in Succeſſorem meum transferam. Tertium Academiae Rector altera vice, mihi in veſtram, Optimi Juvenes, laudem deſinere licere, mihi, et Academiae, quin vobis ipſis impenſe gratulor. Diligentiam veſtram, moresque compoſitos, quibus mihi altum feciſtis otium, publice in laudem veſtram celebro; vosque per omnia jura obteſtor, ut eandem laudis veſtrae materiam ſucceſſori meo praebeatis, noſtrumque Lyceum per vos etiam, ut in aliis rebus multis, ita et in hac pace et tranquillitate ſupra reliqua emineat.

D I X I.





SERMO ACADEMICUS
QUARTUS.



DE PERICULO, ECCLESIIS PROTESTANTIUM A PAPISMO, SED QUA ANTICHRISTIANO, IMMINENTE.

§. I.

FAsces Academicos, *quartum* gestos, *oratione* dicam more Majorum, an *sermone?* depositura, variasque circa materias magis quam unquam distracto, adeo etiam ut longo tempore anceps haeserim, haud unam in manus sumserim; tandem, nescio quo fato, Magni viri verba, olim ante 7 lustra lecta, sese improviso obtulerunt, et relecta in animum tam vehementer penetrarunt, ut volentem nolentem in hoc, quod mox proferam, defixerint argumentum. Verba, quae in oculis habeo, sunt Cl. Vitringae P., nostis quanti viri! quibus sub

ſub finem praefationis Methodi Homileticae, diſcipulos, inter quos et ipſe paulo ante adhuc fueram, in hunc modum adlocutus eſt: *inter alia autem officia, vobis nota, vos ſerio moneo, ut greges, ex diſpenſatione Domini vobis committendos, diligenter inſtruatis adverſus tentationes fidei et adflictiones ac luctam ejus cauſa ſubeundas, ſi forte haec ſit voluntas Domini. Verbum Propheticum nos ad hujus Sententiae* προληψιν *omnino ducere videtur; et, licet Deus, pro ſumma in Eccleſias longanimitate, nobis adhucdum in hoc Belgio indulgeat halcyonia, circumſtantiae tamen temporum et rerum, hic non recenſendae, prudente oculo inſpectae, ejusmodi ſunt, ut eventus a noſtris temporibus alienus non videatur. Interim certum eſt, Patrem tempora et tempeſtates in ſua poſuiſſe poteſtate. Vos*, quidni enim reliqua pia monita adjungam? *ſuis temporibus et locis edocete Eccleſias de apoſtaſia Romana, ejusque religionis foeditatibus et abominandis: animate eas, ſi ignis propius accedat, ad conſtantiam, patientiam, exemplo quoque petito ex martyribus priſci et recentioris aevi, et in primis date iis in manus arma, quibus tela Satanae repellant, et orate Patrem coeleſtem, ut, quatenus per juſtitiae et ſapientiae ejus leges licet, tempeſtatem a nobis depellat vel mitiget.*

§. II. Prudentis profecto Viri, quis neget, ſalutare admodum conſilium! cum *ſapientis ſit praevidere malum*, et Deus quoque fata Eccleſiae eum in finem per Prophetas revelaverit, ut fideles ſeſe ante pararent ad ea digne excipienda vel ferenda; quorum itaque officium etiam eſt, ſaepe ipſis inculcatum, *ad ſigna temporum adtendere*: digna, inquam, magno viro admonitio! modo vera ſit hypotheſis, cui innixa eſt, ejusmodi tentationem et adflictionem eſſe ab Eccleſia Romana Antichriſtiana, quam intendit, exſpectandam, nec a noſtris temporibus longiſſime remotam. In verbo Prophetico cum ad miraculum usque verſatus fuerit, Princeps in hoc ſtudiorum genere omnium calculo, et Jeſaiae ac Apocal. *commentatoris* elogium, tanquam ſibi proprium meruerit, prudens quoque temporum indagator et hiſtoriae peritiſſimus, ſingulari de-

nique pietate conſpicuus: tanta ejus hac in re eſt autoritas, ut, ſi non perſuaſionem, quod non decet, favorabile ſaltem praejudicium parere apta nata ſit tam fidens ejus adſertio. Cui rationi ſi adjunxero, magni eſſe hanc quaeſtionem momenti, a cujus recta deciſione multiplex noſtrorum officiorum dependet exercitium; ne de noxiis, falſa ſi ſit, dicam effectis, quae in oculos facile incurrunt, dignam mecum quin judicaveritis materiam, quam in publica hac corona, praeſentibus quoque Eccleſiae paſtoribus, quibus Cl. Autor hoc inſinuatum voluit, tractem, vix dubitaverim. Placuit eo quoque nomine, quod cum ſuperioribus, ſimili occaſione, ſermonibus aliquam habeat connexionem. Sicut enim periodum Antichriſtianismi, in bello Papali, a Papis, tanquam ſupremis in Eccleſia, et eo nomine in Civitate, Dominis, publice geſto cum Imperatoribus vel Regibus, nec non haereticis et Infidelibus, fidei ſuae et religionis, vel rectius eo praetextu omnipotentiae ſuae fundandae et vindicandae ergo, ſitam eſſe, eamque, a Sec. XII. ad usque Reformationem ſtabilitam Sec. XVI. ſub exitum, fluxiſſe demonſtravi *duobus in ſermonibus*, ita eandem periodum, per Reformationem, quae novam produxit Eccleſiae reformatae periodum, interceptam, ſuo tempore ſeſe denuo in omni vigore ſuo exſerturam, ſed ad longe breviſſimum tempus, et in propriam perniciem, nunc ſuſcepi probandum. Dicam itaque, A. ne ambagibus utar, de periodi Antichriſtianismi ultima parte renovanda, ſeu, *de periculo Proteſtantibus a Papismo Antichriſtiano impendente*, et fundamentum, cui ſummi Viri ſuperſtructa eſt adhortatio, verum et ſolidum eſſe evincam ex *Apocalypſi*, harmonia Verbi Prophetici, et viarum Dei, denique utriusque partis adverſae, Papiſticae et Reformatae, ſtatu, prudente oculo conſiderato. Triſtis licet ex parte et ingrata videatur materia; utilis nihilominus, et neceſſaria, ſimul reſpectu eventus laeta, nec a perſona, quam gero, aut aetate, quam adtigi, aliena. Favete itaque, ſi poteſtis, auribus, et ſedete judices.

§. III. *Theſis*, quam probandam ſumſi, habet, Eccleſias

clesias Protestantium, cujuscunque sectae, Papismo adversas, novam, eamque saevissimam, metuendam habere persecutionem, sed brevissimi temporis, et cum longe laetiore eventu; seu, Papismum Antichristianum nova et ultima vice impetum in Ecclesias illas facturum, inque eas multiplici violentia grassaturum, per excommunicationes et anathemata non tantum, sed in primis inquisitiones, carceres, tormenta, confiscationes bonorum, bella, et quaevis supplicia alia ac caedes, sed ad breve tempus, et in totalem sui ruinam. *Scenam* itaque, quae Reformationem peperit, esse longe vehementius denuo agendam, at in excidio Antichristianismi, et consummata reformatione, terminandam: adeo ut duae proxime praecedentes Ecclesiae periodi, *altera* Antichristiana, *altera* Reformata, sint revocandae et perficiendae, indeque duae ultimae Ecclesiae aetates oriturae, *prior* Antichristiana saevitura et peritura, *posterior* Reformata, adflictione finita, glorisissime instauranda, et consummanda in terra. Quae duae sunt periodi *sexta*, et *septima*; sicut praecedentes, Antichristiana *quarta*, et Reformata *quinta*, fuerunt. Plura ad thesin explicandam non addo, cum Papismi Antichristiani characterem et *periodum* superioribus in sermonibus satis depinxerim.

§. IV. Thesios fundamentum in *Apoc.* Johannis cum praecipue sit situm, in ea ex hoc libro adfirmanda mihi dari postulo, Divinam ejus esse originem, et ad Ecclesiae Christianae fata, usque ad finem seculorum, spectare. Quod minime iniquum esse postulatum, Christianorum, paucos si exceperitis, minus audiendos, consensus, et plurimorum certa demonstratio extra dubium collocat. Cum vero per cunctas hujus libri partes, *Epistolas*, *sigilla*, *tubicinia* et *phiolas* excandescentiae Dei, ex quibus *Apoc.* maxime constat, sparsa sit thesis, duobus visis c. XI et XVII. expresse et fusius exposita, nec circa eas conveniat inter Theologos; *duobus* adhuc aliis mihi in hac demonstratione rite instituenda opus est postulatis: quorum *alterum* est, Ecclesiae *casus* characteristicos, sibi ordine succedentes ab initio ejus ad finem, qui *septem* periodos faci-

unt, in *Epistolis* et *Sigillis* repraesentari, hoc tantum cum discrimine, quod *Epistolae* ad statum Ecclesiae moralem, ex virtutibus vel vitiis notabilioribus aestimandum, *Sigilla* vero ad statum Ecclesiae exteriorem, regimen in primis et disciplinam, luctam cum haereticis vel infidelibus persequentibus, incrementum vel decrementum in orbe, pertineant: *tubicinia* vero, *septem* quoque numero, totidem singularia Dei judicia, temporis characterem ducere apta, eaque sonora sibi ordine successura, depingere, quibus non tam Ecclesiae, qua tales, quam civiles societates, quarum tamen arcta est ad Ecclesiam relatio, adfligerentur; adeo ut *Epistolae*, *sigilla* et *tubicinia* septem periodos Ecclesiae definiant; sed *Epistolae* respectu *interni* et moralis status, *sigilla* externi, *tubicinia* societatis et status civilis respectu. *Alterum* postulatum est, *bestiam* Apocalypticam esse Papatum, non qua talem, absit! sed Antichristianum Sec. XII. et sequentibus maxime dominantem. In quibus hypothesibus ut verser adstruendis, nec hora nec patientia vestra permittit; fecerunt et alii, in primis Cl. Vitringa, fecimus et nos ipsi in Sermonibus de Antichristo.

§. V. Figite nunc mecum, ut in rem, quam ago, veniam, adtentionem in *quintum* sigillum Ap. VI: 9--11. quo, quod probe adverti velim, *tria* secundum *tres* temporum differentias sistuntur conspicienda, *praeteritum*, *praesens* et *futurum*; quorum *primum* et *ultimum*, *illud* praecedentis, seu *quartae*, *hoc* sequentis seu *Sextae*, *medium* vero *quintae* periodi seu reformationis characterem ducit. *Primum* exhibet *animas* Martyrum, euangelii causa, durante periodo Antichristiana, praecedente sigillo, seu viso *equi pallidi* et *equitis*, cui nomen *mors* et *infernus*, quartam terrae partem occidentis, delineata, occisorum; tanquam quae longo tempore quasi neglectae et sepultae jacuerant, vs. 9. *Secundum*, *cum* clamorem vindictae a Martyribus sublatum, *tum* stolae albae amictum, quo vestitae sunt. animae Martyrum, in scenam producit, tanquam characteristicum periodi *quintae*, seu reformatarum jam Ecclesiarum, criterium, in libera et publica fidei et religionis, ad normam

normam euangelii, professione situm, pro qua Martyres praecedentes sanguine suo certaverant, quamque nunc impetrarunt, ita ut causa eorum fuerit justificata et triumphaverit, ipsique quasi revixerint, sesque publice, voceque libera, ostentaverint in Protestantibus, in quibus Martyrii sui fructus carpserunt, quo *clamor* animarum, et *stolae albae* clare ducunt. Videamus nunc de *tertio* et ultimo, quod dictum Divinum comprehendit, de *vindicta*, a persecutoribus sumenda, aliquandiu differenda, donec *conservi martyrum compleantur*, *occidendi ut ipsi*. vers. 11. *Primum* et *tertium* cum periodum persecutionis pingat, *secundum* vero inter utramque illam mediam sistat, liberae et publicae vocis ac justificationis causae Martyrum, quae est Protestantium et Reformatorum conditio: persecutionem Antichristianam, quae praecesserat, eandem hanc reformationis periodum excepturam esse, adeoque novam Euangelicis incumbere persecutionem, quae novam constituet periodum Antichristianam repetitam, haud obscure elucescit. Sicut enim visum sigilli V*ti* characterem figit periodi V*tae* in Ecclesiarum reformatarum libertate positum; ita ad praegressam periodum persecutricem digitum intendit, et de eadem repetenda in posterum admonet.

§. VI. Haud leve addit momentum, quod, Antichristiani et omnis adversarii regni destructione viso *sigilli* VI*ti* exhibita, praeter conservationem multorum ex summis illis malis, quibus Deus in hostes Ecclesiae animadverteret c. VII: 1---8. adjungatur, tanquam judicii ejus consequens, triumphus coelitum et fidelium, in statu felici collocatorum, et inter eos maxima multitudine *stolis albis* amicti compareant, Johanni ignoti, sed ab Angelo descripti, tanquam qui *venerint ex magna illa adflictione* ib. vs. 13. Quae quaeso haec adflictio? illane, quae Martyres sub periodo Antichristiana dedit, cujus modo memini, an nova, qua *conservi* eorum consummarentur? non *ista*, quicquid Interpretes velint, sed haec; *cum* quod Martyres clamantes et stola alba induendi, in viso superiore Johanni monstrati, non erant ei amplius, ut hi,

 ignoti,

ignoti, *tum* quod illi fuerint *mactati*, qui *clamarunt*, hi vero incolumes manserint, et cladibus illis superstites triumphum cecinerint. Nova itaque oportet intelligatur persecutio, ipsa illa periodo *sexta* futura, quae Antichristianismi excidium proxime praecederet.

§. VII. Vertamus nunc ad verba Domini oculos in epistola ordine VI*ta* ad Philadelphenos c. III: 10. *quoniam servasti verba patientiae meae, ego quoque te servabo ex hora tentationis, quae veniet in orbem universum, ad explorandos hujus terrae incolas:* non tam faciendo, ut in eam non veniant, licet et illud, respectu multorum seu paucorum, non sit excludendum, quam ne succumbant a fide deficiendo, aut pereant. Ecquae haec est afflictio fidei causa? talem enim quoque comprehendi dubio vacat. Id quod ex prophetico Ecclesiae Philadelphenae conspectu, quem praesuppono, judicandum est. Periodi *Epistolarum* et *Sigillorum* licet secum comparandae sint, quatenus *interior* Ecclesiae status describi in Epistolis soleat respectu *exterioris* conditionis, ad quam *sigilla* pertinent: *periodos* tamen non est existimandum sibi exacte respondere, cum varia Ecclesiae, virtutum et vitiorum respectu, possit esse, eodem durante *externae* Ecclesiae casu characteristico, facies, et periodi ad res, non hae ad illas sint conformandae. Periodi itaque epistolarum et sigillorum secum sunt prudenter conferendae, nec uno eodemque filo decurrunt. Quod minus observatum periodorum patronos in varias conjecit angustias, et adversariis dedit haud unam eas oppugnandi rationem: de quo hic non est disserendi locus, alibi exposui. *Sexta* vero periodus *internae* Ecclesiae conditionis, in Epistola hac delineata, si characteris ejus ratio habeatur, est Ecclesiae verae, seu purioris, sese a falsa seu depravata separare incipientis; cui plena Ecclesiae falsae promittitur subjugatio, sed non sine gravi lucta efficienda. Cujus subjectionis primordia in reformatione ubique publice stabilita sese praebuerunt conspicienda. Ecclesia itaque a Sec. XII*mo* hic repraesentatur ad Sec. XVI*ti* finem, et periodo *sigillorum* partim Antichristianae, partim refor-

reformatae, seu exterioris Ecclesiae faciei, *quartae*, et ex parte *quintae*, congruit. Ex quo, generalem illam persecutionem, quae hic tanquam *futura* sistitur, quaerendam esse adparet eo tempore, quod *reformationis periodum* secuturum est; adeoque adhuc exspectandam. Confirmat sequens epistola ad Ecclesiam *Laodicenam*, seu *septimae* periodi internae Ecclesiae descriptio, quae per *quintam* sigillorum periodum usque ad *sextam* continuaret, et pro charactere habet Ecclesiae Protestantium, jam confirmatae, a veritatis et pietatis studio remissionem, cum vana de divitiis suis opinione conjunctam. Cui tepidae Ecclesiae, quae nunc obtinet, et post adhuc magis tenebit locum, Christus minatur, futurum esse, ut pios *castiget*, reliquos *ore suo evomat*. Quae eodem tendunt omnia.

§. VIII. Aures jam *Tubiciniis*, septem quoque numero, aperiamus, quae, ut supra monui, totidem singularia, sonora, et temporis notam figentia, Dei judicia in Ecclesiam respectu status civilis, repraesentant, quae eodem ordine in periodos sigillorum inciderent, licet aliquando citius inciperent, citius finirentur, aut diutius durarent. Qua jacta hypothesi, *sextum* tubicinium periodo sigillorum *sextae* oportet respondeat, seu ultimo Antichristi conatui in Ecclesias Protestantium, in ejus ruinam exituro. In quod ipsum tempus quadrat notabilis prophetia Ap. XI: 1---13. quae inter duo postrema tubicinia locum occupat: in qua 1. exterioris atrii Templi seu Ecclesiae proculcatio a Gentibus, seu Antichristianis, occurrit per *tres annos* et *dimidium*. 2. Illustrium praeconum, qui sese Antichristianismo opponerent, praeclara toto illo tempore facinora. 3. Impetus *bestiae*, ex abysso escendentis, in eos plane hostilis, quo occiderentur sancti, sed brevi post resuscitandi. 4. Antichristiani regni destructio, mox secutura.

§. IX. Singulare hoc vaticinium, quod interpretibus crucem fixit, totum, ex mea hypothesi, ad ultimum Antichristi impetum in Ecclesiam ei adversam directe spectat, cum quod in *sextum* tubicinium, seu sextam periodum cadat, *tum* quod bestia, *ex abysso adscendens*, vs. 7. memorata, sit Satanas, qui

ultima vice in Christianos saeviet per Antichristum, ut ex cap. XVII. mox patebit, probe ab illo, licet sit ejusdem generis, qui cap. XIII. in scenam prodit, distinguendus, licet nonnullae prioris lineae in posteriorem rectius quadrent; quod probe adverti velim: *tum*, quod quae de *duobus testibus*, novo Elia et Elisa, eorumque qualitatibus et factis referuntur, non in quoscunque, sed singulares Doctores, a Deo suo tempore suscitandos, et donis miraculorum praeditos, quadrent, *tum* denique quod eodem tempore Antichristianismus sit penitus exscindendus.

§. X. Docemur, hac admissa hypothesi, inter alia 1. Ecclesias praecipuas Protestantium, secundum exteriorem suam formam, salva interna, quae est verorum fidelium, a Deo circumscriptorum, ab Antichristo occupandas et conculcandas esse: respicitur enim manifeste ad Ecclesiam Judaicam, et Hierosolymam ab Antiocho Epiphane, emblemate bestiae, oppressam et profanatam, 2. duraturam eam adflictionem dies 1260, seu mens. 42, annos 3 et dimidium, quot etiam Epiphanica olim, respectu Templi, duraverat. Quod temporis spatium si non proprie sit sumendum, cui tamen nihil obstat, breve designetur necesse est; utique non 1260 annos, cujus nulla ratio est; contra, dies, menses et anni in hoc libro clare distinguuntur; 3. Toto hoc temporis spatio insignes praecones, Divino spiritu actos, qui spiritum Eliae et Elisae praeferrent, causam euangelii fortiter et intrepide contra Antichristianos tuituros, plagas quoque quascunque iis immittendi potestate gavisuros esse. 4. Qui, triennii et dimidii spatio finito, tandem occiderentur ad ingentem hostium laetitiam; at post breve admodum tempus, quo vehementer saeviret bestia, quod ad *tres dies* et *dimidium*, non sine adlusione ad durationem mortis Christi restringitur, resuscitandi, et in coelum sublevandi, in Ecclesia gloriose instaurata, quando Antichristianismus e medio esset sublatus. Quae ad generalem tristissimae hujus periodi penultimae conspectum non abs re fuit visum observasse.

§. XI.

§. XI. Ad eandem hanc periodum plagae per *phiolas* excandescentiae Dei in Antichristianismum effundendae cap. XVI. si non omnes, pleraeque tamen, ex mea opinione referendae sunt; cujus rationes, praeter alias, sunt, quod *ultimae plagae* adpellentur, quodque ad plagas a testibus duobus c. XI: 5, 6. infligendas respiciant, praeterea *vindicta* Dei, de Antichristo sumenda, ad illud usque tempus dilata sit in Sigillo V*to*, ut supra vidimus. Quo etiam refero *septem illa tonitrua*, quae cum Johannes scribere vellet, jussus est id non *nunc*, sed *postea* facere cap. X: 4. secundum veram *ultimi* membri lectionem, quam Mss. exhibent, και μετα ταῦτα γραψεις vel γςάψον *et postea scribes* aut *scribe*, id quod a Johanne fuisse, cum *septem phiolae effusae* sunt, peractum, ex cap. XVI. patet. *Sexta* vero plaga, per Heroas a Deo suscitandos, qui Antichristianos magna strage adficerent, inferenda, antequam locum haberet, Antichristiani, a Clero, sed Monachis in primis, per *ranas* in aulis regum depictis, excitati, Ecclesias Christi omnibus viribus adgrederentur: quo tempore piis cum maxime vigilandum erat; ut fidem et pietatem, *vestimenta* sua, retinerent; secundum expressum Dei monitum c. XVI: 15. argumento, terribilem tunc grassaturam persecutionem, quae ultima foret, cum excidio Antichristianismi proxime connexa. Verba ita sonant: *ecce venio ut fur, beatus, qui vigilat et custodit vestimenta sua &c.* Videbat Spiritus, ut in rem Cl. Commentator, *hoc tempore gravissimae calamitatis multos esse vacillaturos: ultimam enim hanc Ecclesiae liberationem praecederet magna calamitas &c.*

§. XII. Supersunt duo praeclara visa, cap. XIV et XVII, in rem, quam ago, egregia. In quorum *priore* fata et qualitates confessorum veritatis euangelicae, ordine successivo, luculenter repraesentantur, initio a Waldensibus et Albigensibus purioribus Sec. XII. facto, qui per 144 millia hominum, cum agno in monte Tzionis stantium, depinguntur, quemadmodum, Hussitae et Bohemi fratres per chorum *Citharoedorum*, et Reformatores per *Angelum*, euangelii aeterni praeconem publicum,

quos primus Babelis mysticae, et plenarii excidii praenuncius, lapsus, cum reformatio stabilem ubique nacta est sedem, secutus est: in quo, ut supra observavi, character est periodi V*tae* sigillorum. Dein succedit Angelus, qui fideles, ne se illecebris et blanditiis Antichristianismi in ejus societatem trahi patiantur, admonet; cujus adhortationis ratio erat, quod nova iis ab Antichristo objiceretur tentatio per diram et terribilem persecutionem, quam denuo intentaret: ad quam digitus intenditur vs. 12. his verbis: *hic tolerantia sanctorum est; hic, qui observant praecepta et fidem Jesu! beatos mortuos qui in Domino moriuntur ab hoc tempore!* Quando mox, cum res videretur desperata et cum Ecclesia actum, praenunciatur, Deum per *heroas*, qui armata manu Antichristi impetum retunderent, ingente illi inflicta clade, opem ei laturum esse. Quo mandatum de *messe* et *vindemia* instituenda nos ducit. Quae omnia a Cl. Commentatore in clara sunt posita luce.

§. XIII. Pedem tandem figamus in omnium illustrissimo viso et vaticinio c. XVII. quo Johanni nova bestia coccinea, septiceps et decicornis, ob oculos ponitur, eique insidens *meretrix* speciosa et truculenta, mystice Babylon dicta, et mater scortationum ac abominationum terrae, ebria et illa sanguine Martyrum Jesu; quae per decem reges, *cornua* bestiae, pugnaret cum agno et sanctis, sed eo eventu, ut vinceretur, et ab ipsis illis regibus desereretur et prostitueretur, quando exitio traderetur. Bestiae vero aenigma proponitur, *quod erat et non est, licet sit*, quodque *adscensura* sit ex abysso, et in exitium abitura. De *septem* capitibus habetur, *quinque* cecidisse, *unum* esse, aliud seu *septimum* nondum venisse, et quando venerit, *brevi mansurum:* cui dein ipsa *bestia* succederet, tanquam *octavum* caput, et ex septem illis, sed in perniciem mox praecipitanda. Quantopere haec Ap. pars torserit interpretes, et in partes sciderit, dici nequit, nec tamen hactenus, quod a vera hypothesi eam exponendi aberraverint, eam expedire potuerunt. Fusiorem tractationem cum locus et tempus respuant; patimini quaeso, ut in generalem vos

ejus

ejus mittam conspectum. Sententia enim nostra, ut extra dubium collocetur, hoc requirit.

§. XIV. *Prima thesis* nostra est, Antichristianismum papalem, de eo enim hic agi, quod a Protestantibus abunde est demonstratum, mihi dari postulo, hic non, qualis per omnia tempora, quibus dominatus est, fuit, depingi, sed, quemadmodum sese in ultima periodo, in qua adstruenda versor, exhiberet, paulo ante destructionem suam. Cujus indicium inter alia, quae mitto, in eo non tantum est, quod post *phiolas* effusas, et ab uno Angelorum effundentium, monstrata fuerit haec imago; sed quod scopus expresse dicatur fuisse, ut Johanni ostenderetur *judicium meretricis illius magnae*, quodque mulier illa sistatur jam *ebria sanguine fidelium*, quod praeterea *quinque* capita jam ceciderint, *unum* sit, *septimum* nondum venerit, et brevi mansurum, reges quoque *decem* nondum existant, denique *mulier* mox destruenda sit.

§. XV. *Secunda* hypothesis est, *bestiam* non esse directe regnum *Antichristianum*, ut putatur, sed *Satanicum*, a Papis Antichristis insessum et directum, ac in Antichristianismo Papali conspicuum: regnum itaque *draconis* c. XII. quod *bestiae* c. XIII. legitur traditum. Distinguitur enim haec bestia ab illa cap. XIII. ut et a *muliere*, ei insidente, hoc ipso in viso. Adpellatur quoque bestia *coccinea*, sicut Satanas *draco rufus* c. XII. Praeterea, *septem* capitibus delapsis, *ipsa* bestia, tanquam *octavus* rex, adeoque proprio cum capite, tanquam *Draco*, denuo in scenam prodiret vs. 8. Denique proprius ejus character in eo ponitur, quod, quo tempore *scena* visi ageretur, bestia post denuo *ex abysso* ascenderet, in *exitium* abitura. Quod c. XX. de Satana in abyssum conjecto et ligato per mille annos, ad breve tempus solvendo, et mox e medio tollendo, explicatur. Accedit, mysterium bestiae faciles hinc nancisci explicatus, *bestia, quam vidisti, erat et non est, et tamen est*, id est, *erat* haec bestia Satanica olim, tanquam *draco* Ecclesiam sub Imperio Romano gentili oppugnans, sed non ita *est* amplius, attamen *est* alia sub specie,

cie, tanquam in aliam beſtiam mutata, aliisque cum capitibus et cornibus, a muliere etiam nunc inſeſſa ſcortatrice: qua ſpecie abolita, *beſtia*, iterum, ſicut ante ſub *paganismo* fuit, ſeſe, ex abyſſo prodiens, in publicum dabit, Gog et Magog contra Eccleſiam, ſed irrito ſucceſſu, incitatura, mox in perniciem abitura. Quo etiam pertinet, quod, *ſeptem* illis novis capitibus deſtructis, ipſa beſtia, tanquam rex *Octavus*, ſit ſurrectura.

§. XVI. *Tertia theſis* fert, regnum hoc Satanicum, ſicut ſedem ſeu metropolin haberet *Romae*, cum *ſeptem* capita ad totidem *montes* quoque referantur, et mulier ei inſidens *urbs illa magna* dicatur, ita conſpicuum fore et dirigendum, ac vim exerturum, per Papas, *cum* qua *doctores*, quo *mulieris* emblema ducit, *tum* qua *Dominos* in ſpiritualibus, ut dicitur, et temporalibus, quod per *capita* beſtiae in primis repraeſentatum eſt. Sed temporis, quo haec ſcena inſtrueretur, notam figit, quod de *ſeptem* capitibus *quinque* jam ceciderant, *unum* eſſet, et *ſeptimum* adhuc oriretur, ſed pro breviſſimo tempore. *Capita* beſtiae Satanicae cum ſint illuſtriores Antichriſti perſecutores, quod alias probatum nunc adſumo; quo tempore haec beſtia tyrannidem exerceret, *quinque* tales jam ante fuerint, *unus* ſit, *ultimus* adhuc venturus, oportet; quorum *ille*, in principio, *hic* ſub finem periodi, de qua agimus, graſſabitur. *Quinque* vero, qui fuerant, ex hiſtoria, ſi id ageretur, haud difficulter monſtrari poſſent.

§. XVII. *Quarta theſis* habet, *decem reges*, cornua beſtiae dictos, quatenus per eos ventilaret ac proſterneret adverſarios ſuos, non eſſe *regna*, aut regum ſibi ſuccedentium ſeriem, quae vulgata eſt opinio, ſed totidem regnorum rectores politicos ſingulares, eo tempore, ~~quo~~ ſaeviret haec meretrix, futuros, nondum exiſtentes, ſed uno eodemque tempore cum beſtia orituros, qui *poteſtatem* ſuam *beſtiae* darent: ut ipſis verbis declaratur, vs. 12, 13. Regna quidem exiſtunt, ſed *reges* nondum. Quo ipſo ad certum tempus adhuc futurum manu quaſi ducimur. Regna, quae beſtiae cap. XIII. memoratae inſervierunt, et a Cl. Commentatore recenſentur,

hic

hic non repetenda, partim sub periodo Reformationis Bestiae nuncium miserunt, partim ipsi quidem etiamnum adhaerescunt, sed reges et rectores publicam non adeo urgent persecutionem; sive per Protestantes nequeant, sive et ipsi nolint, vel ab ea sint alieni; sicut nostro tempore vere esse videntur: sed postea suo tempore, quod hic intenditur, id omnibus agent viribus, qui tunc fuerint reges Pontificii, cum potestatem suam, Deo permittente ac dirigente, ut populum suum castiget, ac probet, pro *momento*, seu brevi tempore, *mulieri*, bestiae insidenti, sint tradituri: uti diserte traditur Ap. XVII: 12, 13.

§. XVIII. *Quinta* denique hypothesis est, eosdem reges, posteaquam bestiae Satanicae et mulieri Antichristianae, in Ecclesiis adversariis adfligendis adfuerint, ei renunciaturos, scena mirum in modum per singularem Dei providentiam mutata, ac mulierem trucidaturos esse, vs. 16, 17. Ubi notari meretur, non tam bestiam, quam meretricem, ei inequitantem, ab ipsis oppugnandam dici; argumento, inter *bestiam* et *mulierem* esse distinguendum; uti supra observavi. Antichristianismo itaque deleto, Satanas in abyssum praeceps agetur, et mille annos ligabitur, quando, tanquam draco, bestiae mysticae persona deposita, rursus, ut olim sub Gentilismo, in mundo caput exseret, Gog et Magog excitaturus ad bellum cum sanctis; ut cap. XX. traditur. Quo, ut supra notavi, digitus in aenigmate bestiae intenditur, *erat, et non est, licet sit, et adscendet ex abysso, et in exitium ibit. vs.* 8.

§. XIX. Thesin, ex Apoc., ni fallor, clare demonstratam, Prophetiae V. T. non quidem directe et primo sensu, at indirecte et sensu penitiore, et mystico, seu allegorico-prophetico, intellectae, confirmant, *partim* quod regni Messiae gloriosam erectionem, non nisi sub finem seculorum futuram, cum praegressa populi Dei corruptione, et gravi adflictione, connectere soleant, ut Jes. LVIII- -LX. Zach. XIV. Dan. XII. et alibi saepe; *partim* quod, in persecutione Epiphanica depingenda, colores quoque, tanquam in emblemate, duxerint

 ultimae

ultimae persecutionis Antichristianae, in destructionem regni adversarii, et regni Messiae consummationem terminandae. Quae methodus verbi Prophetici interpretandi tanta a Cl. Vitringa perfusa luce, ut omnium oculos perstringere debeat, pro hypothesi quoque harmoniam fatorum utriusque Ecclesiae V. et N., seu Judaicae et Christianae, habet. Quam si, tanquam in tabella, vobis conspiciendam praebere vellem, quod, initio ab exitu Israelitarum ex Ægypto facto usque ad Messiam, facili possem negotio, ne taediosus vobis fuerit sermo, vereor. Tribus quod ajunt, verbis, insinuari vobis patimini, Israëli in exilio Assyriaco Christianos in oriente respondere, sub Turca gementes; *Judae* vero in Babylonico eosdem in occidente sub tyrannide Antichristiana, sicut Roma mystice adpellatur in Apoc. *Babel.* fata denique Judaeorum ab exilio liberatorum et Christianorum reformatorum secum comparanda esse; adeoque, sicut Judaei depravati sunt et ab Antiocho Epiphane oppressi, indeque per Maccabaeos gloriose vindicati, quando Messiae regnum condi coepit, ita et Reformatos, a veritatis et pietatis studio deficientes, in novam Antichristi persecutionem esse delapsuros, sed et simili modo liberandos, ac gloriose instaurandos, regno Antichristi destructo, et Christi in pleno suo vigore erecto. (a)

§. XX. Verum enim vero, qui ordinarias Providentiae Dei vias respectu Ecclesiae, quas huc usque tenuit, et historiam fatorum Ecclesiae, memoria recoluerit, is profecto sponte sua observaverit, eam multis cum adflictionibus fuisse inter Judaeos et Gentes fundatam, per gravissimas tentationes et persecutiones propagatam in orbe Romano, post omnium vehementissimam et atrocissimam oppugnationem triumphasse sub Constantino M., nec alia ratione, exorto Antichristianismo, statum suum durante illa tyrannide a Sec. XII*mo.* tuitam fuisse, eodem denique modo libertati adsertam et reformatam; cum Reformatio in nullo fere regno sine adflictione processerit.

(a) Comparationem illam in hoc tractatu supra per omnes periodos institui.

cesserit. Hac itaque eadem via Ecclesiam esse consummandam, adeoque novam subituram persecutionem, ecquis est, qui in dubium ausit vocare? maxime si secum simul reputaverit, hoc ipsum medium, sicut Deo gloriosum, ita Ecclesiae probandae, purgandae et propagandae, esse, teste omnium temporum experientia, aptissimum: *Trita sane et oppressa*, verba sunt Cl. Spanhemii in *oratione de Christianismo degenere*, *semper surrexit laetior: ast rebus plerumque fracta secundis fuit, lasciyientibus ex copia, otioque, animis. Crevere cum pace pacis mala, ac profligata simplicitate, quae Christianismum distingueret, successit in vultu simulatio, in corde dolus, in verbis fallacia, in adfectibus gloriae, vel auri, non sacra fames, sed profana sitis, qua sacris non tam officiis, quam beneficiis, inhiatum fuit.* Ne dicam, fieri non posse, quin Ecclesia tepida et depravata, qualem Reformatam esse omnes agnoscunt, virgam Dei castigatricem provocet: sicut Dominum in Epistola Laodicena supra audivimus declarantem.

§. XXI. Statum Ecclesiarum Pontificiarum et Reformatarum, durante periodo Reformationis hucusque, prudente oculo si denique consideraverimus, varia, nec vana, sese facile prodent sinistra, et Protestantibus noxia, auguria, futuram hanc inundationem et persecutionem, quam demonstravi, portendentia. Quae si in lucem proferre instituerem, vobis taedium, mihi nimiam crearem molestiam. Summa capita levidensi brachio nunc tantum perstringam. Ecclesiam *Papisticam* si intueamur 1. *primum*, quod mentem ferit, est, eam tantum abesse ut reformationi succubuerit, sicut, si consummanda fuisset reformatio, videri potuerit debuisse, ut dominans in Europa manserit, et magis firmata sit, adeo etiam, ut contra omnia Protestantium conamina purius in eam introducendi euangelium munitam sese reddiderit et securam; quemadmodum adhuc est.

§. XXII. Invincibilia vero illa munimenta sese offerunt, ut praecipua obiter recenseam, 1. in Synodo Tridentina, ejusque anathematibus. 2. Ordinibus Monachalibus, Domini-

minicanis et Franciscanis, jam ante, Capucinis, et in primis Jesuitis, Sec. XVI. ortis. 3. In *autoritate* Papali valde aucta per *Infallibilitatem*, sedi post Synodum Tridentinam demum adscriptam, et deinceps per Jesuitas non tantum valide adsertam, sed et ad quaestiones *facti*, non solum *juris*, extensam. 4. Cleri inmensa multitudine, potentia, et independentia a potestate seculari, nec non divitiis et opibus. 5. Regum et Principum arcta cum ea sede conjunctione, sive politica, sive religiosa. 6. Populi ignorantia et devotione superstitiosa, omni modo foveri solita. 7. Denique in singulari *lenitate* ac indulgentia erga membra Ecclesiae suae, sed severitate erga euangelicos et haereticos. Fruuntur enim in ea societate, hac etiam parte reliquis societatibus prudentiore, dicam an astutiore, multiplicibus praerogativis, quae ambitioni, avaritiae et libidini, favent, facili quoque salutem consequendi via per fidem inplicitam et coecam, per ritus, Sacramenta, indulgentias, satisfactiones aliorum, purgatorium, et praeterea *libertate* sentiendi omnimoda, et loquendi magna, modo Papam et Matrem Ecclesiam debite venerentur, nec *missam* penitus negligant. Unde est, quod multiplices inter membra ejus dissensiones et disputationes, quanto etiam animorum fervore agitatae, *schismata* producant nulla, nec saepe a Papis aut Synodis decidantur. Quae singularis ejus *unitas*, semper salva, multum ad eam firmandam facit. Haeretici vero, vel omnes, qui *saluti Ecclesiae*, seu *Cleri*, adversantur, nec Divini, nec humani, juris habita ratione, inhumaniter et crudeliter per carceres, exilia, infamiam, confiscationes bonorum, tormenta, denique supplicia capitalia, tractantur: cunctis vero metus per diabolicum illud *inquisitionis tribunal* incutitur. *Vulneratum* itaque quidem est *caput unum bestiae*, et corona papalis concussa, per Reformationem, sed illud *sanatum*, et haec firmius quoque stabilita est: uti Ap. XIII: 3. praedictum est. Euangelici itaque pro Schismaticis, apostatis, et rebellibus ea in societate habiti, non possunt non quaevis mala sibi augurari.

§. XXIII. Qui metus haud parum 2. crescit, per Pontificio

tificiorum in medio Protestantium immensam copiam. Longe maximam enim Europae partem non tantum retinuerunt, in qua soli dominantur, ut modo notavi, sed et in ipsis illis regionibus, in quibus euangelici primas tenent, manserunt, et statum suum, majore licet minoreve cum libertate, constanter tuentur; uti in Britannia, Belgio, Borussiae regno, et aliis regionibus, in spem contra erecti, et omnes intenti occasiones, veterum possessionum recuperandarum, adeoque, non obstante unius civitatis vinculo, passim irreconciliabiles et occulti eorum hostes, quoad religionem, a peregrino, et reformatis infensissimo Domino, Romae residente, toti pendentes, et ad jussa ejus praestanda per conscientiam obligati paratique. Sherlocus, (a) ut unius tantum mentionem in re satis nota faciam, coram domo *Communium* concionatus a. 1685. adseverare non fuit veritus, *fuisse quidem aliquos aliquando Papistas bonos cives, et esse posse*, ast *certum se esse, papisticam religionem non docere fidelitatem, nec certos nos esse posse de eorum fidelitate, quorum religio quodam casu docet rebellionem.* Ferant itaque Protestantes in medio sui Pontificios, nec eorum religionis exercitium impediant, tractentque eos tanquam cives, non abnuo, quin laudo, *cum* ut suo exemplo eos *civilem* in re religionis tolerantiam, juri divino et humano congruam, doceant, principiaque Antichristiana ipsis detestationi esse efficiant, *tum* ut animos eorum sibi et civitati, ubi degunt, devinciant, adeo ut, per tam mitem et benevolam gubernationem etiam permoti, religionis suae exercitio, ac status sui securitate, contenti, pacem ac prosperitatem istius civitatis quaerant, sicut Judaeis vel in exilio Babylonico tam serio, nomine Dei, injunxit Jeremias cap. XIX. nec aures rebellionis suasoribus, praetextu religionis, praebeant, Domini monito, Caesari quae Caesaris, Deo quae Dei sunt, danda esse, obsecundantes. Interea id sedulo operam dent Protestantes, ut intra limites suos se contineant, et si qui seditiosum animum, verbis aut factis, patefaciant, severe coerceantur,

(a) In continuat. Hornii Hist. Eccles. p. 770.

ne alios decipiant, et in partes trahant. *Cavenda nostris Rebusp. est religio Romana, ejusque publicum patrocinium*, propter *ejus seditiosa et tyrannica axiomata;* inquit Cl. Hoornbeekius, in Examine Bullae Innocentii X. (a) qui plurima hanc in rem produxit documenta ibid. (b)

§. XXIV. Accedit 3. societatem papisticam, durante periodo reformationis, pomoeria ditionis suae, sec. superiore et praesente, stupendum in modum ampliasse, nec non in eo esse totam, ut quascunque terras occupet. Quantopere alas per utramque Indiam, in primis occidentalem, expanderit, Galliam reformatis multum vacuaverit, ut et Hungariam, Bohemiam, Poloniam, aliasque regiones inundaverit, (c) in ipsa Germania multos principes, etiam quibus reformatio debet originem, et incumbere videtur, in suas traxerit partes, cui, nisi in historia hospiti, demum ignotum est. Ipsi utique illi, quibus reformatio debet originem, et cum maxime inniti videbatur, ut Saxoniae Elector, Palatinatu quoque in ejusmodi manus delapso, Palatinus Neoburgicus Wolfgangus Wilhelmus eam publice professus est religionem, et populares *partim* persuasionibus, partim vi, secum traxit a. 1613. Palatinatus superior post pacem Westphalicam penitus cessit Pontificiis; dein Carolo, Electorum Reformatorum ultimo, defuncto, successit Pontificius. In utraque Alsatia reformatio est a Gallo oppressa a. 1686. Possem Principum et illustrium virorum, qui ad castra Pontificiorum transierunt, contexere catalogum satis longum, si temporis ferret ratio, aut res ignota esset. (d) Illustriores sunt, praeter modo memoratos, ne Christinam Suecorum reginam memorem, Christianus Gulielmus Marchio Brandenburgensis, Ernestus Hassiae Princeps, et nuper ipse Princeps Hassiae haereditarius, nunc Landgravius, Joh. Fredericus Dux Brunsvicensis, Antonius Ulricus Dux Brunsvicensis Guelferbitanus cum

(a) P. 204. (b) p. 195 et seq.
(c) Vid. Urbanus Cerry secretarius societatis de *propag. fide* sub Innocent. X*mo*.
(d) Vid. Hackius Jesuita in via regia, ad calcem.

cum nepte Elisabetha a. 1707. Christianus Princeps Mecklenburgensis, Carolus Alexander Wurtenbergiae dux, Mauritius Adolphus Princeps Saxonico-Neostadiensis, Ernestus comes de Metternicht, Rakozius Princeps Hungariae; alii Viri quoque eruditione celebres; uti ex. gr. P. Bertius, Besoldus, Milletierius, Hunnius, Pfeifferus, Holstenius, Lambecius, Nesselius, Nihusius, Praetorius, Kusterus, alii (a). Quid? quod, magna copia ad Papismum quotannis redire Britannos, testatur Bower, autor historiae Paparum, in *Apologia sua.* Quanto vero in religionem suam promovendam, ac reformatam labefactandam, studio ferantur, neminem latet, qui vel aliquam habet notitiam *societatis* de *propaganda* fide, sec. superiore Romae erectae, *seminariorum* multiplicium per varias terras, nec non *emissariorum*, quibuscunque in oris degentium, in primis *Jesuitarum*, per orbem dispersorum. Ecquis est, qui, ad hunc progressum, ad hoc studium, adtendens, in eam non incidat suspicionem, orbem Protestantium maximam partem a Papismo esse inundandum? maxime, quum fucatam ad speciem ejus externam, quae nunquam pulchrior, et ad quoscunque fascinandos aptior fuit, animum adplicuerit; cujus nonnullas tantum paucis lineas ducam.

§. XXV. Paparum mores sunt honestiores, Praelatorum ac Monasteriorum fama integrior, *Religiosorum hominum emendata castigataque vita et exacta* τῆς ἀσκήσεως ἀκρίβεια *squalorem nostri seculi non mediocriter exornant*, inquit P. Marca Conc. Sac. et Inper. l. III. c. 16 fin. Ordinum utique omnium pulchrior species, per *collegia*, inter eos *reformata* dicta, novae etiam *societates*, seu *sodalitates*, conditae, quae multiplicem merentur laudem, uti S. *Mauri* inter Benedictinos Gallorum sub Gregor. XV. *Jansenistarum* ad antiquam simplicitatem redacta societas, cui *Portus regii* nomen a. 1618. et ad ejus aemulationem sodalitas *Bernardinorum* reformatorum Trappensium, autore Armando Abbate Trappense a. 1664. *Familia*

Nn 2 Patrum

(a) Vid. G. Arnold, Kerk- en Ketter-Histor. p. II. l. 27. et Weisman. Hist. Eccles. sec. XVII. p. 738.

Patrum *oratorii* S. Jeſu a Berullo inſtituta a. 1613. quam Theologiae *ſacerdotalis* ſcholam recte adpellaveris. Alia mitto. Praeterea ſtudia Theologica magis ſunt exculta et purgata: *conformatio* ad Eccleſiam, non quidem *primaevam*, at *antiquam* tamen, poſt Sec. V*tum* vel VI*tum*, nec in omnibus, attamen in multis, nec in abuſu deinceps invecto, ſed primis principiis, per antiquitatum Eccleſiaſticarum inveſtigationem nunc magis illuſtrata &c. *Quaeſtiones* denique cum Proteſtantibus multiplicatae, majore arte pertractatae, et ad *Scholaſticas* controverſias redactae, quas Politici et populus minus curant, et in quibus majore ſpecie ventilandis verſari poſſunt: *novae* quoque *methodi* excogitatae, ſive ad quaeſtiones, aut Eccleſiae verae, ex certis *notis* cognoſcendae, autoritate, aut ipſis Script. S. verbis, omnibus miſſis ratiociniis et conſequentiis, decidendas, quales ſunt *illa* Richeliana, *haec* Veroniana et Walenburgica, ſive ad *unionem* Eccleſiarum Pontificiarum ac Reformatarum efficiendam variis colloquiis et libris tentatam, vel ab utraque parte quid concedendo, vel quaeſtiones ad Generale Concilium referendo, vel molliore dogmatum et rituum Eccleſiae Romanae *expoſitione* inſtituta: quo Boſſueti *expoſitio fidei* collineat. Addantur *blanditiae* et artes variae, quibus in Proteſtantium animos ſe inſinuant, ex gr. per commodam, ſaepe fraudulentam, dogmatum interpretationem, per multiplices Proteſtantium diviſiones et *variationes*, tanquam incertitudinis indicia, imo per ipſorum Proteſtantium *exempla*, quibus *fraudulentam* et *violentam* agendi rationem in re religionis excuſant, et defendunt: ſicut et Proteſtantium judicia de dogmatibus fundamentalibus, in Eccleſia Pontificia ſalvis, de poſſibilitate ſalutis in ejus communione efficienda, denique de quaeſitis et controverſiis per Eccleſiae autoritatem in *Synodis* definiendis, et alia in uſum ſuum aſtute vertunt. (a)

§. XXVI. Sed, ne parum a Papiſmo ubique invaleſcente, terras aliquas etiam Proteſtantium occupante, periculi

(a) Vid. 24. methodi Miſſionariis in Gallia ſub Lud XIV. commendatae apud Leidecker. in Continuat. Hornii Hiſt. Eccleſ. p. 710.

culi, aut persecutionem non esse amplius instituendam, quis opinetur, is 4. sciat, eodem hoc Spiritu Antichristiano, quo ante reformationem et ejus tempore, agi in genere Papismum; iisdem uti fraudibus, eadem violentia, eandem ubique tenere viam, eandem methodum Satanicam, fraudulentam et violentam (a). De quo ut convincamini, bullam *coenae* Domini, solemnibus quotannis coenae Domini diebus, in haereticos promulgari solitam, tribunalis inquisitionis continuum nonnullis in locis exercitium, in primis persecutiones et lanienas seculo superiore institutas, nec hoc nostro insolitas, ad animum modo revocate. Plures sunt, quam ut possim, notiores, quam ut necesse habeam eas recensere. Vetant etiam temporis angustiae praecipuarum prolixam dare notitiam.

§. XXVII. Recensebo tantum praecipuas; licet historiarum prorsus inperito non ignotas. In memoriam modo revocanda est Persecutio Bohemica seculo superiore, quae, praeter Bohemiam, Euangelicis eripuit Moraviam et Austriam, Palatinatus vastationem, bellumque illud terribile Germanicum *tricennale* peperit, et Germaniae fere vastationem secum traxit, Protestantibus et Pontificiis jam ante occasione Donawerdae, male ob processionem Pontificiam turbatam mulctatae, et controversiae Juliacensis, divisis in *Ligistas* et *Unistas*, quorum capita erant, *illorum* Bavarus, *horum* Palatinus. Quem latent lanienae, plusquam barbaricae et tartaricae, *Volturinensis* in valle Grisonum *Telina* a. 1620. *Hibernica* a. 1641. qua, intra paucos menses, inquit autor vitae Usserii, *ducenta hominum millia infanda strage ---- nec alia de causa, quam quod religionem reformatam profiterentur, occisi sunt: Pedemontana* a. 1632. mox a. 1655. rursus 1686, 1687. quando gravi bello adflicti et patria expulsi sunt, *triennio* tamen post revocati: *Hungarica* per 10 annos 1671---1681. Denique *Gallicana*, primum sub Ludov. XIII. qui reformatos, sumto a Bearnia initio, deinde ducibus eorum, Roanio et Soubisio fratribus, pro libertate religionis arma sumentibus, superatis, protrivit, muni-

 menta

(a) Vid. etiam Weisman Hist. Eccles. Sec. XVII. p. 778.

menta et privilegia iis eripuit, et Rupellam ad deditionem coegit; absque tamen ut *Edicto Nannetensi* manus injecerit: quod fecit Ludov. XIV. posteaquam illud mille artibus infirmasset, unde varia fuit reformatorum orta vexatio et persecutio. De persecutione a. 1684 et 1685. vid. quaedam apud autorem Gallicum V*ti* imperii, in primis Claude in libello, cui titulus, *les plaintes des Protestantes &c.* Ecquis etiam ignorat *conspirationem* in Anglia sub Jacobo *pulverariam*, dein sub Carolo II. in regem et regnum: a. 1678. Hoc ipso vero *seculo* nostro, quot non eorum vexationes et persecutiones a Pontificiis exstiterunt? De continuis injuriis et infestationibus, quibus in Germania sunt adfecti, *gravamina* eorum satis testantur, quarumque originem, seu praetextum, in primis praebuit famosa illa adpendicula *articuli* IV*ti* pacis *Ryswicensis*, artificiose a Catholicis inserta. In *Palatinatu* occasione quaesiti 80*mi* Catechismi Heidelbergensis variis modis vexati, multi coacti sunt alias in regiones migrare. In Archiepiscopatu *Salisburgensi* ob atroces persecutiones plusquam 30 millia patriam deseruerunt a. 1731. In *Bohemia* latitantes tanta sunt passi, ut plures aufugerint a. 1728. In *Hungaria* tristissima saepe fuit eorum conditio, durior futura, nisi Cleri molimina fuissent ab Imperatore inpedita. De ann. 1674 et 1675. vid. Schelhorn in Mus. Helv. part. XXV. De decennali vexatione ab a. 1671 ad 1681. Vid. Hist. diplom. de statu relig. Euang. in Hungaria. Imo a. 1730--1733. ad 200 fere Templa ipsis sunt erepta, nonnunquam violentas manus passi fuerunt. Quantopere Austriaca Aula, initio a Car. V. facto, ad hoc usque tempus, in id incubuerit, ut Protestantes ubique terrarum debilitaret, inminueret, vel frangeret et destrueret, si quis in tabella velit ordine videre depictum, is legat libellum lingua Belg. scriptum, et circa medium Sec. editum, (a) Utinam hodiernus Imperator spem, quam omnes boni de ipso conceperunt, non fallat, sesequé, qualem se futurum dixisse fertur, *Catholi-*

(a) Cui titulus, *Vertoog der Ongelyken van de Protestanten, geleden door de Vorsten van het Huis van Oostenryk.*

tholicorum quidem defensorem, sed non aliorum *oppressorem*, semper praestet! In *Polonia* et *Lithuania* quantopere exagitentur, libellus eorum supplex, Regi et Ordinibus oblatus (a) in Comitiis a. 1718. clare ostendit. *Thorniensis* caedes, tragica illa et Tyrannica a. 1724. in recenti est memoria. Auget ibi miseriam, quod querelas non ausint Exteris exponere Principibus, poena capitali criminis laesae Majestatis ab Augusto II. inposita absterriti. In *Gallia* saepe severe sunt tractati, indeque ortum fuit bellum Cemmeniorum, arma pro religionis libertate sumentium, varia quidem gestum fortuna, sed multa cum Reformatorum caede. Dein sub Ludov. XV. sacris eorum interdictum est, a. 1724. et varie in eos saevitum per carceres, exilia, triremes et mortem (b). Tandem quam saepe fuerint *Pedemontani* infestati, Litterae satis docent, quibus Rex Borussiae a. 1725. et 1731. pro iis intercessit. Vid. et P. Gilles Hist. Wald. c. 48. Vallis *Pragelas* plane est ab iis relicta, ipsique per Helvetiam et Belgium dispersi sunt. Vid. Rev. Martinet in Historia Waldensium, nov. edit.

§. XXVIII. Figite denique 5. quaeso vos, in duos notabiles *Seculi* superioris casus adtentionem vestram, quibus universa Euangelicorum Ecclesia parum a totali excidio afuit, et mirabili Dei providentia liberata est; indeque quid moliantur Papistae, quidve nobis intentent, vobiscum statuite. *Alter* est, quo Ferdinandus II, princeps ad insaniam usque Papismo devotus, et Zelota, qui, teste Lamormaino *in ejus vita*, coram Lauretana Imagine voverat, ut data occasione omnes Protestantes e Germania, Stiria, Carinthia, Austria, Bohemia, Moravia et Silesia, pelleret, voti quoque magna parte compos factus centena millia ad Papatum traxit, ut fertur; hic

Nn 4 inquam

(a) la Bibl Brem. Cl III. p. 662. Vid. et Regensvolsch Hist. Eccles. Slavoniae lib. III. c. 15.

(b) De tristissimo Reformatorum in Gallia statu legendus est egregius libellus, cui titulus: *le Patriote François et impartial*, a. 1751. editus, ad refutandam Epistolam Episcopi d'Agens.

inquam, Ferdinandus, impetum in Proteſtantes Germaniae et vicinarum regionum, fecit tanto cum ſucceſſu, ut, niſi Guſtavus Adolphus ſingulari Dei directione fuiſſet ſuſcitatus, tyrannidem ſimul, et libertatem Germaniae opprimendi ſtudium adjeciſſet Ferdinandus, quo ipſi Catholici fuerunt irritati, Gallus denique in partes veniſſet, de Eccleſiis Euangelicis conclamatum fuiſſet. *Alter* eſt, quo Ludovicus XIV. Eccleſiae catholicae inſtaurandae invidendum titulum ambiens, in oras noſtras irruit, et Angliae rex ad Papatum revocandum animum adplicuit, quo tempore Gremonvillius, Legatus Gallicus, aulae Viennenſi inſuſurravit, Gallum, nidum illum Calvinianum, Belgium, diſſipare velle, Anglum proin armorum in ſocietatem veniſſe, quia et is Romanam religionem, cui ſecreto jam erat addictus, palam profeſſurus ſit, cui viciſſim, Belgio ſubacto, Gallus promiſerit opem, ut in Anglia ſolutum legibus inperium invadere queat, (a) quid Eccleſiis Proteſtantium, niſi Gulielmus III, heros noſter, potente Dei dextra armatus, ſeſe huic torrenti objeciſſet, et thronum M. Britanniae ſibi vindicaſſet, factum fuiſſet, ecquis eſt, qui non ſponte ſua intelligat? Cui ſimilem ſcenam, ſicut facile poteſt, ita vere eſſe renovandam, verbum Propheticum evincit, et harmonia fatorum Eccleſiae V. et N. T. confirmat. Quod ipſum viſo Zach. II. *quatuor cornuum*, quae Judaeos arietarent et diſſiparent, ſed a totidem fabris retunderentur, haud obſcure adtendenti dijudicandum praebetur, ſi ſenſu myſtico ad Eccleſias Proteſtantium, Judaeis e Babele reducibus reſpondentes, adplicetur. Praeter duo enim memorata cornua *unum* jam ante fuerat in Carolo V. Smalcaldico foedere junctos opprimente, ſed a Mauritio Saxone repreſſo. Supereſt itaque, ad numerum *quaternarium* ſupplendum, novum *cornu* per Antiochum Epiphanem delineatum, ſimili etiam modo frangendum et conculcandum.

§. XXIX. Novus ejusmodi in Proteſtantium aliquas regiones impetus, tantum abeſt ut a ſtatu Europae abhorreat, ut eo res e longinquo ſpectare ac praeparari videantur, ſive ad

(a) Vid. Jaeger Hiſt. Sec. XVII. a. 1672.

ad Machinationes et molimina continua in Protestantes Germaniae, vicinarumque regionum, adtendamus, sive ad Galliae statum a Ludovici XIV. temporibus haud parum mutatum, reflectamus: cum enim reformatorum, ibi degentium, per edictum Nannetense securitas, et Catholicorum cum sede Romana lites acerrimae causa concilii Tridentini, Jansenistarum, et Regalium, ac juris asylorum Legatis competentis Romae, spem alicujus reformationis in hoc regno praebuerint, ea deinceps plane decolavit, et cum metu oppressionis Reformatorum, inde initium habiturae, mutata est, Papis ibi magis quam unquam, ipsis Gallis prudentioribus fatentibus et conquerentibus, concesso dominio, et privilegiis Ecclesiae Gallicanae susque deque habitis: utique ad speciem externam, et politice magis quam vere, Rege Galliae quidem subinde Papis favente et adulante, attamen majestatem suam, ubi opus est, bene et prudenter tuente, qui, dum *pedes Papae osculatur*, *manus ejus tenet*, sive denique Cleri et Monachorum perpetuas instigationes, quibus reges et principes in Protestantes accendunt, dum vel *hos* quibusvis artibus reddunt odiosos, vel eorum debellatores summis ornant elogiis, ad animum revocemus. Quantopere ex. gr. Ludov. XIV. cujuscunque ordinis Viri, etiam Docti qualescunque, in coelum extulerint ob hanc solam etiam rem, *Dedicationes* et alii testantur libri. Papa quoque Innocentius heroica haec ejus facinora, et in Consistorio, et in Litteris ad Regem, summis celebravit laudibus.

§. XXX. Romano-Catholica non dicam, sed Papistica Antichristiana Ecclesia, ut de orbe Christiano triumpharet, et haeretici in primis apostatae, quales habentur Protestantes, omnium odio ac persecutioni exponantur, operam in primis dederunt illustriores quatuorviri, meritis suis alias celeberrimi, Baronius et Bellarminus primum, dein Maimburgius et Bossuetus. *Baronius* in *Annalium Ecclesiast.*, rectius, ipso Pithoeo judice, de *potestate Papae*, opere; *Bellarminus* in controversiis cum Protestantibus tractandis, invidiose passim ac subdole, majore adparatu quam soliditate, in Papali dominio extollen-

do, et persecutoribus laudandis, ac excitandis, adeo ut, *bella*, *arma*, *minas* spirando, sese vere *Bellarminum* praestiterit: *Maimburgius* in variis libellis *historicis*, artificiose ac dramatice exornatis ad lectores adliciendos et fascinandos, nec alio consilio, quam ut reges et principes ad haeresin, quam vocant *Aquilonarem*, exstirpandam, inflammaret; *Bossuetus*, denique, in *expositione fidei*, et libris *variationum* Protestantium, eo scopo, ut omnium animi in eos tanquam religionis hostes, schismaticos, et per continuas *variationes* nusquam pedem figentes, accenderentur. Adjungam ipsum Cornelium *Jansenium*, unde *Jansenistae*, qui meliorem Ecclesiae Pontificiae partem passim censentur constituere, sub ficto nomine *Armachani*, scripsisse a. 1636. libellum, quo evincere conatus est, Galliae regem inpia iniviſſe foedera cum Batavis, Suecis, et Protestantibus Inperii, contra Caesarem et Regem Hispaniae, imo euangelicam religionem Turcismo, Judaismo, Gentilismo quoque, deteriorem esse declarat nullibi ferendam, sed quovis modo exscindendam. Possem plura similia proferre; sed quid pluribus opus est? Concludam itaque verbis Archiepiscopi Cantuariensis in Epist. ad Palatinos a. 1720. scripta: *Romanensium erga nos omnes, religionis euangelicae professores, odium plusquam vatinianum satis novimus, Jesuitarum audaciam et perfidiam experti fuimus. Ipsius, quem vocant, summi pontificis indignationem, superbiam, dominandi denique etiam in Principes libidinem, totus orbis Christianus nobiscum et agnoscit et horret. Vires tantum his omnibus desunt, quo minus, primo quoque tempore, ad nos omnes penitus absorbendos sese adcingant. Dum haec Romae inmota stabit sententia*, ut verba Cl. Moshemii (a) addam, *Deum Ecclesiae Rom. ejusque capiti totius generis humani dominatum credidisse, sperari nullo modo poterit, fore, ut securis et tutis vivere liceat illis, qui ejus leges respuunt. Cives nimirum semper videbuntur inprobi, in quos omnia justis et legitimis dominis liceant.*

§. XXXI.

(a) Hist. Eccles. Sec. XVII.

§. XXXI. *Foedera* vero si quis mihi opponat, quibus partim libertas religionis in Germania est sancita, partim cum Pontificiis, sive regibus, sive Principibus, conjuncti sumus; is ad mentem referat, velim 1. Ejusmodi foederum pro libertate religionis multiplicium sive publicam et manifestam, sive occultam violationem, in Gallia, Pedemontio, Germania, Hungaria et Polonia, ne aliorum foederum, tam facile fractorum quam factorum, mentionem faciam. Quid sanctius ac firmius fuit, ex. gr. edicto Nannetensi perpetuae observantiae? et illud tamen primo infirmatum, dein publice est abolitum. *Securitas dissidentium in Polonia*, dicunt Ipsi in libello, (a) in Comitiis a. 1718. oblato, *tot Regum juramentis, tot legibus publicis firmata, primum conniventia, et promissae emendationis nimia dilatione, luxata est, dein libertatis restrictione, maxime post abdicationem Casimiri*, a. 1668. *violentius quassata, denique infestarum legum sanctione convulsa.* 2. Protestationes Paparum contra talia pacta, quemadmodum ex. gr. *paci Westphalicae*, seu *Monasterio-Osnabrugensi* a. 1648. cui Germaniae libertas unice fere innititur, sese vehementer et insolenter opposuit Innocent. X. famosa illa edita *Bulla*, quam recensuit et acriter perstrinxit ex Reformatis Cl. Hoornbeekius in peculiari libro. 3. Principia denique Papistica, *cum* de juris cessatione, ubi causa religionis agitur, seu haeresi, omnem nexum naturalem et civilem tollente, *tum* de potestate Papae ab omni solvendi obligatione, *tum* denique de *fide* haereticis non praestanda: sicut in concilio Constantiense Sec. XV. haud obscure definitum est, Hispani absque ulla dissimulatione adserunt. Imo jam dudum antea viguit in Ecclesia Papistica Antichristiana horribilis illa doctrina: de quo ex Innocentii III. facinore, quo Raymundi, Albigensium fautoris, subditos *fidelitate* absolvit, abunde constat; haec enim datur ratio; *quia juxta S. Patrum canonicas sanctiones ei, qui fidem Dei non servat, fides servanda non sit:* quae verba sunt Petri Vallis Cernai in Hist. Albigensium. Hosius ipse (b) Cardinalis hortatus

 est

(a) Bibl. Brem. cl. VIII. p. 251. (b) Epist. 193, 202, 220.

eſt Henricum regem Poloniae, *ne unquam patiatur, ulla ſe ratione ad ea, quae promiſerit Haereticis, praeſtanda tener , q a juramentum vinculum iniquitatis eſſe nequeat.* Denique Wendecius Canonicus in libro, cum Caeſaris privilegio a. 1620. edito de *haereſibus exſtirpandis*, eo venit inpudentiae, ut adſeruerit: *Catholicos eo tantum fine nonnunquam cum Sectariis tranſegiſſe, ut, interea reliquis negotiis expediti, unum hoc bellum contra eos adminiſtrarent, et omnem ejus molem in ipſos converterent* (a).

§. XXXII. Denique a ſtatu Proteſtantium ejusmodi oppreſſiones et perſecutiones non eſſe alienas, ut perſuadeam, multum operae non foret impendendum. Cui enim, ad rem ſerio adtendenti, non mox vires eorum debilitatae, limites ditionum per Papiſtas coarctati occurrunt, et numerus variis in regionibus imminutus, (b) ut in Gallia, Germania, Hungaria, Polonia, et aliis terris; *Sectarum* praeterea, in quas ſciſſi ſunt, haud exiguus non tantum numerus, ſed et mutua, plusquam vatiniana, odia, vexationes quoque, fere Antichriſtianae, multiplices, quales Germania experta eſt, Britannia et Helvetia; lites denique, rixae, diſcidia et contentiones, unius quoque ſectae variae; veritatis interea et verae ac ſanae pietatis ſtudia ut plurimum vel nulla vel tepida, factioſa ac hypocritica: Atheorum, Deiſtarum, fanaticorum et carnalium hominum greges copioſi; vitiorum tandem et criminum, inter quae clamantia, ut perjuria, adulteria, injuriae qualescunque in civitate et Eccleſia, curſus identidem creſcens, nullis mediis, nullis judiciis Divinis ſiſtendus. In quibus vel recenſendis vel adſtruendis, ſi verſari vellem, ubi inciperem, ubi finirem? Virorum, peritia, pietate et auctoritate, conſpicuorum teſtimoniis corroborare quoque poſſem; ſi neceſſe foret. Provocaſſe nunc tantum ſuffecerit ad Heidegger. l. c. Witzium in oratione de *felici* an *infelici Reip. Litter.* ſtatu. Vitringam ad Jeſ.

(a) Alia vid apud Hoornbeek. Exam. bullae Innocent. X. p. 265.
(b) Vid. Heidegger. Myſt. Babyl. M. t. II. p. 811. et de Polonia in Bibl. Brem. cl. VIII. p. 261.

Jes. LVIII et LIX. Gurtler. Syst. Prophet. ubi depravationem Ecclesiarum Protestantium depingit. Weisman. Hist. Eccles. Sec. XVII*mo*. p. 1271 &c. ubi statum Ecclesiae Lutheranae describit.

§. XXXIII. Ecquis itaque est? cui mirum accideret, *arcam* Domini, tot paleis frumentum opprimentibus refertam, ventilabro ejus purgari? *Zizania* in agro ejus, tam excelsa, tantopere diffusa, tandem eradicari? *Vineam* tanta cum cura et bonitate Dei in terris Protestantium et Reformatorum plantatam, tot tantisque bonis et donis cumulatam, nec exspectationi divinae respondentem, quin ingratam, corruptam, et loco uvarum labruscas proferentem, a Deo visitari, et partim vastari, partim purgari. Protestantes denique, quorum alii alios mordent, alios ab aliis consumi, secundum regulam Pauli Gal. V. et regnum in se divisum, secundum Domini dictum, destrui: imo Spiritum Antichristianum ex parte admittentes, et bestiae imaginem, in fraudulenta et violenta fidei tuendae methodo adoptata, aliquatenus adorantes, ejus plagas quoque participare: sicut Dominus Ap. XIV. loco valde notabili, minatus est. Utique Pontificiorum institutum de *haereticis*, sic dictis, *coercendis*, eorumque scitum, *hostem patriae judicari debere, qui Dei hostis judicatus est*, a Lutheranis suis admissum esse Sec. XVII*mo* fatetur Mosheimius, (a) qui tamen deinceps (b) adserit, *postrema seculi parte paullatim per coetus* Lutheranorum *pervasisse dogma hoc, religionis rationem unumquemque Deo unice reddere debere, neque justum esse, ut errorum suorum poenas aliquis civitati pendat, modo nihil in ejus tranquillitatem tentet;* addit, *eam libertatem quo quis aequior est*, tanto ferre *facilius*. *Dum Christiani se invicem mordebant*, verba sunt Eusebii de Ecclesia sui temporis, ut hoc uno exemplo nunc defungar, *alter alteri invidebat, alter alteri derogabat, alter in alterum convicia jactabat, dum principes cum principibus committebantur, populus cum populo, sacerdos cum sacerdote, veniebat Diocletianus, et saeva persecutione premebat coe-*

(a) Hist. Eccles. recentior. p. 568. (b) Ibid. p. 571.

tum inter se collisum. Conf. etiam Cl. Spanhemii oratio de *Christianismo* degenere.

§. XXXIV. Nec noster hic tantum metus est, sed, praeterquam quod omnium Christianorum per omnia secula fuerit, et etiamnum sit, ipsorum etiam Pontificiorum hypothesis, Antichristum, in quo definiendo licet errarint, sub finem seculorum in Christianos pro brevi tempore saeviturum esse, fuerunt et sunt multorum prudentum hae justae de Ecclesiis Protestantium formidines et quaerelae; ut ex Reformatis Usserii, Heideggeri, Hasaei, aliorum, ex Euangelicis Speneri, Weismanni, et aliorum, qui meliora tempora, et regnum millenarium exspectant. Quorum testimonia aliqua repraesentabo. J. Usserius, aliquo vaticinandi spiritu, haud uno dato specimine, praeditus, *saepius*, inquit Bernardus, intimus ejus socius, (a) *ingentem animi* sui *sensum aperuit* de inpendente *Ecclesiis Reformatis a Papistis saevissima persecutione.* Cl. Hasaei, (b) haec sunt verba; *vivimus illa tempora, quibus maximae autoritatis Principes, amplissimarum ditionum Domini, in quibus praecipuae Protestantium fortunae ac spes collocatae erant, relictis eorum castris, ad partes se conferunt Pontificiorum. Plena hinc sunt omnia metus, plena querelarum: neque id inmerito. Tametsi enim vel amplissimis verbis, et solenni juramento suis conservationem sacrorum polliciti sint, tristis tamen tot seculorum experientia plus satis, eheu! docuit, quam parum adseverationibus eorum fidendum sit, qui spiritu Cleri Romani agitantur, cui quidem, si jus violandum sit, religionis causa violandum esse, atque haereticis non esse habendam fidem, persuasum est.* Audiamus nunc Heideggerum, (c) *supersunt ejus conatus ultimi*, qui *in extremo annorum ejus actu, ante tragicum ejus exitum, haud dubie omnium erunt acerrimi et vehementissimi* ——— *et quidni superesse putemus? cum Ecclesiam, adhuc in miseriarum caucaso haerentem, lugeamus omnes; cum terrorem nobis bestiae tot diademata, tot cornua, tot a draconis potentia*

(a) Vita Usserii p. 79. (b) Bibl. Brem. cl. II. p. 521. (c) Myster. Babyl. M. t. II. p. 232.

potentia et throno derivatae praerogativae, incutiant —— *Imminet proxime, fatis divinorum oraculorum jam plane maturatis, et expressis ubique parturientis naturae et Ecclesiae vestigiis, decretorium illud tempus*, quo, —— *devictis sanctis ac testibus Jesu Babylonii paeana canent, ignari* —— *fatorum suorum, quibus post consummata domus Dei* —— *judicia praecipitantibus horribiliter ab ipso Deo judice potente obruentur &c.*

§. XXXIII. Nec *parum intrest nostra*, inquit Weismannus, (a) eruditus, simul modestissimus, inter Lutheranos autor, ut et ex illis proferam exemplum, *meditari, an non eadem Divina, sed vindex providentia, potentem adeo hostem, cum exercitibus suis servet in instrumentum irae suae, ad poenam degenerantis et ingratissimi Protestantismi, et vetere gratia, sibi collata, et novissima, turpissime in plerisque membris suis abutentis, ac plenam judiciorum Dei mensuram, paratis illius phiolis, quasi extorquentis. Frequens haec meditatio fuit*, ita pergit, *Speneri* in omnibus *fere* scriptis; *nec alia desunt monumenta gravia et probabilia.* Subjungere tandem liceat praeclari inter Reformatos Theologi Fr. Spanhemii (b) pia et seria vota, ac lamenta. *O si mihi omnia corporis membra verterentur in linguas, ac si deferri in omnes oras, qua late patet Protestans orbis, nostra lamenta ac suspiria possent! saltem si qua medicina, quam admittit raro mali pertinacia, totum jam corpus pervagati, adesse possem auxiliator laboranti etiam nunc hodie Ecclesiae, ejusque sistere praeceps quasi fatum, ex contracta non una labe, quales aut videmus universi, aut sentimus, et quae felicitatem Ecclesiae ac triumphum solae remorantur.*

§. XXXIV. Quae licet, cum tristia tum laeta, sint exspectanda tempora, ab iis tamen determinandis cuncti, qui sapiunt, sibi sedulo cavebunt, quippe non ignari, *tempus*, quo *regnum* Dei et Domini nostri gloriosum condetur, non esse *nostrum nosse*, uti Dominus expresse dixit Act. I. absterriti quoque per tot frustraneos conatus, quos ipsa refutavit experientia; quamvis nec nostro desint tempore, qui perversa verbi prophe-

(a) Hist. Eccles. Sec. XVII. p. 749. (b) l. c.

prophetici interpretatione, et falsis hypothesibus decepti, imaginatione quoque, loco divinae revelationis, delusi, tempora futura ausi sunt definire. Quales temerarias sententias ultra 360, quarum *trecentae* circiter jam ab eventu sunt refutatae, reliquae quum dissideant refutandae in posterum, sese collegisse, testatur Cl. Nonnen in bonae frugis oratione *de signis temporum cum maxime praesentis seculi, felicioris anteambulonibus*, Bremae habita a. 1744. Nec *temporis* tantum, sed et *locorum*, in quibus grassabitur persecutio, quod in omnibus Protestantium terris non videtur futurum, aliarumque *circumstantiarum* respectu, hoc monitum velim, et insculptum, ne in arcana Dei consilia penetrare velle videamur. Attamen ad illustres hos eventus cuncta videre nobis videmur praeparari, et signa nonnulla sese prudentibus, eo ducentia, offerunt, quorum aliqua digito adtingam, non tam ex politico Europae Systemate, aliam quam olim faciem obtendere incipiente, quod politicis dijudicandum relinquo, quam ex utriusque Ecclesiae adversae statu.

§. XXXV. 1. Tam foeda est *Italiae* et *Romae* facies, in carnali splendore aulae Papalis, in conclavium seu electionum Pontificum artibus et fraudibus, in, probroso nomini Christiano, jure praetenso Monarchiae et infallibilitatis, in regimine aulae Romanae politico et tyrannico, in avaritia, ambitione et dominio conscientiarum, in rerum fidei et religionis ignorantia inter omnis ordinis homines clericos et laicos, in famosis libidinibus et impuritatibus obscoenis, in turpissimo asylorum abusu, in dispensationibus reliquiarum scandalosis, in canonizationibus, et aliis rebus, ipsis melioribus catholicis fatentibus, tam a ratione et regno Dei aliena in Ecclesia papistica vigent principia, et fraudulenta et violenta, tanta innocui sanguinis effusa est copia, tantus et diuturnus martyrum Jesu clamor ad vindictam, tam notorii sunt istius Societatis excessus in cultu inprimis et regimine, et opinionibus circa ea, tantus dissentientium, nullo facto discrimine, contemtus, tantum odium in ea viget, tanta denique pertinacia et incorrigibilitas, quae omnem

omnem respuit medicinam, ab ipsis Papis et melioribus Catholicis saepe tentatam; ut per haec et horum similia plenam iniquitatis mensuram fere censeri possit adtigisse. Interea legi de his omnibus, ne alios citem, Weismannus (a) meretur.

§. XXXVI. 2. *Autoritas Papalis* tam lubrico hodie stat talo, unice quippe, ut diserta habent verba Paridis de Grossis, magistri quondam caerimoniarum aulae Papalis, *in diario curiae Romanae*, (b) *ex animis opinionibusque principum et praelatorum pendens.* Pontifices quidem religiose colunt, sed aulae Romanae auctoritatem ac potestatem, praecipue in rebus politicis, parvi faciunt et deprimunt. Excommunicationes tanquam bruta fulmina respuunt: quare Papae ab iis etiam ab aliquo tempore jam abstinuerunt. In regno vero Galliae, praecipuo fulcro religionis Pontificiae, multis contradictionibus obnoxia est, nec a regibus, nisi secundum politicas rationes, tolerari ac gubernari solita; cultus imaginum, sanctorum, et reliquiarum tantopere apud plurimos Catholicos in contemtum venit, principia denique Antichristianismi, proprie dicti, seu fraudes et violentiae in re fidei, doctioribus et prudentioribus eorum, adeo sunt odio, optimo quoquo, teste Casaubono, (c) inter Gallos Pontificios, diem Domini exspectante, et cum anilium superstitionum, tum Romanae tyrannidis, defensores ex animo detestante; ut, ne alia memorem, posteaquam Deus, qui pro momento regibus unam cum Papis Antichristis dabit mentem ad opus suum cum Protestantibus absolvendum, hoc consilium fuerit exsecutus, regni Papalis destructio ab ipsis etiam regibus Pontificiis brevi futura, uti Ap. XVII. supra vidimus praedictum, nemini accidere possit mira. Addi potest, *ordinem* Jesuiticum omnipotentiae Papalis praecipuum fulcrum, fuisse nuper per ipsum Papam abolitum. Praeterea reges et Principes Catholici nostro quoque tempore sese a per-

(a) Hist. Eccles. Sec. XVII. p. 753.
(b) Apud Hofman in nov. collect. monumentorum t. I.
(c) Confer. Moshemius H. E. recent. p. 454.
(d) Ep. ad Grotium a. 1612.

ſecutione alieniores praeſtant, uti in Portugallia, Hiſpania, Gallia, Subaudia, Imperio German., Hungaria, Polonia: Clero fruſtra incitante, et claſſicum canente.

§. XXXVII. 3. Quemadmodum Judaeorum per orbem diſperſio euangelii propagationem praeceſſit, et viam aliquatenus ad eam ſtravit: ita Chriſtianorum, cujuscunque licet ſectae, inter Gentiles et Muhammedanos diſſipatio, ſuperiore ſeculo et noſtro, magis, quam unquam, facta, nec non Societates, ubique terrarum, uti in Britannia, et Dania, inter Pontificios, ipſos etiam Proteſtantes erectae, hic non recenſendae, erigenda quoque, ut ſpero, in Belgio, ad euangelium, magis minusve licet purum, promovendum, ſpem facere videntur converſionis Gentium et Judaeorum univerſalis, quae ultimam perſecutionem, et Antichriſtianismi, invincibilis ejus impedimenti, deſtructionem, excipiet, ſecundum Chriſtianorum per omnia Secula ſpem, in verbo Prophet. fundatam.

§. XXXVIII. 4. Denique generalis Chriſtianorum plurimorum per omnes ſectas, et Pontificiorum et Proteſtantium, *partim* terribilis per opiniones et ſectas diviſio et confuſio, *partim* inveterata et inſanabilis in vita et moribus corruptio, *partim* ab ipſa fide Chriſtiana manifeſta, vel occulta, ex toto vel parte defectio, prudentibus non ſine ratione anſam praebet cogitandi, judicium Dei, quod a *domo* ejus incipere ſolet, haud diu amplius eſſe differendum. De quibus omnibus fuſius differere, et alia proferre poſſem, ſed finiendum eſſe ſentio. Duo tantum ſuperioribus addere liceat teſtimonia, unum ad Lutheranos, alterum ad Pontificios ſpectans. *Illorum* deploratam conditionem vivis coloribus depinxit autor *continuationis* Hiſt. Gothanae, ubi inter alia taxatur *fanaticismus*, hinc illinc *Atheismus* et *Epicureismus* (a), *triumphum agens.* De Eccleſia *Pontificia* dicit autor Pontificius, *Julius Clemens Scotus*, *Italus* (b): *licet concedatur, minora vitia tum contra caſtita-*

(a) Tom. III. p. 154.
(b) In not. ad Pallavicin. hiſt. Concil. Tridentini, Vid. Heidegg. hiſt. Pap. §. 291.

stitatem, tum contra temperantiam nunc patrari in Ecclesia ab *Ecclesiasticis, in primis post concilium Tridentinum, quam ante; non minus tamen spiritualibus vitiis superbiae, avaritiae, invidiae, detrectationi, susurrationi, dolosae simulationi, fidei datae violationi, malevolentiae, hypocrisi, aliisque similibus, deditos esse Catholicos animos.* Addit, *Politicorum Christianorum, seu Atheorum, seu Deistarum, majorem esse numerum, quam Lutheranorum, Calvinistarum, et aliorum sectariorum.*

§. XXXIX. Non possum tamen, quin 5 addam, nonnulla sese mihi, statum Christiani orbis adtente consideranti, offerre, quae viam ad meliora illa tempora sternere, seu praeparare videntur. Ad quae ex. gr. referre licet 1. Scientiarum, non sterilium, seu etiam eruditarum simpliciter, sed quae homines reddere possunt sapientiores, meliores et vere religiosos, incrementum. 2. Religionis Christianae, respectu essentialium ejus partium, et veri scopi, fidei in Deum et Christum unicum servatorem, amoris Dei ac proximi, masculaeque omnis generis virtutis, majorem illustrationem et instillationem, reliquis accidentalibus et difficilioribus, quae Christianos dividunt, et in se armant, cujusque judicio relictis. 3. Ejus quoque religionis contra Atheos, Deistas et Scepticos, accuratiorem ac certiorem defensionem ac confirmationem, quam unquam antea fuit factum. 4. Libertatis fidei et religionis, mutuaeque tolerantiae, professionem ac adfirmationem majorem, solidiorem et diffusiorem. 5. Media et motiva ad vitiorum et criminum, societatem civilem deturpantium ac destruentium, cursum sistendum non sine fructu, per *conciones* Ecclesiasticas, passim in meliorem redactas formam, *leges* bonas, *judicia* justa et aequa; magis magisque adhiberi solita. Quae, et quorum similia, hic clarius et latius non deducenda, per *omnes*, aut plurimas, Christiani orbis societates, majore minoreve copia, a paucis pluribusve, viva voce, scriptis et exemplis, coram oculis exposita, considerari possunt, tanquam *semina*, quae nunc adhuc, *zizaniorum* copia nimia, pressa quasi et inpedita jacent in agro Domini, deinceps suo tempore, maxime post

zizania per Dei judicia evulſa ac igni tradita, in laetam ac copioſam ſegetem excreſcent, regnumque Domini, quod eſt veritatis, pietatis et virtutis, quale in fine temporum exſpectamus, condere apta videntur. Antichriſtianismo enim in Christianismo penitus exſtirpato, fieri non poteſt, quin, ſtudio veritatis pectora inflammante, ope Spiritus S. veritas et virtus caput ſit erectura, ſectaeque diſpariturae ſint.

§. XL. Utinam, in vota enim quin tandem erumpam non poſſum, *omiſſis novarum et periculoſarum controverſiarum et opinionum*, addo, etiam ſaepe *inutilium* et non *neceſſariarum*, *ſcrupulis*, verba auditis, quibus Saxo-Gothani, viri Docti, hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam claudunt, *in id ſedulo incumberet Chriſtianus orbis*, *ut fides ex verbo Divino cordibus hominum inſtillata verae pietatis fructus poſſet producere; neque magno cum damno et dedecore noſtro in iis verſari temporibus deprehenderemur, in quibus venturus Jeſus, Dei filius, vix inventurum ſe fidem, dudum praedixit!* Utinam Theologi Proteſtantes ſecum infenſis diſputare animis, rixari, et in propria ſaevire viſcera, deſinerent! o! ſi conſilia vel unionis, vel pacis et tolerantiae, a Viris Doctis et moderatis, ſeculo ſuperiore et noſtro, ſuppeditata, et ſaepe inculcata, tandem admittant! Hanc etiam animorum moderationem commendarent, foverent, ſuaque autoritate urgerent et tuerentur, Politici! Principes denique Proteſtantes, quod ſapientis politici, Oliverii Protectoris, monitum olim fuit in Epiſt. ad Carolum Guſtav. Sueciae regem, *communium religionis hoſtium importuna conſilia*, *variasque artes intueantur*, *et quam neceſſarium orbi Chriſtiano*, *quamque ſalutare*, *ſit futurum*, *conſiderent*, *quo facilius adverſariorum artibus obviam iri poſſit*, *proteſtantium principes et reges ſecum arctiſſimo foedere conjungi.* Addere liceat, eos tempore pacis reſpublicas ita curare debere, ut, tempore ingruentis calamitatis, malis ſeſe cum ſpe ſucceſſus opponere poſſint. Ex illis enim orientur novi Maccabaei, quales ſeſe Sec. XVI et XVII. praeſtiterunt, inter alios, Belgii noſtri Principes, qui Syro-Macedonas novos repriment, et, *fabri* quarti Zach. II. inſtar, *cornu* illud retundent.

Hac

Hac utique via si inevitabile malum evitare nequeant Protestantes, superabunt tamen, et de Ecclesia persecutrice, secundum promissa Dei, triumphabunt per Dei potentiam et gratiam. Utinam etiam *Domino, ad ostium* stanti, et pulsanti, aperirent, (a) ad fervens veritatis ac verae pietatis et virtutis studium reverterentur, ut promissi a Domino dati fiant participes, et *tentationi, quae orbi eveniet, eripiantur* (b), *sedeantque cum Christo in throno* ejus. (c)

§. XLI. Verba denique Apostoli, utinam in multos Protestantes quadrarent! animis vestris patimini inscribi, *de temporibus vero et tempestatibus non opus est, ut vobis scribatur; cum ipsi praeclare sciatis, Domini diem esse venturam, ut furem in nocte* (plane sicut Dominus de periodo ultimae persecutionis Ap. XVI. *ecce venio ut fur &c.*) *Cum enim dicent homines, pacem esse et securitatem, tum, repente, ut dolor uterum ferenti, sic iis instabit interitus, quem non effugient: vos, fratres, non estis in caligine, ut vos dies illa, tanquam fur, opprimat: omnes enim lucis, dieique, estis homines; non sumus noctis aut tenebrarum, ne dormiamus ergo, ut caeteri; sed vigilemus sobriique simus, ---- induti fidei charitatisque loricam, ac galeam spei salutis.* Possidete animas vestras patientia, nec nimia solicitudine ac metu persecutionum concutiamini. Audiatis Augustinum (d), subinde eloquentem, et animos flectendi arte peritum. *Quid times vias duras passionum et tribulationum? transiit ipse* (Christus) *respondes forte, sed Ipse! transierunt Apostoli, adhuc respondes, sed Apostoli! accipio, responde, transierunt et postea multi viri, erubesce, transierunt et foeminae. Senex venisti ad passionem? noli timere mortem, vel quia vicinus es morti. Juvenis es? transierunt et juvenes, qui adhuc vitam sperabant. Transierunt et pueri, transierunt et puellae. Quomodo adhuc via aspera est, quam multi ambulando linierunt. Haec ergo est*, ita pergit, *solennis et adsidua commonitio nostra ad vos, Fratres! ut solennitates martyrum non va-*

(a) Ap. III: 20. (b) Ib. vers. 10. (c) Ib. vers. 21. (d) Serm 206 fin.

na solennitate celebremus, sed quos in suis solennitatibus amamus, etiam fide simili imitari non reformidemus. Quales solennitates, pie et sine superstitione agendas, liceat et nostris commendare Ecclesiis. Praestiterunt et per omnia secula antiquiora ingentem utilitatem, praebent et hodie Graecis, sub servitute gementibus, hac una praecipue re durantibus inter Muhammedanos. (a) Ceterum, *estote fortes in Domino, ejusque virtutis robore: induite divinam armaturam, ut possitis adgressiones sustinere Diaboli* —— *ut adverso tempore resistere, et confectis omnibus stare, possitis: state igitur adcincti latera veritate, et justitiae loricam induti, pedibus calceatis firmitate euangelii pacis, adsumto in primis clypeo fidei, quo omnia tela mali illius ignea exstinguere poteritis: Item salutis galeam sumite, et gladium Spiritus verbum Dei.* (b) Sintne illa tempora longius aut propius a nostra aetate remota, anxie non inquiramus, sed Deo relinquamus, qui sibi futura illa reservavit: vigilemus nos tantum, et id curemus, ut, cum Dominus advenerit, eum digne excipiamus, ipseque nos invenerit paratos. Interea, in nostram consolationem, animis alte infigamus, adflictionem illam fore brevissimi temporis, et in longe maximam ac perpetuam prosperitatem et felicitatem exituram esse, qua Ecclesia Christi omne genus bonis terrestribus et coelestibus copiose adfluet. Pastores tandem saluberrimo Vitringae monito aures praebeant, quocum sicut incepi, ita et finiam, *vos ergo suis temporibus et locis edocete Ecclesias &c.* Sed, ut unum alterumve monitum, pace Ipsorum, addam. 1. Faciant illud sapienter, prudenter, tempestive, et solide, ne rudiores, aut adfectibus magis quam rationi litantes, abutantur ad sui, aut pacis reip. et Ecclesiae perturbationem, ac damnum. 2. Doceant suos, inter Romano-Catholicismum et Antichristianismum probe distinguere, *illum* quidem erroribus et superstitione esse infectum, sed *hunc* abominabilem, *illum* misericordia, *hunc* odio dignum, ab *illo* parum, ab *hoc* multum metuendum, *illius* professores ac observatores, modo fidem ve-

ram

(a) Vid. Smith de statu hodierno Eccles. Graec. (b) Ephes. VI.

ram in Christum, quoad essentialia ejus, cum pietate ac virtute conjunctam, teneant, *profunda Satanae ignorantes*, Ap. II: 24. Christianos esse posse, *hujus* vero Satanae mancipia; *illos* probos posse cives esse, sed *hos* reip. ac Ecclesiae pestes. 3. Inculcent suis, adflictiones fidei et pietatis causa non esse viam insolitam, potius ordinariam, ad regni Christi conservationem, ac propagationem, omnium fere temporum teste experientia, utilem, et adcommodam, nec adeo asperam ac calcatu difficilem, cum Christi et Spiritus S. potentissima manu sustententur, qui eam incedunt, et gloriose omnia superent obstacula, ac tandem coronentur. 4. Animis quoque non desinant inprimere, hanc ultimam, simul brevissimi temporis, fore persecutionem, in Antichristianismi totalem exstirpationem, ac regni Christi in pleno suo vigore erectionem, exituram esse. 5. Praeparent denique eos ad persecutionem animose suscipiendam et digne ferendam, Christique illud regnum pro virili erigendum et honorandum, docendo, ac inculcando, *cum* fundamentalem illum fidei articulum, Jesum Christum, Filium Dei, crucifixum, et unicum servatorem, *tum* regiam illam *charitatis* legem, quae omnia involvit pietatis ac virtutis officia, per quam fides vera *actuosa* est, et sine qua mortua ac inutilis, *tum* in specie *coelestem illam sapientiam, quae casta* est, seu pura et sancta, *pacifica, obsequiosa, aequa, plena misericordiae et bonorum operum, non discernens* (seu homines secundum studium partium, aut carnalia principia alia dijudicans et distinguens) *infucata*, sincera et integra. Jac. III: 17. Regnum utique Christi est *justitia, pax* et *gaudium* per Spiritum S. Rom. XIV.

§. XLII. Quod superest, laetus ad solemnitatem hujus diei progredior, et eo alacrior, quod fasces ne leviter quidem manus strinxerint, quod in laudem vestram, optimi Juvenes! dictum accipite; quippe quorum diligentiae, et compositis moribus hoc otium, quo frui licuit, acceptum fero: in quo elogio mihi jam *ter* desinere, per Dei gratiam, datum est: agite in posterum, si vobis et Academiae vere consultum cupitis, ut successor meus in has easdem laudes vestras sese effundere queat.

D I X I.

CORRIGENDA et ADDENDA.

Pag. 14	lin. 17	—	leg. repraesentantur
— 24	— 9	— —	et post יוכל *comedet*
— 34	— 14	— —	III: in fine
— 191	— 3	— —	XII: 23. ubi Ecclesia *primogenitorum* (e mortuis, uti Col. I: 18.) est coetus eorum, qui jam e mortuis resuscitati Matth. XXVII. *recensiti* praeterea dicuntur in *coelis*, tanquam praesentes: quem sensum verbum ἀπογράφεσθαι hic et alibi habet.
— 209	— 5	— —	leves
— 241	— 10	— —	objectioni.
— 283	— 4	— —	alii.